




Thoma
Palatio
Lateran
11
6
153









THO. REINESII DE PALATIO LATERANENSI EIUSQUE COMITIVA COMMENTATIO PARERGICA

e museo Bosiano primum edita.

ACCEDIT

GEORGII SCHUBARTI DE COMITIBUS PALATINIS CAESAREIS

Exercitatio Historica.






IENAE,

Impensis JOHANNIS BIELKII, Bibliopol.

Typis IOH. NISI, M DC LXXIX.



CLARISSIMO VIRO

IOANNI GEORGIO GRÆVIO

HISTOR. ET ELOQV. PROFESSORI

TRAIECTI AD RHENVM

GEORGIVS SCHVBARTVS

S. P. D.



INgenii humani ea fere natura eſt, vt cognita virium ſuarum infirmitate, doctrinæque amplitudine, modeſtius de ſe ſentire incipiat, ſeſe damnet, excruciet, recens a ſe condita faſtidiat, &, ſi votis reſponderet euentus, ſempiternam iis noctem offundere, quam lucem precari malit, vbi procellis & perpetuis iactentur tempeſtatibus. Videtur quidem hoc eſſe virtutis, ac laudem habere apud eos, qui de perfectione magis in ſapientiæ ſtudiis cogitant, quam ſecuritate ſui, inerti multorum vitio, quo confiſi plane ſuam adhuc requiri putant operam, deſideriis mortalium abſoluendis. Verum ab vtralibet parte ingentia mala in rem litterariam eſſe illata, ſeuera cordatiorum, nec iniuſta querela hactenus auditur. Qui tantum ingenii nituntur fiducia, homines a cunabulis propemodum eruditi, nihil omittunt eorum, quibus nominis honorem ac famam ſibi concinnent, ſiue bonis & præſtantibus viris probentur, ſiue riſui ſint dehoneſtamentoque. Stimulat eos æmulatio, cum ſentiunt magnitudinem aliorum & felicitatem, per ingenii monumen-

numenta ſeſe numero illorum ingerendi. quo denique non indigni forent, ſi magis noſſent ſemetipſos, ac intra modeſtiæ limites conſiſterent. Auſis enim indulgent, & ſæpe enituntur ad eam doctrinæ copiam, qua pereuntium litterarum fatis intercedere, fluctus illorum & iras ſi non componere, placare tamen ex parte poſſent. Sed admiſſi ſemel maiora ſe audent, exorientis gloriæ vim ex vulgi plauſu metiuntur, & ne ſcribere tantum, aut ſimpliciter operari ſtudiis exiſtimentur, labores doctorum hominum, neceſſitate pariter vtilitateque ſua commendabiles, iudicant ſupercilio tam ſuperbo, vt principatum hinc affectent, ingenio liberali penitus exoſum & inuiſum. Febrim alii rectius adpellant, cuius malignitate animus correptus efficitur languidus, nec vlterius tendit, deſes, cunctis iniquus, more ægrotantium, qui ſemper nauſeant, & leuiter offendentibus grauiſſime iraſcuntur. Factum eſt inde, quod viri doctrinæ varietate, ingenio, ac omni cultu inſignes, ab inuidis nullam gratiam inituri, domi manere ſibique ſapere aliquando conſultius duxerint, quam prodire foras, de leui macula ſuſpectos accuſari, non auditos damnari, confodi, traduci. Ac ne quis arbitraretur, eos modeſtiæ prætextu otia quæſiuiſſe, doctos videri potius, quam eſſe publico documento voluiſſe, pauca vel edi paſſi ſunt, vel ſapientibus, morumque ſimilitudine iiſdem, faciles aditu fuerunt, quibus cum priuatum habuere commercium, & ſermone & epiſtolis oracula ſciſcitantibus reddentes. Ex hac re num ad litteras maiora peruenerint commoda, quam ſi præmiis, honore ac frequentibus optimorum deſideriis adducti, monumenta tot annorum

vigiliis

vigiliis comparata, luci dederint, nemo ignorat. Poterant vtique pertinaci morbo manum afferre, & hoc ipſo demonſtrare, ſe longe ſuperiores eſſe, nec, quid impotentis animi affectus dictaſſet, obſeruare. Sed hæc mortalium eſt natura, mouentur facile, indignantur, & acerbo dolore non raro vlciſcuntur fanaticam aliorum vanitatem, vnde ſibi iuxta & vtilitati publicæ noxii exiſtunt. Quanto magis igitur probanda virtus eorum, qui neque faſtidio ſui, neque obtrectantium vitio deterriti, lucubrationes ſuas vulgant ipſi, aut ſi per viciſſitudines rerum impediantur, adornant ita, vt in partes alii venire, ac editionis operam digne præſtare poſſint. Hæc quoties mecum reputo, ingenium admiror incomparabile Thomæ Reineſii, cuius vbertate præſtantiſſima ſcripta habemus, non edita modo, ſed inedita quoque, in ſummorum virorum muſeis cimeliorum inſtar huc vsque aſſeruata. Variarum libri, cum defenſione pro illis contra iniquam cuiusdam cenſuram ſuſcepta, frugis tam bonæ & exquiſitæ pleni ſunt, vt doctiſſimi habeant, quæ hinc diſcant. Non eſt huius loci, maioribus eos laudibus prædicandi, cum inferior longe ſim, & maximi præterea viri benegniſſime id fecerint. Dolendum in primis, quæ ſupplendo inſigni adeo theſauro variarum facta ſunt, ſingula prelo matura, tot hominum votis fruſtra expeti, nec inueniſſe hactenus, qui obſtetriciam iis curam impenderent, ac luce donarent. Punicæ linguæ interpres nullus ante ipſum aut ſagacior exſtitit, aut felicior, quique deinceps ingenium huc intenderunt, ſemper faſſi ſunt, criſi Reineſianæ ſe plurimum debere. Quam lucem attulerit rerum antiquarum memoriis, o-

riginibus populorum, vrbium, notitiæ magiſtratuum, adminiſtrationum, ſacris veterum, conditionibus artium & profeſſionum, omnique hiſtorices parti, etiam ſingulari & privatæ percipiendæ, variarum gentium demonſtrant monumenta, & lapides inſcripti, quibus explicendis, emendandis ac nitori ſuo reſtaurandis immenſum ſtudium ſimul & pretium poſuit. Leguntur typis exſcripti libelli de Deo Endouellico, inſcriptione veteri Auguſtæ Vindelicorum eruta, itemque marmore Patauino, ſiue monumento Maguriano, cuius explicationi viri eruditione, dignatione & gloria celeberrimi, Lucas Holſtenius, Io. Rhodius, Sertorius Vrſatus, & alii per Italiam philologi, variam diu locauerant operam, e quibus acerrimum iudicium, ingenium præcellens atque doctrina cum paucis comparanda noſcitur. Æternum inſcriptionum antiquarum opus Iani Gruteri, multa locupletatum acceſſione, & commentario ab eodem illuſtratum, quod in publicum nondum prodierit, occultis imputandum eſt cauſſis, quibus talia plurima ſurſum deorſum feruntur. Simili fato premitur Onomaſticon eius perſonarum, ex diuerſi generis inſcriptionibus, nummis, laminis, ac optimis hiſtoriarum monumentis improbiſſimo labore per totum vitæ ſtudiique tempus collectum, quod antiquitatis clauem non male dixeris. Epicriſis ac ſcholia ad vtrumque Petronium, Arbitrum & Dalmatam, pari laude cenſentur, tanta omnium cupiditate excepta, vt, quam fidem ac induſtriam adhibuerit in genuinis diſcernendis, diſtortis luxatisque reſtituendis, veris adſerendis, mirari ſatis nequiuerint. Inter alia, quæ beatiſſimus Boſius, de communi

muni litterarum egregio, & nobis quoque, ſi hoc addi fas eſt, optime meritus, pretio ſalubri redemerat, præſen tem de Palatio Lateranenſi, eiusque comitiua, commentationem edimus, ea lectionis & doctrinæ perfectione ſcriptam, quæ parergicum nomen, ab auctore additum non immerito deprecetur. Quinquaginta duo circiter ſunt anni, cum vltima huic manus imponeretur, Bertramo miſſa notis & replica inſtrueretur, eoque abſolueretur fine, vt mox eruditorum manus occupare poſſet. Verum delituit in hunc diem eodem cum reliquis incommodo, quam occaſione mihi exoptatiſſima data e variis collegi ſchedis, atque vindicare a ſitu ſtatui, non gloriola permotus, aut ambitioſam vt oſtentarem diligentiam, ſed honeſto ſtudio rerum iſtarum cupidis inſerviendi, ac rationem academicæ vitæ patronis reddendi. Quare vero nomen inclitum tuum, vir ſumme, præſcripſerim huic libro, cauſſæ fuerunt plures, & iuſtiſſimæ. Iubebat cumprimis interior conſuetudo, qua per tot annos auctori cognitus, illo familiariter vſus, ab eoque rurſum cultus & ante alios adamatus es. Teſtatur hoc altera Caſauboni epiſtolarum editio, quam noua acceſſione auctam nomini Reineſiano conſecraſti, perpetuum honoris & obſervantiæ pignus, cui mutuum vel tantillo reddi debebat. Teſtantur idem quamplurimæ a manu tua epiſtolæ, facundæ ſane, ingenio ſummo, & ad veteris illius ac natiui ſermonis Romani ſaporem ſcriptæ, quibus electiſſima humanæ ſapientiæ dogmata proponuntur, euoluuntur, diſcutiuntur. Teſtatur honeſta de criſi Reineſiana opinio, quam ſcriptis & ore affatim declaraſti, eiusque patrocinium ſolus pro litte-

litterarum gloria, qua emines maxime, ſuſcipere potes ac debes. Ne iam commemorem eximiam humanitatem, qua ſuperiore æſtate in patriam & has terras delatus priores a prelo calentes adhuc pagellas, cum eas offerret vir propinqua cognatione tibi coniunctus, Ioannes Schilterus, quo de nihil adeo magnifice dicam, quin eruditio illius, & luculenta in rempublicam ac litteras merita ſuperent, excepiſti, atque vt reliqua huius farinæ cum ingenti epiſtolarum Reineſii farragine, quarum nulla ſine peculiari obſeruatione & recondita doctrina habetur, lucem aliquando viderent, ſerio voluiſti. De exercitatione noſtra non eſt, quod addam, cum eam a te vel contemni glorioſum putetur. Vale & conatibus faue. Ienæ, Pridie KL Ianuarii, anno MDC LXXVIII.

GEORGIO SCHVBARTO
amico certissimo
Io. Philippus Sleuogtius F.

NIhil equidem rectius abs te fieri poterat, Schubarte clarissime, quam vt magnarum mentium opera vulgando, & quasi excitando e bibliothecae sepulchro, illa iuxta vindicares ab iniuria temporum, tibiq; posteritatem omnē ingenti beneficio obligares. Quod itaque superioribus annis Io. Andreae Bosii, viri nunquam sine laude dicendi, scripta publicam in lucem produxisti, multum tibi celeberrimi auctoris manes, & plurimum omnino eruditi etiam debent: qui quem ex praematura tanti decoris iactura dolorem ceperant, non parum monumentis istis solantur. Nunc felicem manum Reinesii quoque laboribus admoues, summique ingenii foetum de Comitibus Palatinis eripis tineis ac morti, cum quibus alias luctaturus videbatur, absque tua ope & industria fuisset. Vtque ostendas insuper, quantum ille posterorum industriae reliquerit, quantum & de te polliceri sibi bonae litterae debeant; ipse pariter venis in societatem operis ac gloriae, quemque admiraris & sequeris ducem, iam vbertate doctrinae & virili ausu tantum non ad certamen deuocas. Gemino igitur beneficio demereris litterarum studiosos, & perpetuus nobilissimi scriptoris comes, meditamentis tuis grande pretium concilias.

Qui ad principum aulas & gratiam affectant viam, inter proceres sibi quaerunt insignem vnum, cuius

ctoritas & fauor etiam in clientem oculos atque animos ceterorum conuertat. Pari ratione nulla certior via datur, qua & principes eruditionis & vulgus litteratorum propitiemus, itemque duraturum nobis nomen condamus, quam si illustris scriptoris lateri haerentes, eius quasi manu deducamur in excellentium animarum coetum, & fortunae omnis consortes, non impari gressu terrarum orbem peruagemur. Sic multorum studiis inde duntaxat parta claritudo & immortalitas, quod in veterum scripta notas & commentarios edidissent: quum contra ea, optimi saepenumero libri, & vitam ac famam aeternam promeriti, quia sine duce, sine praesidio, solitarii incedunt, nocte altissima premantur, inter vilium naeniarum turbam coniecti, aut desertum aliquem nidum bibliothecae occupantes.

Tu nunc, Schubarte clarissime, tempus porro adesse cogita, quo magis magisque temet proferre debeas, & conceptam de te spem summorum hominum egregiis operibus implere ac tueri. Adhuc quidem tum priuatim, tum in doctissima dissertatione de Gothorum ortu, publice satisfecisti expectationi eruditorum, non professoribus tantum Academiae nostrae amplissimis, sed iuxta magnificis viris & inter praecipuos numerandis, Auiano, Schiltero, Tribbechouio, probatus laudatusque. Nihil ergo superesse video, quam vt prodeas tandem mediam in lucem eruditorum, vtque litteraria meditamenta subinde publicando, praesentes atque postfuturos testeris, quantae tibi curae sit cordata & minime triuialis eruditio, quantumque opis sperare habeant disciplinae, si pari ardore ac industria ab erectis mentibus excolantur.

Verum

Verum enim vero postquam vana persuasio cunctorum animos inuasit, doctrinam ac litteras rem esse penitus plebeiam atque ignobile otium, a quo aduersus inopiam frustra praesidium expectetur; totis viis ad quaestum & diuitias properatur, nec quisquam est, qui non opulentus atque indoctus audire, quam celebrari malit & esurire. Vsque adeo degenerauimus a veterum diligentia, vt quum ad summa omnia pro se quemque contendere fas sit, ne mediocria quidem nobis proponamus; nemo ex viris doctrina & fama conspicuis deligat, quem colat ac sequatur: sed sibi quisque pro regula sit & exemplo & miraculo. Subrepit quippe nimium quantum inertiae dulcedo, ac multum hodie laborasse existimatur, qui exiguam solidi diei partem, & paucas tantummodo horas libris Musisque impenderit. Sane quidem etsi neutiquam noua ac recens de contemtu litterarum querela est, sed iam olim, & medio etiam illo aeuo, quod eruditi nomen a felicissimo ingeniorum prouentu inuenit, graues questus ac tristia passim omina leguntur: hodie tamen regnum suum veluti auspicatur barbaries, & maiores quotidie vires acquirunt ignauia atque ignorantia: vt non falsos fore intelligamus, qui profundam super nos obliuionem venturam, paucaque ingenia caput exertura praedixere.

Quae hac tempestate Italiae facies sit, quamque turpis vbique bonorum scriptorum neglectus regnet, quantum contemnantur amoeniora studia & pulcherrimae artes; si non aliunde, certe ex Octauio Ferrario discere licet, genio illo Romanae eloquentiae, & oratore, vt sic dicam, oratorum: qui exolescentem atque labantem patriae suae gloriam inter paucissimos adhuc vnus omnium maxime

 sustinuit

sustinuit. Hic quum annos septem ac triginta magno exterae iuuentututis concursu Patauii docuisset, & qua voce, qua scriptis reuocare annisus fuisset litteras politiores atque eloquentiam, liberrima indignatione adolescentum mollitiem ac desultoriam leuitatem insectatus, vt aliquando adeo , cum de barbarie quereretur , paene lapides inuenisset; nullum tamen aliud operae pretium fecit, quam vt sibi idem fere quod Roscio euenisse testari cogeretur: se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem.

Auertat Deus a Germania parem calamitatem, nec concedat, vt exspirantibus paullatim luminibus, quae disciplinas ad hanc diem illustrant & malas barbariae tenebras nobis inuident ac morantur, triste alicubi monumentum statuatur, ex quo ingemiscens seculi ruditati viator, vixque sibi a lacrymis temperans, supremam litterarum diem, acerbique doloris argumentum legat. Enimuero laetiora neutiquam ominabitur, qui praeter cetera cogitauerit, nos aeque ac alios, bona nostra vel ignorare vel negligere, aut odio etiam habere: vt non sine rubore nostro, si quidem frontem haberemus, ab exteris docendi simus, quanta olim decora in Gronouiis & nunc in Schefferis ac Graeuiis (vt alios taceam) longum Germaniae vale dixerint, & ad Batauos ac Suecos commigrarint.

Ceterum tu, clarissime Schubarte, alacris ac fortis insta praeclaris coeptis, vtque diu studere possis, diu viue ac vale. Non desunt equidem, nec deerunt deinceps Maecenates, qui quantum tu mereris ac meriturus es, tantum & ipsi in te tuendo atque ornando benigna suffragatione excubabunt, nec laudare duntaxat studia tua, sed etiam


proue-

prouehere volent poteruntque. Vale iterum iterumque & me ama. Scrib. d. XXIX Decemb. cIↄ Iↄc LXXVIII.



REINESIVS BERTRAMO.

EXpectaui hactenus expetitum toties ſuper *Commentatiuncula* mea *de Palatio Lateranenſi eiusque Comitiua*, quam ante hoc ſemeſtre tibi obferebam VIR magnifice, fautor colende, iudicium tuum; ſed id mihi interuertere curæ aliæ, quæ interea in functione noua, vt fieri amat, tibi copioſe enatæ ſunt. Nunc vero cum nuperrime in συνδιαιτήσει quadam cum *D. I. Auenario*, Cancellario Cizenſi, eius argumenti nonnihil inter nos fuerit agitatum, originesque eius dignitatis minus quam putarem, etiam viris doctis notas eſſe, imo quid de ea circa Theologum ſentiendum ſit vel dubitari valde, vel definiri perperam tum cognouerim, non faciendum putaui, vt labor ille meus improbus, exotericus, & fur paucarum horarum ſic periret, quod continere nonnulla videretur, quæ quis apud alios fruſtra quærat. Recenſui igitur, addidi, demſi, interpolaui, illuſtraui: eumque ſic calentem a calamo nunc TIBI redhibeo, & vt lectione dignari, ſubactoque iudicio tuo penſitare velis, iterum rogo; æſtimabo id, vt omnia tua meritiſſimo tuo ſoleo, h. e. maximi, & beneficio tali ſerio adfectu cultuque ſincero & æterno, ſi qua nequiuero aliter, reſpondere laborabo. Scrib. Geræ Ruthenicæ XVII Jul. 1626. cum ſe primum exeruit ῥοδοδάκτυλος ἠώς.



BERTRAMVS REINESIO.

ANtiquitatis cognitionem non iucundam modo, sed & necessariam esse, CL. Vir, fatebuntur omnes, qui vel mediocriter in literatura sunt versati. Me quod attinet, semper mihi curæ fuit, iuris ciuilis scientiam cum rerum veterum notitia coniungere. Vidi enim harum ignoratione peccari persæpe & multa latere in occulto. Quidquid etiam temporis & ocii subripere possum, post seria huic studio etiamnum impendo. Valde autem mihi gratulor, quod tecum de rebus ad hanc Philologiæ partem spectantibus conferre liceat. Palmam enim fere in hoc genere te obtinere, dudum perspexi, & testis est eruditissima tua de Laterano eiusque comitiua *commentatio. Legi eam ac perlegi summa cum animi lætitia; & affirmo tibi, si in lucem illa prodierit, ab omnibus, antiquitatis cumprimis studiosis, auidissime exceptum iri. Moneo tamen, vt inuectiuam, qua in Theologo-Comites vsus es, vel mitiges, vel omnino deleas. Res quippe multis futura offendiculo, si quis publice conetur sacris hominibus, ecclesiarumque γνησίως Lutheranarum antistitibus aliquam adspergere maculam. Audi quid* Plutarchus *dicat:* vt olim occidentibus lucernis non afferebant manus, ne ignis diuinitatem læderent: ita in illis, qui ad religionem prælucent, humanius est, vitia, tanquam fumum lychnorum morientium pati, quam dignitatibus vim afferre. *Pagellas tuas remitto, quibus* notatiunculas *quasdam sub manu quasi natas adiunxi. Tu, qua es humanitate, boni consulito. Nullo, vt vides, seruato ordine, chartæ eas illeui. Curabis autem vt commentatio tua quamprimum se det in legentium manus. Vale*

& me

※(o)※

& me ama. Dabam raptim Altenb. XIX Augusti, anno cIↄ Iↄc XXVI.

P. S.

Annotationes *nostras manu aliena scriptas ob temporis angustiam reuidere non potui. Quod si igitur scribæ vel inscitia vel negligentia mendæ irrepserint, ipse corriges.*

REINESIVS BERTRAMO.

MAturius, fateor, ad nuperas tuas, VIR magnifice, fautor colendissime, responderi oportuit; sed curæ aliæ, eæque θεήλατοι, quæ *caput & circa saliere latus* ac saliunt, prohibuere, & vt maxime velim hac occasione, accidit tamen, nescio qua incuria mea siue quocunque fato, vt istas suauissimas & quas ex itinere decendiano domũ reuersus inuentas ad pectus hoc adpresseram, inter chartas meas alias alicubi delitescentes & curiose sepositas reperire hoc quidem in tumultu nequiuerim. Ero igitur reliquator, sed memor, & de istis quamprimum TIBI satisfaciam. *Notatiunculas* vero tuas *ad Commentationem de Comitibus Palatii Lateranensis* auide percurri. Eas quanti faciam, *replica* mea tibi testabitur, quam hisce iunxi. Teramus hunc callem & secretiora hæc studia tractemus feruidius, quo pauciores, malum! de iis e merito iudicare nouimus. Tu vero, VIR magnifice, perge sic bene de me mereri, & amanti Tui fauere. Vale εἰς μήκιστον. Scribo stans pede in vno. XII Septembr. anno M DC XXVI.



I. N. I.

THO. REINESI

COMMENTATIO PARERGICA

De

PALATIO LATERANENSI EJUSQUE COMITIVA.

IMperatoris ſev regis ædes, *βασίλειος αὐλὴ*, & τὰ βασίλεια, vocantur παλάτιον; inquit Dion *l. 53. f. m. 311.* ex hoc Zonaras *annal. t. 2. f. 163.* & Procopius *lib. I. Hiſt. Vandal.* qvia in Palatio ſev monte Palatino habitabat Avguſtus; in qvo & Romulus regiam conſtituerat: Livius *l. 1. c. 6.* de cuius origine in antiqvitate Romana multa vera ficta, & apud Jo. Britann. *Comm. ad Juv. Sat. II. v. 105.* itemque *Sat. VI. v. 527.* & apud Hubertum Thomam Leodium *comm. de orig. Palatinorum*: vbi & fanum cultu celeberrimum, quod *Sedes Imperii* vocabatur, fuiſſe, e Publio Victore, *l. de region. Vrbis*, adnotant docti, regiæ Romuli ſive ἀπόῤῥωξ id, ſive ſuccedaneum. Conſtantiſſime tenuit in familia Ænea-

darum alio ſedem non transferre. Patet id per totam Avguſti hiſtoriam, qvi & incendio abſumtam *domum Palatinam* e collationibus privatorum & ſingulorum conventuum refecit: Dion *l. 55. f. m. 341.* Svetonius *c. 57.* ac vel Ciceronis teſtimonio præclaram ac dignitatis plenam domum ædificavit. In eadem Livia Auguſta *ludos* edidit, inde *Palatinos* dictos; Dion *l. 56.* Etiam fuit ibi, Tiberii Imperatoris opus, ni fallor, *Domus Tiberiana,* cui inſignis Bibliotheca juncta erat, avtore Gellio *l. 13. cap. 19.* poſt a Trajano *Vlpia* dicta, e qva etiam Fl. Vopiſcus (qvem circa a. Chr. CCCLX, certe poſt Conſtantinum M, vixiſſe, probabo alibi : video enim dubitare viros doctos) libros habuit ad res geſtas Imp. Probi deſcribendas, eosqve linteos, in qvibus Avrelianus qvotidiana ſua ſcribi præceperat, fatente ipſo : in qva Antoninus Pius habitabat, Capitolinus *in ejus vita, p. m. 100.* & in qva educatus L Antoninus Verus, in regione urbis X locatur, qvam topographi urbis Romæ *Palatium* vocant, eaqve domus a Capitolino vocatur *aulica,* qvod Imperatoribus etiam privatæ domus eſſent, ut Avguſto ædes modicæ Hortenſianæ, neqve laxitate, neqve cultu conſpicuæ; ac domus, qvæ Calvi Oratoris fuerat ſupra ſcalas anularias; Svetonius *c. 72.* qvanqvam HortensI qvæ fuere, Palatii, h. e. regionis vrbis X, fuiſſe partem, e topographia urbis Romæ & Svetonio, *l. de illuſtr. Grammaticis,* ſub Verrio Flacco, colligere eſt: & Tiberio *Carinæ* ſev *domus Pompejana*; Svetonius *c. 15.* & Dion *l. 48. fin. 234.* Nero domum a Palatio Esqvilias usqve fecit, ſpecie & cultu admirabilem; Svetonius *c. 31.* Domitianus a Sigerio & Parthenione cubiculariis ſuis in Palatio occiſus eſt; de qvo intelligendus Martialis

n. 1.

l. 4. e-

l. 4. epigram. 88. Ita & Didius Julianus; Spartianus in *Severo*; Commodus & Pertinax, de qvorum cædibus exavdiendus Tertullianus *l. 1. ad Nationes & Apologet. c. 15.* Habuere hunc morem Romani a Græcis; quibus ſua erant *Pergama;* Attici ἀκρωτήριον in Sunio, *Homer.* Ὀδυσσ. γ. *Pauſan. initio Atticor.* Athenienſes Ἀκρόπολιν habebant ſev arcem ſuæ urbi contiguam, qvam Γλαυκώπιον & *Cecropiam* a præſide Minerva denominabant, quamque ſingulari libro deſcripſit doctiſſimus Mevrſius: uti Carthaginienſes *Byrſam* ſev *Bytſram* (nam ex Ebræorum Betſurah, quo munitum in rupe locum nominant, *1. Maccab. XIV, 33.* detortum eſt: de qvo in Diatribe mea *de Lingva Punica* egi multis) in media condiderant urbe loco ſatis excelſo. Strabo *lib. XVII.* Immo habuere, ut alia multa, ab Ebræis, qvorum reges in metropoleos ſuæ, ſev Hieroſolymorum editiore loco, monte ſcilicet Sion reſediſſe notius eſt e Sacris, qvam ut probari multis oporteat; *Palatium Melchiſedeci* in Salem juxta Scythopolin oſtenſum olim fuiſſe, ſcribit Hieronymus *epiſt. CXXVI;* ubi Joannes baptizaſſe legitur *Jo. III, 23.* Et qvingenti fere anni ſunt, cum Rabbinorum doctiſſimus Moyſes Maimonides, Ægyptius dictus, & Cordubenſis, in Halacha Melachim *c. 2.* ſcripſit: *Reſidet rex ſuper thronum regalem in palatio ſuo, coronam gerens in capite:* vbi בפלטין eſt *in palatio*, vocabulo ſcil. Latino ex occidente in orientem & Ebræam lingvam transſumto. Non ſolum avtē in urbe, ſed & in reliqva Italia & in civitat. per provincias ſua Romani habebant palatia, ſtrategia, ſev prætoria, ut capitolia* præterqvam Romæ etiam Capuæ, Corinthi, Narbone, Antiochiæ, Conſtantinopoli, Babylone, Beneventi, Tho-

* *Duo Capitolia Romæ: vetus in VI, novũ in VIII regione.*

losæ erant. De Capuano Casaubonus ad Svetonii Caligulam *c. 57.* de Tholosano & Narbonensi Sidonius & Gregorius: de Carthaginiensi Cyprianus *tr. de Lapsis*: de Beneventano Svetonius *l. de Gramm.* Al. ab Alex. *l. VI Dier. gen. c. 11. p. 344. seq.* de Babylonico Hieronymus *l. 1. in Esaiam* & in *l. de Loc. Ebr.* de Constantinopolitano Pancirolus *Comm. ad Not. Imp. Gr. c. 25.* qvo & Nero aliqvando imperium transferre cogitarat; Colerus *ad Tiraqv. super* Al. ab Alexandro *Dier. gen. lib. IV, c. 10. it. lib. VI, c. 11.* con-
n. II. fero Britann. Io. *ad Sat. XIV Juv. v. 91.* Traianus Mediolani regiam ædificavit etiamnum *Palatii* nomen seruantem; ea sedes Bertaridi, Ariperti regis Langebardorum filii, Diaconus *lib. IV de gest. Langeb. c. 53.* Adriani palatium Antii commemorat Philostratus *de vita Apoll. Tyan. l. VIII, p. m. 398.* Romæ commemorat Trebellius Pollio, in *Zenobia*; Trebelliani, in arce Isavriæ; Vopiscus Avreliani & Carini Romæ; Galieni Imp. palatium apud Pictavium Galliæ etiamnum visitur; Septimius Severus Imp. Eboraci in Britannia palatium habitavit, in qvo & mortuus, Spartiano avtore: consentit locus sub vrbe *Sivers* dictus olim, in qvo corpus ejus rogo impositum, & militum decursionibus annuis honestatum fuit; & in hoc palatio, avditorio, sev justitiæ officina, oraculum illud Iuris & Iurisprudentiæ Papinianus, Principi adfini suo comes, P P & domesticus, auditus est, Forcatulo teste: Cambdenus *Britanniæ p. 569.* In eodem Eboracensi palatio etiam Constantius Chlorus, Constantino Maximo filio ibidem in Imp. leuato, obiit. Licinius Spadones & avlicos *tineas & sorites palatii,* ut *eius vespas* Almanzor adpellabat. Imperatores Christiani æmuli

pom-

pompæ anteceſſorum & ipſi ſua habuerunt non in Vetere tantum & Nova Roma; cujus arx Ῥήγιον, *Regium*, vocabatur, teſte Agathia, & poëta anonymo, avtore epigram. quod *l. IV tit. 28. cui* τὴν πύλην τοῦ Ῥηγίου ἐν Βυζαντίῳ inſcriptam legimus; ſed & in civitatibus per provincias: *conſecratas ſibi ædes & inclyta palatia* vocat Conſtantinus, *C. de palat. & domibus Dominicis, uſibus Imperatoriæ Majeſtatis deſtinata, l. Qvicunque C. de oper. publ.* Leo & Anthemius AA θεῖον οἶκον; & lege ab Anaſtaſio cautum eſt, *C. de offic. rectorum provinc.* ut præſides provinciarum *in palatiis avt prætoriis*, qvæ & ἀρχεῖα (unde barbarorum *Archivum)* Pancirolus *de magiſtr. municip. c. 20.* habita- n. III.
rent non in privatis ædibus; Ita præfectus Avguſtalis Alexandriæ morabatur in Prætorio, qvod *Eutycheum* dictum, in qvo & edicta Imperialia publice proponebantur, teſte ſubſcriptione *l. Archigerontes 5. C. de Epiſc. avdientia:* ubi tamen mutata unica littera y, *Evticheum* vel ſubſtantive Ευτειχεῖον legere malim ἀπὸ τοῦ τείχους, qvod nomen ædibus publicis & munitis magis convenit; qvales fuerunt iſtæ, in qvibus lex dicta fuit publice propoſita, ſi ipſum Avguſtalis præfecti prætorium nolimus intelligere. Et ab eodem more eſſe dixerim, qvod Pilatus, procurator Cæſaris, ice præſidis fungens in Iudæa, etſi privatim habitaret, ut colligi poſſe videtur e *v. 19. c. XXVII.* Matthæi, in æde publica iuridicinam, ſev potius iudici-
nam exercuerit. qvam Otfridus monachus D. Benedicti n. IV.
Weiſſenburgenſis, Rabani Mauri Abbatis Fuldani diſcipulus, rhythmicus Evangeliorum interpres, vetuſta Germanica lingva **Palincza** & **Palinzhus** vocavit; ut hodie arcem Ravensburgo in clivo imminentem extra

mœnia, der Landthus/ Crusius *Annal. Svev. parte II, lib. 8. cap. vlt. f. 303.* & eam, quæ Campidono vicina, Burghalde nominant. Neqve hæc circa palatia ambitio intra Imperatores ſtetit; tranſiit etiam ad Avguſtas. Vt omittam externa & vetera nimis, qvæ de palatio reginæ, coniugis Salomonis, filiæ Pharaonis, in ipſa regia exſtructo, Srcræ indicant litteræ *III. Reg. IX, 24: II Paral. VIII, 11.* qvod graphice depictum a Ioſepho Antiqv. *lib. VIII, 2.* Pineda *lib. IV de rebus Salom. cap. 2,* & plenius *lib. V, c. 6.* Favſtæ, qvæ coniux erat Conſtantini Magni, filia Maximiani, *domum in Laterano* Optatus Milevitanus *lib. 1. adverſus Parmenianum;* in qva Cæciliani & Donatiſtarum cauſam juſſu Conſtantini Imperat. cognovit Miltiades, damnatoq; Donato Cæcilianum innocentem pronunciavit A. D. CCCXIII; quod & poſt in Synodo Arelaenſi factum eſt; Bulengerus contra Caſaubonum, *Diatribe XIV. f. 51.* & Capellus contra Bulengerum pro Caſavbono *c. 15. p. 71:* Domos divinas Avguſtarũ qvinq; Conſtantinopoli Pancirolus de XIV regionibus vrbis Conſtantinop. memorat. Eædem cum in utero haberent & pariturae eſſent, degebant in palatio *εἰς ὑποδοχὴν τῆς γεννήσεως* exſtructo, Πορφύρα, *Purpura* dicto. (cujus moris aliqvod veſtigium in rebus Gallicis: nam & illic e veteri inſtituto parturienti reginæ in regia Fontis Bellei adſtiterunt Principes, ne qvis pro femina marem ſuppoſitum crederet*: enitebaturqve tum ea felici partu Delphinum Ludouicum Iuſtum ſev XIII. A. D. cIɔ Iɔc I; Bulengerus *hiſt. ſui temp. lib. XI, f. 334.*) Hinc Manuelem Comnenum, vt ſangvinis Imperatorii genuinum germen, *πορφύρας χρυσοῦν ῥόδον, auream purpuræ roſam* vocat Conſtantinus Manaſſes *annal.*

Eſt in tomo IV. Bibl. Patrum, Bignæi f. 435.

ut de Friderico II Imp. malevole nugati ſunt gnathones Gregorii IX, P. R. eum ſcilicet molitoris eſſe filiũ.

nial. p. m. 99. (ubi Leunclavius ad marginem : *Purpura* loci nomen, in qvo pariebant Imperatrices, vt liberos ederent purpurigenas.) & *p. 228.* πορφυροφύτων βλαστοὺς τοῦ Ῥωμανοῦ, Basilium & Constantinum Romani FF, & Basilium τὸν πρωτόφυτον τὸν τῆς πορφύρας κλάδον ; & *p. 216.* πορφυροβλάστητον αὐτάνακτα Κωνσταντῖνον, Leonis Philosophi, e coniuge qvarta, filium. Et hæc verior est ex antiqvitate ratio cognominis, qvo Imperatoribus nati πορφυρογεννῆται, *Purpurigenæ* vocantur, a loco scilic. genituræ desumta, qvasi & ille de vero genere sic testaretur, qvam coniectura nonnullorum, qva *Porphyrogenitos* dictos volunt, qvia patre Imperatore, & sic in purpura nati, vel calentes ab utero matris Avgustæ purpura excepti sint. Clare id liqvet e Niceta, qvi de Manuele Comneno *l. 5.* ita : τῆς δὲ Δεσποίνης πρὸς τὸ τίκτειν ἐλθούσης ᾠκονομήθη ἡ πορφύρα καὶ ηὐπρεπίσθη πρὸς τὴν ὑποδοχὴν τῆς γεννήσεως, vbi πορφύρα οἰκονομίζεσθαι καὶ εὐπρεπίζεσθαι dicitur, cum rebus necessariis & puerperam regalem decentibus ornamentis instruitur : uti τὸν τάφον εὐπρεπίζειν Nicarcho *l. 2. Epigr. t. 22. f. 209. edit. Wecbel.* dicuntur, qvi sepulcrum condendis reliqviis vel cadaveri præparant. Idem manifestum est e Zonara, cum inter Constantini Ducæ filios tertium μόνον πορφυρογέννητον nominat : duos enim maiores Michaelem & Andronicum, ἰδιωτεύοντι ἔτι, τὸν δὲ Κωνσταντῖνον βασιλεύοντι ἐγείνατο ἡ Εὐδοκία ait : & e Cantacuzeni epist. *ad Nilum Patriarcham,* qva Constantinum eum τὸν ἐν πορφύρᾳ τεχθέντα vocat ; ubi si per πορφύραν locum nascituris Imperatorum liberis proprium capias, adpositum magis erit, qvam si per Purpuram ἐπίσημον & paludamentum Imperatorium, & vi metonymiæ, qva signum pro re signata ponitur,

ponitur, Imperatorem ipſum intelligas. Certiſſimum te hujus rei fecerit Anna Comnena Alex I Imp. & Eirenes filia. Ea ut ſe vere imperatorio genere ſatam eſſe, πορφύρας τιθήνημά τε καὶ γέννημα probaret, natam ſe eſſe ſcribit *lib. VI Alexiados*, κατὰ τὸ ἀφορισμένον πάλαι ταῖς λοχούσαις τῶν Βασιλίδων οἴκημα· πορφύραν, addit, τοῦτο ἀνέκαθεν ὀνομάζουσι. Luitprandus *lib. 1. rerum per Europam geſtarum cap. 2.* Conſtantinum M inſtituti ejus, ædium pro Avguſta partui proxima, avtorem laudat, qvi voluerit ſucceſſuram ſuæ nobilitatis ſobolem iſtic in lucem prodire, qvatenus qvi ex ſuo ſtemmate naſcerentur, *Porphyrogeniti* adpellarentur. Duravit etiam id inſtitutum, quemcunque tandem avtorem ex Imperatorib. CPtanis habuerit, (falſus enim eſt Luitprandus, qvi Conſtantinum M nominat, ut demonſtravi, *in Replica ad Notatiunc. Domini D. Bertrami, Cancellarii Altenburgenſis, n. 1.*) usqve ad excidium CPtanum ſub Conſtantino ultimo A. D. cIↄ CCCCLIII: Teſtis epiſtola cuiusdam Ioannis Dociani ad filiam prædicti Conſtantini ultimi Imp. Helenam, cuius Præceptor erat: in qva eam πορφυρόβλαστον αὐθεντόπουλαν τῶν Ῥωμαίων adpellat: edidit e manuſcripto Cruſius *Annal. Suev. p. 2. l. 12. c. 15. f. 565.* Et ſic, qvando Evnapius *in vita Proæreſii* poteſtatem & officium Præfectorum prætorio Imperiali βασιλείαν ἀπόρφυρον vocat, intelligo ſummam eam dignitatem & regiæ proximam fuiſſe, hoc ſaltem minorem, qvod eiusmodi præfectus in *Purpura* non natus ſit. Poteſtas enim tota Regis habebatur *apud Præfectum Prætorio* ſive *Palatio*; (nam & ſic vocatum legi apud Al. ab Alexandro *lib. VI, c. 20.* confer Caſſiodorum *lib. VI Variar.*) &, qvi ſeqvioribus ſeculis ita vocabatur in avla Impe-

rato-

ratorum Francorum, *Maiorem Domus*, excepto qvod chartæ & privilegia regis nomine ſcribebantur, *Annales Franc.* a P Pithœo editi. Negare tamen nolo, Conſtantinum, vel alium e ſubſeqventibus Imperatoribus, avtorem eius rei, rationem nomenclationis a purpura, inſigni imperatorio, deſumſiſſe, forte qvia purpuram inter res deſitas aliqvando fore, qvod & docuit Pancirolus *in rebl. vet. deperd.* ſuſpicaretur, ne deficeret tamen eius circa Imperatores memoria, & qvi purpura non excipi vel involvi poſſent, in *Purpura* tamen naſcerentur, reſpexitqve ſine dubio ad Imperatorem Commodum, qvi pro faſtu ſuo μόνος ἐγὼ, inqvit apud Herodianum *lib. I, cap. V*, ἐν τοῖς βασιλείοις ἀπεκυήθην, καὶ μὴ πειραθέντα με ἰδιωτικῶν σπαργάνων, ἅμα τῷ τῆς γαστρὸς προελθεῖν, ἡ βασίλειος ὑπεδέξατο πορφυρίς. ὁμοῦ δέ με εἶδεν ἥλιος ἄνθρωπον καὶ βασιλέα· qvo etiam ſenſu Conſtantinus, Leonis V filius, τῆς ἀλουργίδος στάχυς eſt Conſtantino Manaſſi *Annal. p. 216.* Tandem mos etiam erat in avla CPtana, loca eius pleraqve peculiaria ſua habere nomina; uti & in urbe & extra; deſumtus ab antiqva Græcia, per cuius celebriores urbes loca publica fere nominibus inſignita fuiſſe propriis, tralatitium eſt: qvæ antiqvitatis pars ignorata, etiam doctos viros, cum Græcos Auctores verterent, errare turpiter fecit. Erat, qvod maxime huc facit, & præteriri a me non debuit, in ſuburbio Conſtantinopoleos *Hebdomum* ſev *Septimum* dictum *palatium*, cuius Zonaras *t. 3. f. 160.* meminit, & *Senaculum*, in qvo declarari coronariqve Imperatores, Synodosqve haberi conſveviſſe, inqve eius Secretario, a Iuſtiniano exſtructo, coire Senatum ad deliberandum, & iura condita recitari ſive

publicari ſolita, ſubſcriptiones plurimarum Conſtitutionum docent; & fugitivam hanc Antiqvitatis particulam Cuiacio reſtitutam debemus. Is videatur *l. XX, obſ. cap. 3.* De qvorumcunqve populorum ſupremis magiſtratibus ex antiqvitate idem probare facile eſſet, eos ſedes certas regnorum ſibi delegiſſe, qvo res locorum eos ducerent, easqve magnificis ædificiis, veſtibulis, atriisqve patentibus, periſtyliis (prout deſcribit Al. ab Alexandro *lib. V, c. 24.* qvi & *lib. III, c. 6.* plures regias diverſorum populorum enumerat & nominat) palatiisqve exornaſſe, magnis ſumtibus & operibus muniviſſe, tum corporis ſui cuſtodiæ, tum iuri dicundo publicisqve regni rebus tractandis inſervituras. Attilæ regiam ſic deſcribit Priſcus apud Iornandem *de reb. Get. cap. 34.* „ Vicum, in qvo Rex Attila morabatur, acceſſimus, ad inſtar civitatis ampliſſimæ: in qvo lingnea mœnia ex tabulis nitentibus fabricata reperimus, qvarum compago ita ſolidum mentiebatur, ut vix ab intento poſſet iunctura tabularum comprehendi. Fecit Alboinus, Odoini filius, rex Langebardorum primus *Veronæ*, circa A. D. DLXIX, ſedem regni Italici ibi ponens; Vadianus *apud Goldaſt. t. 3. Script. rer. alemann. f. 153:* Etiam *Ticini* ſev *Papiæ*, qvæ regio palatio iam ab Hunnorum Herulorumqve incendiis nobilis, & provinciarum domina Langebardis, P Diacono teſte. Erat illud palatium, a Theuderico Gotho, ſev Veronenſi, exſtructum, Godeberti, Ariberti filii regis Langebardorum, regia, in qva & a Grimoaldo occiſus eſt, Diaconus *l. 4. c. 53.* celebris conventu, in qvo Epiſcopi, Duces, Comites ac reliqvi Italiæ optimates homagium præſtitere Carolo Calvo Imp. A. D.

DCCCLXXVI.

DCCCLXXVI; destructum a Papiensibus, mortuo Henrico II, qvi & propterea rebellionis rei a successore eius Conrado II in Comitiis Constantientibus habiti, A. D. MXXV, Goldastus *Collect. Constitut. Imp. t. 1. f. 230:* & Theudelinda regina *Modiciæ*, Diaconus *l. 4. c. 23.:* Reges Avstrasiæ *Metis:* Dagobertus ex iis *KirchemI,* non procul Argentorato, 3500 pass. Kocherspergio; (Ita enim avtor vitæ Divi Florentii Scoti: eo qvoqve tempore rex Dagobertus apud municipium tunc Troniam, qvasi Troiam novam, nunc Kircheim dictum, sibi domicilium fixerat; & Vadianus *l. d. apud Goldastum f. 49.)* cuius palatii rudera etiamnum conspiciuntur, & ex parte a rusticis habitantur, Crusius *l. d. Lib. XI, c. 5:* Rex Frisonum Radbodus circa A. D. DCCXV, in arce Medemelaca (hodie est Medenblicum, municipium maritimum Hollandiæ Borealis) Grotius *de antiq. Reip. Batav. c. IV, p. 26.* Apud Imperatores Francos, sev Tevtonicos, idem obtinuit. Certe Pipinus, regiæ domus Maior, principale domicilium in Colonia Agrippinensi eo loco, ubi nunc est monasterium S. Mariæ in Capitolio, habuit, teste Iordano Paderbornensi: interdum morabatur *Wormatiæ*, ut & Caroli, Magnus & Crassus, A. D. DCCCLXXXII: tenebat etiam *Palatium Treverense*, Maximiano & Constantio ante annos D habitatum: (fuerat enim etiam sub Ammiani Marcellini ævum Imperatorum sedes Avgusta ea Treverorum: unde eidem *lib. 15.* est domicilium Principum clarum: sub Friderico I *Secunda Roma* adpellata) qvod nunc domus Episcopalis est (eo forte prætextu, qvo Lateranum Romæ; vid. *Ep. 35. Adriani I ad Carolum Magnum apud Baron. annal. Eccles. ad an. 795. n. 7. & Centur.*

Eccles. VIII, c. 10.) & nomen palatii retinet, Pallast: Fr. Io. Scheckmannus *medulla rer. gest. Trever. c. 2.* Conradus Imp. A. D. DCCCCXIIX *Bodmenam* sive *Potamam*, ad lacum, inde Bodamicum, der Boden oder Bodmer-See/ dictum, sitam, qvanqvam regium palatium esset, destruxit: de qvo plura Goldastus *Notis ad cap. I, Eccardi iunioris, de casibus monasterii S. Galli, t. 1. Script. rer. Alemann. f. 180. 181.* Carolus vero Magnus *Aqvisgranum* regiam sibi constituit, & denominat successoribus perpetuam & *Caput Regni* sev *Galliæ trans Alpes* & *totius regni archisolium*, Wippo *in vita Conradi Salici Imp.* apud Pistorium *tomo I, Scriptor. rer. Germ. vet. f. 429.* exstatqve eius super illo negotio diploma apud Goldastum *t. 2. statut. & rescript. Imp. f. 6.* de cuius tamen fide dubitare me faciunt nonnulla, qvæ cuivis antiqvitatum gnaro & erudito Philologo, id legenti, occurrent; & hinc a Nithardo, eius ævi scriptore, ipsius Caroli M, e filia Berta, nepote, Angilberti filio, *prima sedes Franciæ* nuncupatur; & in hymno Ecclesiastico D. Carolo sacro, *urbs regalis, sedes regni principalis, prima regum curia*: Ottho Frisingensis *l. 5. Chron. c. 33:* Aventinus *l. 4.:* Petrus de Andlo *l. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 6.* ibiqve Freherus: Guntherus *l. 1. in Ligurin.* Eodemqve modo Ludovicus I, Caroli filius, *rex Germaniæ in Aqvensi palatio*, qvod avlam suam Aqvis semper haberet, vulgo & Scriptoribus sui ævi adpellatus est; *annal. Franc. sub a. 870*; ac Ottho, Henrici Leonis Saxoniæ & Bavariæ Ducis filius, contra Philippum Svevum, Henrici VI filium, in palatio Aqvensi Imperator electus & coronatus est; Gevvoldus *tr. de Septemviratu p. 66.* Etiam *Tiguri* palatium regium erat,

erat, in qvo freqventes Ludovici I & II: hodie vocatur Hof: Crusius *Annal. p. 2. lib. 1. c. 8. & lib. 2. cap. 7.* Vadianus *apud Gold. t. 3. rer. Alemann. f. 54.* locusqve eius arcis adhuc hodie eminens est, cum arbusto amœnissimo, & vocatur auf den Hof/ Schobingerus *ib. f. 147.* Civitates autem illæ, in qvibus palatia talia, *Metropoles* vocabantur, & seculo semibarbaro, qvo latina Lingva idiotismis Germanicis iam interpolabatur, *Salastadia*, Saalstädte/ vocula terminatione tantum Latina: item *villæ regiæ, regales* & *publicæ*: item *curtes regiæ*. Palatia vero ipsa posterioribus seculis *castra, castella, burgi*. Carolus Magnus *Vlmam* regalem villam vocat in Privilegio, dato Avgiæ maiori, in Reichenavia, insula lacus Bodamici, non procul a Constantia, exstructo monasterio, apud Erp. Lindenbrog *Chron. Caroli M, p. 252.* Dux Boiariæ, Thassilo, anno IↃC CLXXII convocavit concilium in villa publica, *Dingolvinga*, Velser *lib. 5. rer. Boic. p. 310.* Tales item erant: *Triburia* sub Henrico II, qvæ sub Conrado I palatium regium; conventu etiam generali ab Arnulpho Imp. habito celebris, Strabus *Annal. Fuld. anno* IↃC CCXCVII. & Rhegino Prumiensis, sub an. IↃC CCXCV, inter Oppenheimium & Moguntiam per Rhenum descendentibus ad manum dextram, hodie pagus Trebur/ ditionis Darmstatinæ, ad pagum Rhenensem pertinens: Freherus *Part. II, Orig. Palat. c. V*: *Francofurtum*, sub Ludovico II, an. IↃC CCLXXV, Rhegino *lib. 2. Annal.* Sub Carolingis vero maxime *Forchemium*, *Saletio*, *Reginoburgum*, Reganesburg & Radaspona: *Ann. Fuld. sub. an.* IↃC CCLII: *Flemersheimium*, *Heristallum*, *Ingelheimium*, & *Theodonis villa*, hodie Diedenhoven ad Mosellam fluvium: Pala-

n. V.

n. VI.

tium Theodenhove, Annalium Fuldensium avtori sub a. IↃc CCLXXXVI: *Leodium, vicus publicus*, Rhegino ad an. IↃc CLXIX: sub Henrico V villa regia *Northusum*: Vrspergensis Abbas *Chron.* de ea Synodo sub an. cIↃ CV: Goldastus *Const. Imp. f. 247.** Et eo conventa & *placita generalia* sev publica condicere solebant, h. e. Comitia, Concilia, Curias, Parlamenta, Synodos & Conventus generales Reip. cavssa decernere, (qvod plerumqve KL Mal fiebat annuatim, Schobingerus *Not. ad Vad. ap. Gold. t. 3. rer. Al. f. 132.*) & communi tractatu de communibus consulere rebus, (h. e. de legibus sanciendis) ut loqvitur Aimoinus *l. 4*: Henricus etiam IV, Rex Angliæ, ut habetur in charta magna, legem tulit: Communia placita non seqvantur curiam nostram, sed teneantur in loco aliqvo certo. In iis habebant *mallos* sev tribunalia sua & dicasteria; qva ratione Magdeburgum, qvia Cæsareum in eo palatium erat, cui post Burggravius præsedit, ob *ius Weichbildicum* ab Otthone Ruffo concessum, Goldastus *Collect. Constitut. Imp. t. 1. f. 215. & f. 225.* qvod & inde vicini populi non Saxones solum sed Bohemi, Poloni, Lusatii, Silesii petere solerent, ut e Cromero Matth. Stephani *lib. 3. p. 1. de Jurisd. c. 3. n. 28.* docet, der Höchste Dingstuel und Oberhof vocatur; Vide Goldasti *Prolegom. ad Collect. Consvetud. & Legum Imp.* Gryphiandri *tr. de Weichb. Sax. c. 80.* & passim. (Iustitiæ enim forum vagum erat, & qvod *itinerans* vocare posses, cuius exemplum in Anglorum *iustitiis errantibus* e Saresberiensis *Polycrat. l. 5.* apud Freherum ad Andloum *pag. 204. Iustitiariis itinerantibus*, apud Parisium *hist. Angl. f. 308.*

* *Annales Franc. Fuld. sub ann. IↃc* CCLXXXIV, *apud Freherum, tom. 1. Script. rer. Germ f. 46.*

n. VII.

515. & 822. in *Missis discurrentibus Imperatoriis*, ævo Caroli M, de qvibus sæpe in Legibus Langebardicis: in *Arcanis* Britannorum, de qvibus ex Amm. Marcellino Cambdenus *Brit. p. 645.* & in * *Circitoribus*, qvorum officium erat, circuire monasteria & recognoscere monachos, an in operis, vid. Goldasti *Not. ad Eccbardi Iun. Cas. c. 3. tom. 1. Script. rer. Alam. f. 186.* Seqvebaturqve palatium Imperatoris: qvo & *Scrinia Imperatorum viatoria*, in Iure Civili memorata, pertinent, uti & hodie Imperatori omnia iudicia patent, Sachsensp. *lib. III, art. 60.* qvia ubi Judex superior loqvitur, inferior taceat oportet, ut docuit Baldus:) In iis eligi & coronari volebant Imperatores; ibi etiam per dies festos pro devotione sua morabantur, & solennibus ceremoniis intererant cum celebri Comitum & Procerum tam regni, qvam *Consistorianorum* concursu; id qvod per qvinqve fere, a Carolo M, secula sancte ab Imperatoribus fuit observatum, & liqvet e qverimonia Henrici IV Imperatoris, ad Imperii ordines, qvam Otbertus, Leodiensis Episcopus, Epistolæ de vita eius & obitu inservit, ediditqve inter apologias pro Henrico IV Imp. Goldastus. *p. 223.* Etiam Frideri- *n. VIII.*

* Circitor, *qvi vigiles circuibat, gradus militiæ eqvestris.* Pancirol. l. 2. thes. c. 190. ex D. Hieron. *Eorum etiam erat, ad operas instigare laborantes.* Circa *est genus officii claustralis. vide Pet. Mauritium in statutorum Cluniacensium* can. 66. *Barthium l. 55. Advers. c. 10. qvi haud dubie fallitur. Scholaribus Portensibus hodieqve usitata est vox* Circkse/*qva corycæos & delatores suos significant, sine dubio inde à monachis eius loci reliqva, & facta e Latino* Circator *vel* circitor.

Fridericus I Imperator apud Haganoam in arce palatium exſtruxit e rubro marmore, ibiqve contra fures Cæſarea κειμήλια, Coronam, Sceptrum, gladium Caroli M, & alia ſervari iusſit: Fecit idem apud Cæſaream Lutram, juxta ſtagnum piscoſum & magnum: Münſterus *l. 3. c. 160:* e Bernh. Hertzogii *Chronico Alſatiæ* Cruſius *Annal. Svev. p. 2. lib. Lib. XI, c. 3. f. 443.* Suntqve etiamnum in oppidis Germaniæ vetuſtioribus, qvæ aliqvando Imperatores incoluere, * *Salarum regiarum* nomine ædes, Königliche Pfaltz / Königs Saale / Königs-Höve / Königs Stuhl / Königs-Huß apud *Boppardiam*, (ubi eligebatur Rupertus Palatinus Imp.) *Pragam*, *Goslariam*, Sylvius de Evropæ ſtatu ſub Friderico III, *cap. 24*, *Papæbergam*, *Merſeburgum*, qvarum ruta cæſaqve maieſtatem veterem teſtantur, & velut ſcintillas emittunt priſci ſplendoris. Eiusmodi ædium ſev *Salarum regiarum* ſingulare præter alia erat privilegium, qvod nullibi monetam cuiqvam cudere liceret, qvam in illis & coram qvaſi inſpectante Imperatore; qvia ius hoc maieſtatis eius oſſibus cohæreat. San-

* *E Saxonico Saale est Anglorum* Halle / *i. e. avla ſev Prætorium.* Wittehalle / *palatium regum Angliæ, pars Suburbii Londini, Weſtmonaſterii,* das weiſſe Schloß / *in qvo præter Comitia Parlamentaria, qvæ ibi ſæpisſimè habentur, fora iudiciaria conſtituuntur, & ſtatis temporibus cavſſæ cognoſcuntur, cum Iuris tum Patrimonii regii, & etiam Cancellariæ, qva ex æqvo & bono ſummum ius moderatur. Cambdenus* Brit. p. 333. *Richordus II diruto vetuſtiore exſtruxit, ſuæqve habitationi dicavit.* Gildehall / *avla Londini, qvaſi dicas avream avlam, cujus meminit Paris* hiſtor. Angl. mai. p. 943.

Sanciverat id de palatio suo Aqvisgranensi Carolus M, teste Ansegiso, *lib. III, cap. 13.* Arnisæus *lib. II de Jure Maiest. cap. ult. n. IV.* Sixtinus *de Regal. lib. III cap. 7. n. 18.* estqve inter LotharI I Imp. Capitularia, e Constitutionibus Caroli M collecta, & hoc: De falsis mo- " netis, qvæ in multis locis contra iustitiam & contra " edictum fiunt, volumus, ut nullo loco alio moneta " sit, nisi in palatio nostro; nisi forte iterum à nobis " aliter fuerit ordinatum. Sanciverant idem de turri Londinensi reges Angliæ, forte inde a Constantini M temporibus. Hic enim Londini officinam monetariam constituit; testes nummi eius reperti, in qvibus legitur: P. LON. S. hoc est, Pecunia LONdini Signata. Romanos avtem Imperatores, qvod Argentinæ, Treviris, Lugduni, Arelati, Aqvileiæ, qvæ & *Secunda Roma* nuncupata est, nummos percuterent, locis iis palatia sua habuisse, eoque solitos Comitia indicere, argumento est; & hinc Constantinus M. etiam comitia annua in urbe Arelatensi perpetuo habenda constituit, Goldastus *t. III Constit. Imp. fol. 1.* ac Notitia Imperii Occidentalis sex procuratores monetæ per Imperium Occidentale nominat; scilicet monetæ Scisfianæ (*Scisfia* urbs Saviæ, in Pannonia inferiore, Qvirino Episcopo & martyre nobilis, Marianus Scotus *Chron. lib. 2. æt. 6. ad an. Chr. CCCVII,* hodie Lablata vel Lublana, Loensis *misc. epiphyll. l. 5. c. 23.*) Aqvileiensis, anteqvam scilicet ab Attila A. D. CCCCLIII everteretur, vrbis Romæ, Lugdunensis, Alex. ab Alexandro *l. 4. gen. dier. c. 24.* e Strabonis *lib. IV;* Arelatensis & Triberorum, Pancirolus *ib. c. 37.* per qvos ultimos ego Treviros in Gallia Belgica intelligo. Fuit enim Treviris, sev co-

lonia Trevirorum, opulentisſima totius Belgii, etiam Clavdii Imp. principatu, Melæ *lib. III, c. 2.* Sub Conſtantino & Iuliano, nondum Cæſare, omnium transAlpinarum maxima, Zoſimo *l. 3.* (ἐςι ἢ αὐτὴ πόλις ἐν τρεβέροις, μεγίςη τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν) & *Cor Regni*, Friderico I Imp. ipſo ſic denominante, in edicto de Papæ Romani tyrannide & uſurpatione in Imperio apud Goldaſtum *t. 1. coll. conſt. Imp. f. 265.* Eos ſic imitati ſunt Imperatores, familia Carolina extincta, Saxones, Bavari, Franci, Svevi, & qvocunqve venerunt ad qvodcunqve palatium, ſev caſtrum Patrimonii regii, monetam ibi percutere iuſſerunt, vel iubere potuerunt: Docet hoc Sachſenſp. *d. l.* Conceſſæ etiam civitatum earum, in qvibus palatia Cæſarum, incolis variæ immunitates: e qvibus & illa *Goslarienſium* eſt, qvod non niſi in ipſo Palatio Cæſareo, in urbe, conveniri & ad extranea iudicia, ſev tribunalia, vocari non debeant; refert Cluten. *Syll. rer. qvotid.* §. *26. p. m. 95.* Gryphiander *tr. de Weichbild. Saxonum c. 60. num. 10: Aqvisgranenſium*, P. Beeck, *de Antiq. Aqvisgr.* & plerarumqve civitatum Germaniæ antiqviorum & Imperialium liberarum; qvarum *privilegia de non evocando* in tomis Symphorematum publice proſtant: facit huc & reſcriptum Henrici VII, ſuper hac eadem re, apud Goldaſtum *l. c. f. 318.*

Eminuit avtem, ſub Conſtantino M maxime, *Lateranenſe Palatium Romæ*; qvod qvin Favſtæ, ſupra dictæ, domus fuerit, nemo dubitare debet. Eidem Κυριακὸν, Dominicum, Baſilicam, ſev templum, iunxit pientiſſimus Imperator, rogatu Sylveſtri Pontificis, ut aiunt, nunc nomine S. Ioannis in Laterano, (qvo & via qvædam eſt hodieqve

dieqve Parisiis) olim Salvatoris & Constantiniana, Baronius *Annal. epitom. ad a. D. CCCXXIV, n. 19.* in qva contra Bonifacium electus est Evlalius, anno CCCCXIX: Platina & Rob. Barns. Eius origines e rebus Romanis altius repetam.

Domus *Laterani* in regione urbis secunda, sev Cœlio monte, locatur a Panvinio: iuxta eam, in ædibus avi sui AnnI Veri, educatus M. Antoninus Philosophus, teste in eius vita Capitolino: Educatus, ait hic, in loco, in qvo natus. Natum avtem in monte Cœlio in hortis prodiderat ante. Cœlius avtem mons, adpellatione mutata, a Tiberio (cavssam leges apud Svetonium *cap. 48.*) Avgustus vocari iussus est, non sine præsagio futuri ibidem aliqvando Imperialis Palatii; id qvod sub Antoninis evenit, qvi cum successoribus suis eundem relicto Palatino, qvi ruinis iam deformatus erat, inhabitaverunt. Denominavit eam domum e gente *Plavtia Laterani*, præterqve alios ex hac qvidam Avlus, consularis & Patricius, Clavdii imperio missus in Britanniam, eiusqve insulæ magnam partem subiugans, homo prædives, & vel solis ædibus hisce egregiis, uti adpellat Iuvenalis, *Sat. X. v. 17.* nobilis pariterqve infelix, invidia apud Principem coorta. Zonaras, *t. 2. f. 103.* vocat Ἄυλον πλάυτιον: Ita enim H. Wolfius edidit. Eius, de coniuratione suspecti per delatores sibi redditi, occisiqve, bona & domum hanc fisco adscripsit captator hereditatum pingvium ab intestato Nero, Tacitus *Annal. XV.* Oppido qvam futile est, & ex ἀνιστορησία deliroqve fabularum studio, qvod seculo barbaro, omnisqve elegantiæ rudi, veritatem historicam pleramqve interpolavit, natum, *Lateranum* inde dictum

eſſe, qvod Nero dedecoroſe potionibus uſus maleficis, illic (vt fertur) *latens ranas* evomuerit ; qvod ita perſvaſum fuit ante hos D annos Ruperto, Abbati Tuitienſi iuxta Coloniam Agrippinenſem, ut ex eius *l. IX de Divinis officiis cap. 16.* conſtare poteſt: cui ut promtum eſt errorum contagium, eadem tibia ſuccinuere & alii tenebrarum ac barbariei magiſtri, indicante Dominico Tuſcho, Cardinali Romano. Hic enim *Practicarum Concluſionum Juris, tom. 5. L. concl. X* ita: *Unde dicatur Eccleſia Laterana ponit Rebuffus in gloſſis Concord. tit. de approbatione Conventorum, in princip. p. 50. ubi ex Alberico ; qvod qvaſi latens rana, qvam ibi evomuit Nero, qvæ amplius viſa non eſt; & putat ipſe Rebuffus, Neronem ibi evomuiſſe Diabolum in ſpecie ranæ, qvæ disparuit.* Nugæ gerræqve inficetæ, & qvas non impune qvis ferat ab hodiernis Eccleſiæ palatiiqve Lateranenſis ſive dominis, ſive miniſtris: qvin & miror ego Tuſchum, qvi nuperrime devixit Romæ, vel cenſuram Eccleſiaſticam ideo non incurriſſe, vel obelos & ſtigmata Expurgatorum librariorum non ſenſiſſe, qvi ex malæ notæ avtoribus (Ruperti enim libros *de Divinis officiis* non adeo probat Eccleſia Romana, & refutat ex profeſſo, tanqvam alicubi hæreticos, Bellarminus *l. I, de Sacram. c. VI, & Lib. III, cap. XV* : Albericus vero & ipſe ſuſpectus eidem eſt exoſusqve, qvod fuerit inter favtores Imp. Ludovici IV, Contumacis & hoſtis ſui) frigido cavillo in ſedem ſacram Papalem ſic fuerit occaſio, curioſa etymi ꝙ Lateranum relatione, qvod ſupprimi &

n. IX. expungi oportuit. Cognomen hoc Lateranorum *Sextiliæ, Plavtiæ, & Clavdiæ* genti familiare erat, ut eſt in tabulis Capitolinis, memoraturq; anno V. C. DCCCXLVI

conſul

consul, cum L Nonio Asprenate, M Sextilius Lateranus, & post anno Iↄc CCCVI alius Ἐυλώνυμος, L Ælii Veri Commodi collega. Clavdius etiam qvidam Lateranus anno V. C. Iↄc CCCL, (Gvil. Blanco, Xiphilini metaphrastæ, est *Laternus*, non dubito, qvin corrupte) qvem cum aliis Severus Imperator ditavit memoratu dignis ædibus, qvarum præcipuas videmus, Parthorum, qvæ vocantur, & Laterani, inqvit S. Avrelius Victor. qvi paulo post Theodosium M vixit, & nosse potuit, si Constantinus M Pontifici Romano illas cessisset, qvod volunt Pontificii, & de qvo iam. *n. X.*

Inter donaria, a Constantino M Papæ facta, memorantur etiam *ædes Lateranæ*, sedes Imperialis, in qvibus Episcopium, sev sedes Pontificia, Imperatoris indulgentia, vel a Miltiade inde, ut ex Optato Milevitano vult Baronius *ad an. 313. num. 6.* vel a Sylvestro fuerit usqve ad Stephanum II, sub cuius Papatu A. D. DCCCXCIII corruere totæ & adsolatæ sunt, excepto Sanctuario: & hinc Pontifices Romani, cum nondum sibi conscii essent omnipotentiæ ac maiestatis suæ, titulo *Lateranensis Episcopi* contenti erant, angusti ruris tum coloni. Celebrata etiam in iis diversis temporibus Concilia. Possevinus qvattuor enumerat Concilia Lateranensia & totidem Synodos, *Adparatus Sacri tom. 2. f. 8.* Primum qvidem sub Martino I, contra Monotheletas, Pyrrhum scil. Constantinop. Episcopum, A.D. Iↄc XLIX, & post restavratis iisdem sub Nicolao II, A. D. MLIX, cum Pontificis electio libera in Presbyteros cardinales est translata: sub Alexandro II, A. D. MLXV: Sub Paschali, A.D. MCXVI: sub Cœlestino II, A. D. M CXLIV: Adrianus II circa

A. D. Iↄc CCLXVII electus, ad Lateranenſe Patriarchium certatim a clero, proceribus & plebe deportatus eſt, ut habetur *Diſt. LXIII, cap. cum Adrianus* : Leo etiam VIII, depoſito Ioanne XII, tertio acclamatus Papa, ad Lateranenſe Palatium deductus erat , ſecundum conſvetudinem, Luitprandus *l. VI, c. 11.* h. e. humeris & manibus exceptus, & e Patriarchio Lateranenſi Bullam, ſev Senatus-Conſultum, qvo Imperatori Otthoni omnia iura regalia, hactenus male uſurpata , inveſtituras etiam Epiſcoporum, reſignarat Clerus Senatus Populusqve Romanus, qvodqve exſtat apud *Gold. t. 1. ſtat. Imp. f. 36. 38.* item *t. 1. Conſt. Imp. f. 221. & ſeqq.* & de qvo in Replica pro Imp. adverſus Gretſerum *c. 30.* & in *Ep. dedic.* Reichsh. promulgavit. Ipſe etiam ex-Papa Ioannes XII factione civium & clientum cognatorumqve ope reſtitutus, ac reverſus in urbem, Synodum in Laterano habuit contra Otthonem & Leonem, teſte Sigiberto Gemblacenſe *in Chron. ſub ann.* Iↄc CCCLXIII: Baronius ad an. Iↄc CCCLXIV, *n. 2.* Tenuit etiam Hildebrandus, ſev Gregorius VII, ann. D. cIↄ LXXXIII, & Vrbanus II. Teſtes eius literæ de monaſterio Blavbyriano A. D. cIↄ XCIX, & Paſchalis A. D. cIↄ CI, de Alperspachenſi e Lateranis datæ: donec ſub Clemente V, A. D. cIↄ CCCVIII fortuito incendio corrumperentur, teſtibus Volaterrano, Platina & H. Steronis annalium continuatoribus apud Freherum *t. 1. Rer. Ger. f. 406.* refectionem tamen urgente Pontifice, & Avenione ingentes pecunias ad hoc deſtinante; qvæ fata ædium Papalium fecere , ut in Vaticanum tandemqve S. Angeli caſtrum ſecederent, qvæ in hoſce uſus purgari, renovari, & communiri fecerat, circa A. D. cIↄ cccc Bonifacius IX.

Sixtus

Sixtus tamen V ante hos XXX annos palatium, instavratum a fundamentis, adiecit templo S. Ioannis in Laterano, exspectans scil. si qvis Imperatorum ab ipso coronari peteret. Solebant enim Imperatores Romani olim, ut Lotharius a Pontifice Innocentio II, A. D. MCXXXIII, & Henricus VII, ut testatur ipse in Epist. ad Abbatem Waldsassensem, Io. de Elnbogen, apud Goldastum *t. 1. statut. & rescript. Imp. f. 94. & t. 1. Coll. Const. Imp. f. 320*; & avtorem *magni Chron. Belg. f. 287.* in hac basilica coronam avream a manu Pontificis vel Cardinalium legatorum accipere, qvod post in Basilica D. Petri Vaticana fieri consvevit, ut didici *e P. de Andlo*, & e Pontificali sev *Romano Ceremoniali, lib. 1. S. 5. c. 3.* Imperatores Byzantini *Palatium Ravennate* suos Exarchos, qvibus etiam ius confirmandi PapamRomanum, a clero & populo electum, commiserant, habitare voluerunt: & hinc Isaacius, Italiæ Exarchus, iussu Imperatoris Heraclii, A. D. IↃcXXXVIII, electum a populo & clero Romano Severinum cum primatibus palatio Lateranensi eiecit, expilavitqve eiusdem episcopii vestiarium, qvod non exspectata Imperatoris ἐπικυρώσει sev confirmatione eum in sede constituissent, iuribus imperialibus factam fravdem ita vindicans, & Lateranum inter res Dominicas esse docens. Paria huic fecit Calliopas in Exarchatu Olympii, cum Martinum Pontificem, palatio Lateranensi extractum, captivum Imperatori CPli sisteret A. D. IↃcLI. O parum potentem (liceat mihi dicere cum Papyrio Massono) illa ætate Romanum Pontificem! Montacutius *Antidiatr. f. 160. b.* Sed & postea Imperatores Germanos palatium illud Lateranense vindicasse sibi (& qvid æqvius, qvam ut, *n. IIX.*

qvæ

qvæ ſunt Cæſaris, acciperet Cæſar, Romamqve teneret?) inde qvis colligat, qvod præfecerint ei qvendam comitis titulo, cuius ſingulare officium erat *Imperatori, in conſecrationis & unctionis* (qvæ poſt ab Hildebrando, ſev Gregorio VII, in inveſtituram & ſupremi Dominii ius, larga nimis & falſa interpretatione, transformata eſt, circa a. D. cIↃ LXXX, & ab Adriano IV, circa A. D. cIↃ CLVIII, in beneficium ſev fevdum; Aventinus *l. 6:* Ottho de S. Blaſio *adpend. ad Friſingens. c. 8:* & Radevicus *l. 1. de geſtis Frid. I c. 10.*) *actu adſiſte-*
n. XIII. *re ac miniſtrare:* qvod ſub Germanis demum Imperatoribus, ſi qvi a Papa conſecrari vellent, moribus ſcilicet Pontificum * apotacticorum apoſtaticorumqve potius, qvam Apoſtolicorum, vertentibus, & facilitate Imperatorum, ne dicam ſocordia atqve ignavia, uti loqvitur Ludovicus IV Imperator, *in edicto, contra Ioannis XXII proceſſus publicato* in Comitiis Ratisponæ, A. D. cIↃ CCCXXIV, menſe Avguſto, invaluit; eodemqve modo Papæ, incubatores Imperii, qvam diu Lateranum poſſederunt, hoc ſibi ius uſurparunt, *Comitatum Lateranenſem* pro perſvaſione *αὐτεξουσίας* ſuæ & cerebrina plenitudine poteſtatis conferendi qvibus vellent, & Comites eiusmodi ſive officiales ſive honorarios & codicillares per Bullas privilegiis certis ſibi devinctos, ita creandi, ne qvoqvo modo Imperatoribus inferiores eſſent, & titularis huius collationis

* *Elogia hæc ſuggeſſit mihi Gilb. Genebrardus, monachus ord. D. Bened. Theol. Pariſienſis, & Prof. Hebr. Litterarum, cui de Papis, inter A. D.* IↃc CCLXXXII *&* cIↃ LV, *iſta extorſit veritas.* Capp. lib. de art. Rom. ſed. p. 16. *Apotactici Patres Genebrardini: Montacutius,* Antidiatr. 6. f. 93.

tionis poteſtate aliqvando ſibi totius Imperii regibus Romanorum conferendi ius arrogarent, ita creandi: & maxime per iniqva ea tempora, qvibus Imperatores Romani Italia omni exuebantur, excommunicabantur, & pro vaſallis hominibusqve Iovis Latiaris habebantur; experti id Henricus IV, Lotharius, Fridericus I, Philippus, Ottho IV, Fridericus II, aliiqve. Et *Comes* eiusmodi *Pontificius* ſine dubio e Cardinali epiſcopo, Cardinali presbytero, ſive Diacono Patriarchii Lateranẽſis, cuius officiũ erat in Baſilica Lateranẽſi Papæ miniſtrare, unde & *Diaconus *Palatinus & Baſilicarius* vocabatur, teſte Panvinio, in Interpretatione *obſcur. voc. Eccleſiaſt. voc. Diaconus*, formabatur, e ſpirituali & Eccleſiaſtico, fiens tẽporalis & ſecularis, ut multa in curia Romana novata, antiqvata multa ſemper e *κακοζηλία* & inepta imperii eiusqve dignitatum & officiorum adfectatione, qvaſi Eccleſiam eo modo, qvo videmus regi Respublicas, regi oporteat, & ea ſplendore indigeat eiusmodi, qvo mundi huius regna; cum tamen avtoritas Eccleſiæ Apoſtolicæ ac primitivæ etiam in ſumma egeſtate ſumma fuerit; *fuerintqve tum avrei ſacerdotes, cum lignei eſſent calices*, qvod olim Wunefridus Anglus, qvi poſt Bonifacius dictus eſt, Germanorum Apoſtolus & Epiſcopus Moguntinus reſpondit: Vadianus apud *Gold. t. 3. rer. Alem. f. 3.* Sed Ludovicus IV iniuſta poſſeſſione etiam hac (*perpetua enim manus iniectio eſt Domino in bona, de facto ſubtracta & detenta, reiqve, alienari probibita*, *Papa non potuit eſſe capax.* Ecco de Rep-

n.XIV.

n.XV.

D kav

* *Apud Romanos olim* Palatualis flamen *conſtitutus, ad ſacrificandum DEAE, in cuius tutela Palatium. Feſtus* l. 14. *Varro* Palatuam *vocat*, l. VI, *Al. ab Alexandro* lib. VI, 12.

kav glossa Iur. Saxon. *ad l. 3. art. 63.* & qvod contra leges accipitur , per leges dissolvi meretur) mascule deiecit Ioannem XXII, revangata adsertaqve Imperio pleraqve Italia, & urbe Domina ipsa, (felicior sic constantino IV, qvi Romam sibi reddi popofcerat; Sabellicus *Ennead. 8. l. 8.*) palatioqve suo Lateranensi præfecit , & ab eo comitem denominavit Castrutium Lucensium, Pistoriensium, & Volaterranorum Ducem, vicarium suum & Senatorem urbis, deditqve ei & concessit (fide Diplomatis, qvod ex A. Manutio Freherus ad *Andlo*, & in adpend. *tomi I Script. rer. Germ.* lavdat) Comitatum Sacri Palatii Lateranensis, qvem ad Fiscum Imperialem, & Sacrum Romanum Imperium iustis & legitimis de cavssis devolutum & adplicatum pronunciavit & declaravit; fecitqve idem in Privilegio de Bergomo, concesso Forestariis, A. D. cIↄ CCCXXX, qvos Comites Palatinos creavit cum exceptione & immunitate onerum; cum similes I-
n. XVI. taliæ Palatinos etiam sub Friderico I, Imperatoris benefi-
n. XVII. cio, extitisse non ignoraret; ne qvid dicam de Odalrico, qvi sub Henrico Avcupe Italiæ Palatinus creatus sedem, in castello Imperiali Lunello adsignatam, possidebat. Et hic Ludovici αὐτοκρατορικὸς, & vere Imperatorius actus, origo fuerit eius (de qva hactenus varie dubitatum est; in qvam tamen inqvisivisse, non est habendum pro frivolo, cum sit aliqvota pars Iuris publici, qvod ignorari nefas) dignitatis, qva ad instar constitutorum ab Imperatoribus *avlæ, palatii, sev curiæ magistrorum, rectorum, Decurionum, custodum, gubernatorum, Præfectorum, Comitum regiæ Domus, sev maiorum, castrensium Sacri Palatii, sev Castrensianorum* (tot enim nominibus diversis secu-
lis

lis vocati ſunt, qvi in avla Græca *Curopalatæ* ſev *miniſteriales* extra cubiculum, in palatio imperantes curantesqve, ut palatium Imperatoris rite inſtructum eſſet & ei oportune ſplendideqve miniſtraretur: de qvo officio elegantiſſimus locus eſt apud Caſſiodorum *VI Variar. in form. Comitis Patrimonii) honorarii Comites Palatini* hodieqve creantur & variis privilegiis tenore Bullarum Imperatoriarum ornantur; hoc tamen diſcrimine, qvod Oldericus ille, qvem Henricus Avceps Italiæ Palatinum conſtituerat, & qvi A. D. cIↄ CCXX Romaniolæ, ſev exarchatus Ravennatis, Comes erat, nomine Gothefridus: item Foreſtarii a Ludovico IV *cum Imperio* in officio conſtituti eſſent; Caſtrutius vero dignitatem Politicam, *iurisdictionis expertem*, ſub comitiva Palatii Lateranenſis, ut e diplomate laudato conſtat, acceperit. Et ſi qvid video, honorarii eiusmodi Comites Palatini fuere XII illi coniuncti proceres, *Dodici Baroni e Peri di Francia chiamati Paladini*, Io. Villano *hiſt. l. 2. c. 11*, (memorantur Rolandus, Oliverius, Rinaldus, Anſelmus, Narnus, Eggibardus, reliqvi: videatur Mutius *Chron. Germ. lib. VII, f. 55*: Don. Acciaiolus in vita Caroli M, & Gryphiander *tr. de Weichbild. Saxon.* qvi contra vulgi circa Rulandum hunc fabulas, e Pſevdo-Turpino nugatore havſtas, erudite multa) qvi Carulo M in expeditione Saracenica adfuere: & illi qvos Fridericus II Imperator in bellis cum Pontifice & Gvelfis *ſibi fideles, primos ſuarum partium ſocios, Valvaſores* nominavit, maxime Mediolani; qvos Petrus de *n. XIIX.*
Vineis, ſev Vinenſis, Imp. Frid. II conſiliarius intimus, eruditione & facundia illis temporibus incomparabilis, Mutius *Chron. lib. 20.* (Goldaſtus *Ration. t. 2. ſtatut. & reſcript.*

ſcript. Imp. f. 394. vocat eiusdem Cancellarium) *felices fideleſqve regni milites & collaterales Principis* vocat *l. 2.*
n. XIX. *Ep. I,* e qvibus generoſos *Comites de Turre* reliqvos eſſe, qvis inde colligat, qvod hi & de Valſaſſina cognominentur, & titulis ſuis etiam hunc adponant, *Cæſarei Comites, Palatini hereditarii,* Henninges *in Theatro genealog. t. 1. f. 1113.* Vt enim illi Comites Palatini dicebantur καταχρηστικῶς ſev abuſive, qvia procerum ſummi erant, & a rege proximi; & hi qvod valvis Dominicis adſiderent, ut cuſtodes corporis eius: videantur Scriptores rerum Italicarum Bern. Corius, Saccus Ticinenſis, Scardeo Patavinus, Blondus Foro Iulienſis & Pancirolus *theſ. var. lect. l. I, c. 88.* Ita Comites Palatii Lateranenſis ſev avlæ Cæſariæ inſigniti, qvod eidem ſerviant munere ſuo publico, & ſi Imperator velit, eidem adeſſe, ut Prætorianis, ipſis liceat. Ipſe etiam Carolus IV, ſev Lücelburgicus, Ludovici ſucceſſor, Lateranenſe palatium inhabitavit, cum pro coronatione obtinenda moraretur Romæ (qvod & ſuo tempore conſveviſſe Imperatores Romæ coronatos, meminit P. de Andlo *l. 2. c. 6. p. 97.*) ut probant litteræ, qvibus iura Eccleſiæ a prædeceſſoribus conceſſa adprobat, innovat, confirmat, ut e *privilegiis Eccleſ. Rom.* fide ſua recitat Bzovius *annal. Eccl. t. 14. ad ann. 1355. n. 7.* qvo tamen ipſo ſuæ maieſtati iniqvior, Pontifici iuſto æqvior, dum optime geſta Ludovici retractaret, exoſſavit, eviſceravit & diminuit Imperium; unde & vulgari Germaniæ cavillo *Presbyterorum* ſev *Sacerdotum Imperator*, der Pfaffenkeyſer vocabatur, teſte etiam Italo Villano
Avent. l. VII hist. Boic: *l. 12. c. 105.* & Pap. Maſſono in Clemente VI; & ob hanc de alieno liberalitatem male apud Maximilianum I avdiit:

diit:

diit: cujus de eo elogium heic non recito, qvia in vulgus notum est.* Et hoc Pontifici placendi studio factum esse arbitror, ut ea, de qvibus Castrutium super Comitiva Palatii Lateranensis investiverat Ludovicus, ipse Bartolo de Saxoferrato ICto, & Io. Amadio Consiliario suo secreto, qvibus Comitivam Palatinam conferebat, A. D. cIↃ CCCLXIII, III KL. Iunii, non concesserit, qvod sciret acta Ludovici in Italia haberi pro sacrilegis; sed longe alia enumerantur concessa Amadio Comiti iura, qvibus hodierni mores exacte respondent, re vetere amissa, manenteqve dignitatis nomine solum. Et hoc verissimum Comitivæ Palatinæ honorariæ huius & inter literatos initium est. Lectu dignissimæ sunt, & huc maxime faciunt, literæ Friderici III, super Comitiva Palatii Lateranensis, avlæ Cæsariæ, & Consistorii Imperialis (ita enim conceptæ sunt eæ, & ad earum tenorem forte etiam formantur illæ, qvæ hodie Comitibus Palatinis Cæsareis ex avla Imperatoria dantur) Io. Reuchlino artium & LL. Doctori datæ Lynzii, XXIV Octobris, A. D. cIↃ CCCCXCII. Continent eæ præter collatæ Nobilitatis insignia, tria potissimum Iurium, qvibus gavdeant Comites Palatini, genera, scil. creandi tabelliones, legitimandi spurios & Doctores decem promovendi concessam & delegatam potestatem.

Arum. Disc. ad A. B. 1. th. 3. *post alios multos.*

**Recitat Iac. Spiegelius* comm. in l. V Gunth. Ligur. *n. XX.*

Palatium Lateranense tale fuit olim per diversas Romæ urbis ætates, & tales eius comites, qvantum eius rei obscuræ e monumentis eruditorum eruere potui: hodie *heredium est Papale* (habitatio dæmonum, Fridericus I Imp. in edicto de Papæ Romani tyrannide & usurpatione in Imperio reprimenda, *apud Gold. t. 1. Const. Imp. f. 265.*

f. 265. & antiqva probra ſpurci Neronis accuſat, ut ait Rupertus Tuitiẽſis Abbas *l.d.* qvi ibi Diabolũ evomuit in ſpecie ranæ, ut Rebuffus loco ſuperius adducto loqvitur: *ſedes neqvitiæ, obſcæniſſima ſentina flagitiorum, ſchola errorum, fons dolorum, carcer tartareus, immaniũ ſpelunca latronum)* & patrimonio Sam-Petrino conſolidatum, non amplius inter Domania Imperatoris & bona Fiſci. Viderint ergo ii, qvi ex Orthodoxis Lutheranis eius Palatii comites avdiunt, cuius rei charactere notati ſint, & a qvo ſe denominari velint. Certe odio Papæ plenus non eſt, qvod B. Lutherus diſcipulis ſuis γνησίοις, e Pſ. CXXXVIII, 20. teſtamento in curru confecto, cum A. D. cIↃIↃ XXXVII Smalcaldia e calculi doloribus æger aveheretur, legavit, ſed clavdicantium inſtar ἀμφοτερίζει, neqve caret ſcrupulo occultæ ſocietatis, qvi titulos Babylonis Occidentalis & purpuratæ illius meretricis pompam, ad qvam toto pectore cohorreſcere debebat, adfectat, neqve ſatis cavtus, qvi eosdem ſibi conferri ſinit, impius qvi de collatis gloriatur, qvaſi acceptis hiſce Papæ crepundiis multo ſit venerabilior, ſic ſecum grave qvid inepte cornicans. Politici, qvi hoc honoris avctoramento, forte etiam ob merita in Rempublicam, a Cæſarea Maieſtate decorati ſunt, hoc ſane avdient. Qvoniam vero Palatium Lateranenſe in manus Pontificis venit, vere honorarii tantum eius Palatii comites erunt, ſimiles fere illis *Epiſcopis, qvi ſe ſcribunt de locis in terris Turcarum,* verbo Baldi *in l. un. C. de nudo Iure Qvirit.* in ſumma egeſtate prolixam honorum paginam, & genus ab Evmolpo inde iactantes, e qvalium grege feſtive deſcripſit Lugduni Batavorum ſibi oblatos tres Græculos πτωχαλάζονας

Habet hæc Petrarcha, ipſe Pontificius, de ſede Pontificali Avenione, in Epiſt.

χαζονας elegantissimus Rutgersius *l. 2. var. lect. c. II.* Sed illis, qvo se tueantur, non deest. Veteris nimirum Domini memoriam in honorario illo Comitivæ Palatii Lateranensis titulo conservari, & Sacratissimos Imperatores vel sic sibi vindicare postliminio, qvod iniuste hactenus a malæ fidei possessore, qvi nullo tempore præscribit, detinetur, utut Pontificii *indignum esse* clamitent, *in Ecclesiæ capite longa annorum serie firmata privilegia in qvæstionem vocari; cum aliorum principum iura præscriptione longi temporis corroborata in controversiam non adducantur.* Et qvi avgustissimi Domini ac Imperatores tale qvid non possent cum Palatio Lateranensi? cum e subditis etiam *is, qvi actionem habet ad rem aliqvam recuperandam, rem ipsam habere videatur, l. Qvi habet D. de reg. Iur.* Theologi, si qvi eius palatii comites avdiunt, vix de fœdo ambitu se excusabunt; ne qvid dicam de grandi suspicione καλλακοπαπίας, qvam de se publice sic concitant. *Compatibilesne enim qvalitates sunt Episcopa & comitiva?* altera enim baculus Aaronis, altera gladius Nimrodi est. Deinde etiam civilis ratio svadet, *singulis personis singula officia esse committenda, cap. I. Dist. 89. c. cum singula. De præbend. lib. 6. & l. nemo C. de adsessor.* nisi sint subordinata. Ea enim non pugnant, neqve eorum unum excludit alterum: & D. Petrus Clementem Papam destinatum summo studio niti debere monet, ne *in ulla occupatione mundialis officii prorsus inveniatur, cap. Te qvidem II, q. 1.* qvod Pavlus relatus in *c. 1. ne cler. vel monach.* ita effert: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus 2. ad Timoth. II:* inter qvæ, qvin dignitas hæc Laica, Comitiva sit, nemo dubitat. Et cum n.XXI.

officia

officia ſacerdotis ſint avt aliqvid a Deo diſcere, avt populum docere, avt orare pro populo, uti enumerat D. Hieronymus, *Comment. ad Levit. c. VIII*, vel ut B. Wolkuinus, Abbas in Sittichenbach, prope Islebium, *homil. in Evang. Matth. de Zizan. & trit.* loqvitur, cum qvattuor ſint, in qvibus Epiſcopus tenetur ſubditis; *exemplum bonæ converſationis, pabulum ſanctæ prædicationis, & temporalis ſuſtentationis; diligens executio officii & ſuffragium devotæ orationis*, cui fini, qvæſo, in qvocunqve horum Palatina ea dignitas? Dehortatur etiam Servator ipſe, dum *Luc. XXII, 25: Reges gentium*, ait, *dominantur ipſis & po-*
n.XXII. *tentes eorum* (in Græco eſt οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, βασιλέων ſcil. non ἐθνῶν, qvod non animadvertit interpres Latinus; h. e. regum Dynaſtæ, proceres in avla potentes & conſpicui:) *Benefici vocantur:* (Erat nomen dignitatis avlicæ apud Perſas, vocari *Oroſangas* h. e. Ευεργέτας ſev *Beneficos*, qvi regem inſigni beneficio demeruiſſent, vel etiam pro regni ſalute notabile qvid feciſſent; ad qvem morem heic alluditur) *vos avtem non ſic.* Interdictum hoc Chriſti hanc habet vim, inqvit CL. Berneggerus, Hiſtoriarum in Academia Argentinenſi Profeſſor celeberrimus, Mathematicus & Philologus eximius, *ad Svetonii Titum c. 8. n. 4.* qvod Apoſtoli nec dominatum cogitare regium, nec adeo nomina dignitatum, qvæ ſatrapis in avlis tribuuntur, ambire debeant. *Qvomodo*, pergit, *Sacris illis hominibus*, qvi *Palatini comites avdire volunt ac alia typhi avlici nomina ὡς λόγοι κεχηνότες captant, cum hoc mandato Chriſti conveniat, ipſi viderint.* Inſignis fuit modeſtia Iacobi Bordingi, ICti Roſtochienſis & Conſiliarii Megapolitani, qvi oblatam ſibi a Rudolpho Imp.

in Comitiis Avgustanis A. 1582. Palatii comitivam submisse deprecatus est, & ut in Decanum Collegii Iuridici in Academia Rostochiana ea transferretur, impetravit, *Kirchmannus in Orat. eius funebri,* & Lansius *Comm. de Academ. p. 75.* Qvam sollicite caverunt Synodi Carthaginiensis Patres, ne fastuosa nomina in Ecclesiam introducerentur, etiam *Exarchi* adpellationem longe modestissimam expungentes & generaliter eiusmodi voces omnes, *Primi Episcopi, Capitis Ecclesiæ Christianæ & reliqvorum Episcoporum,* qvem titulum Bonifacius III, primus ex Anti-Christis, a parricida Phoca impetravit primus, *Primi omnium Sacerdotum, Principis Episcoporum, &c.* damnarunt; & qvo animo eos laturos putas, si hodie conspicerent Ecclesiarum antistites neqve titulis talibus, qvos nec superlativo exprimere possumus, si qvidem tumori ipsorum satisfacere velimus, esse contentos, sed & non abstinere ab illis, qvi procerum, regnorum, avlarumqve & dominorum seculi proprii sunt? Graviter D. Bernhardus ad Evgenium III, Pontificem Rom. *lib. I, de considerat. Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro. Blanditur cathedra? specula est: inde superintendis, sonans tibi episcopi nomine non dominium, sed servitium sev officium:* Qvid vero hic si Comitem avdiret Episcopum? Et qvia notum est, qvantas turbas in Ecclesia Dei dederint illæ inter Patriarcham Constantinopolitanum Ioannem Ieiunatorem & Cyriacum, ac Episcopum Romanum contentiones, de πρωτεία & ambitio; & qvod unico hoc Satan suæ in totum orbem, in Reges & Principes, in miseras omnium hominum conscientias tyrannidis iecerit fundamentum; qvam calamitatem a D. Paulo *in 2. ad*

Theſſalon. prædictam, & a S. Ioanne *in Apocalypſi* qvaſi digito monſtratam, mature prævidere etiam nonnulli, Gregorius ſcilicet Nazianzenus, qvi pluribus in hanc rem qveritur *in Orat. poſt reditum ſuum in urbem*, Pelagius II & Gregorius I, qvi Ioanni Conſtantinopolitano, ſe *Oecumenicum* ſev *univerſalem* vocari contendenti, *Antichriſti præcurſori hanc adpellationem convenire* reſcripſit *l. 7. Epiſt. XXX* ad Evlogium Alexandrinum, contra ſuam ipſius ſedem vates ita factus; & qvod animi demiſſio, ſimplicitas, manſvetudo, modeſtia, opum honorumqve & vanæ gloriæ contemtus illos maxime deceat, qvi ad cœleſtia vita & doctrina duces nobis eſſe debent ac volunt, qvis faſtum, ambitionem, ſplendorem & titulorum tot phaleras in eo hominum genere, in qvo nihil eſſe debebat qvidqvam, ſine ſtomacho ferat, ſine offenſione intueatur vere Chriſtianus ? qvis non ingemiſcat cum ſuperbiæ deteſtabilem beſtiam usqve ad ſedem Apoſtolicam reptaſſe videt, ut reſpondit Fridericus I Imperator Hadriano Romanæ Eccl. Pontifici, qvæſtionem moventi de eo, qvod Imperator in litteris ad Pontificem miſſis nomen ſuum eius nomini præpoſuerit, apud Goldaſtum *t. 1. Coll. Conſt. Imp. f. 263.* & Mutius *l. 18. Chron. f. 146.* Spiegelius *Not. ad l. 6. Günth.* In inſtrumento Donationis Conſtantinianæ, Imperator etiam hoc ſancire pertenditur, (fide editionis Græcæ, qvam e Bibliotheca Regia Bulengerus, Theologus Gallus, retulit *l. de Imp. Romano,*) eum qvi lectus ſit clericus Romanus a nemine impediri poſſe, qvo minus ſit & ſenator. Peream, niſi nugoni huic, qvi id confinxit, & cleri Romani adulatori ſimiles illi, qvi profeſſione officioqve Theologos a nemine impediri poſſe volunt, qvo minus

sint comites Palatini & Eqvites avrati & Cives sive Patricii Romani , & tot villarum denominationibus illustres Satrapæ. Itane sordent terrena hæc illis cœlestium præconibus? Tandem, qvia Palatium Lateranense avlam Cæsariam expressit antiqvis moribus; & inde etiam sedes regia sive Palatium Aqvisgranense *Laterani* cognomen meruit, apud Ansegisum Lobiensem Abbatem *in Legibus Francicis*, perinde ut urbs ipsa Aqvisgranum, apud veterem versificatorem, æqvalem & γνώριμον Caroli M, sive Alcuinus is est, sive discipulorum eius aliqvis, Ferium Helpericum vocat Barthius *l. XXXIII Advers. c. VIII. & l. XLVI, cap. 2.* carmine de congressu Caroli & Leonis Aqvis facto, *Secundæ* & *Novæ Romæ*, a Carolo M accepit; *Gold. in Ration. ad tom. 2. statuit. & rescript. Imp. f. 386.* qvi propterea *novus Constantinus* ab Adriano Papa non vane adpellatus est: hodiernis vero avla Cæsaria Palatium id Lateranense refert, videntur entia præter necessitatem multiplicare illi, qvibus comites Palatinos esse sordet, nisi Comitivam Lateranensem superadsueris: qvod enim per se sufficit, non eget alterius accessione, *Tholoz. l. VI de Rep. cap. II.* Festivi vero homines, sed & ridiculi suo typho. Digni qvibus qvis ita, ut Franciscus I Rex Galliæ, qvanqvam is intempestive Carolo V longos titulorum elenchos suis ad ipsum litteris prætexenti, illudat. *Piccart. observat. Hist. Polit. Dec. IV. c. 10.* Et hoc tenendum est, dum Comitum eiusmodi aliqvis vel tandem κομπολογημάτων titulorumqve suorum origines edat, vel typhi sui tales rationes piis, bonis, doctis exponat. Καὶ πῇ γ' ἐμοὶ δοκεῖν: qvod & probabitur spero, etiamsi Staienus* vel Gutta sederent ad Iudicium.

* An scribendum: STALENUS. Cicero *actione IV in Verr.*

Qvem mihi tu Bulbum, qvem Stalenum? qvod unqvam huiusmodi monstrum avt prodigium avt avdivimus avt vidimus, qvi cum reo transigat, post cum accusatore decidat? Ianus Gvilielmi *lib. I verisim. c. 7.* ita legit hunc locum, solum corrigendo TUBULUM: cuius Cicero meminit pro Scavro apud Asconium, & *omnium sceleratissimum* vocat avdacissimumqve. Fuit gentis Hostiliæ prætor urbanus Capuæ C. Hostilius Tubulus A. V. C. IↃ XLV, Livius *Lib. XXVII, 7.* Stalenum tanqvam cognomen ponit in Ælia gente Schottus. conf. P. Victorius *lib. XXXVII Variar. c. II.* Gutta cognomen est gentis Carpineiæ.

Prætermissa hæc ita suis locis, per numeros in margine signatis, inserantur, ad instar Notarum.

I. Eadem de Domo Tiberiana, qvæ seculo secundo Romæ Antoninorum & Cæsarum domus fuit, reperi observata a Iac. Gothofredo, Dionysii F. ICto, *Notis ad Tertull. l. 1. ad Nationes c. 17.*

II. Ita qvidem Andreas Schottus *in itiner Ital. lib. 1. p. 130.* Contra videtur esse, qvod Fridericus I Imp. devictis toties rebellibus Mediolanensibus muros eorum diruisse, destruxisse turres, civitatem excidisse & fossatum totum planasse legitur : *vid. Vrsperg. sub Frid. I,* sed & qvod inter pacta conventionis, & conditiones pacis, cum Mediolanensibus etiam hoc est: Mediolanenses palatium Imperiale ad honorem Domini Imperatoris, arbitratu bonorum, suis impensis, *Gold. t. 1. coll. Const. Imp. f. 269.* qvantum & ubi vellet, addit Burcardus Notarius Imperatoris, *Ep. ad Nicol. Sigebergensem Abbatem apud Freb. tom. 1. rer. Germ. f. 237.* levabunt.

III. Ita & Romæ olim generale studium certarum

artium in Capitolio habebatur, *C. de stud. lib. art. Romæ & Constantinopoleos l. un.* qvale post Carolus M Parisiis instituit, monitu Alcuini Albini sev Angli Præceptoris sui, qvem sic honoris cavssa vocavit, opera ad id usus Clementis & Alcuini Scotorum; Barthius *l. XLV Advers. c. 11. e San-Gallensi,* & Mutius *l. VIII Chron. f. 62.*

IV. Otfridus hic sub Ludovico II Imp. vixit, ante annos ferme DCCC. Eius paraphraseos rhythmicæ Germanicæ antiqvissimæ (forte enim vetustius scriptum in lingva Germanica, qvæ tunc primum scribi cœpit, non reperitur) meminere Freherus *Comm. de Orig. Palatin. Part. I, cap. VII, p. 55.* Crusius *Annal. Suev. p. 2. lib. I, c. 8:* Tritenhemius *Catal. vir. illustr.* Velserus *l. 2. rer. Boicar. c. 2.* Lehmanus *Spirens. Chron. l. 2. c. 45. f. 197:* Serarius *l. 1. rer. Mogunt. c. 11: & l. 4. p. 655:* Edidit eam primus Achilles Pirminius Gassarus, indice *Gold. tom. 2. rer. Alem. f. 155:* post A. D. cIↃIↃ LXXI Matthias Flacius, Basileæ, cum Præfatione erudita ad Herm. Adolphum Riedeselium.

V. *Curtim* Franci & Alamanni regiam sev Palatium Principis & curiam vocabant; & comitatum sev turbam Palatinam, vocabulo barbaro, a *cohors* formato, obvio *in LL Longobardicis & antiqvitatibus Alemannicis: vid. Gold. tom. 1. rer. Alem. f. 99. 206.* Alii vocem Celticam sive Gothicam esse aiunt, & nihil significare aliud qvam Gard vel Hof/ i. e. locum conseptum & munitum: vid. Cluverius *Germ. antiq. l. 1. c. 13. fin. 112.* inde deducunt Ivvanogorod, Iamogorod, Novigorod, Novigard, Nugardio, Novigrod, novum castrum in Sarmatia: Scaliger *Exerc. CCLIV, sect. 3.* Loccenius *Explic. per-*

egrin. aliqvot dict. Iuris Feud. Vnde *Courtisani*, avlici, *covrtesie*, curialitas, civilitas, humanitas : *cortese*, humanus, benignus, Italis hodieqve : qvibus & *Corte*, luogo di consultare le cose publiche. Curtem etiam vocabant, qvam hodie vicum : item villam sev prædium rusticanum, einen Meierhof / qvod & *mansum* ; Vide Vadiani *Ep. de obscur. Alam. voc. signif. ap. Gold. tom. 2. f. 82.* Besoldi *Diss. de nat. lingv. & pop.* Item vicum, constantem domibus sev casis certis, cum suis campis, silvis, pratis, pascuis & ceteris adpendiciis h. e. fundum cum Iurisdictione in homines ; ut in chartis & Instrumentis veterum Germanorum ; præsertim vero XLVI *apud Goldast. l. d. f. 54.* sæpe legitur, & apud Sangallensem *l. 1. c. 14.* hoc sensu, cum inqvit: Loqvitur Carolus cum illo fisco sev Curte, illa Abbatiola vel Ecclesia, tam bonum, vel meliorem vasallum, qvam ille comes est vel Episcopus, fidelem mihi facio : Item qvamvis domum septo & parietibus suis clavsam, *ut in legibus Longob. lib. 1. tit. 25. & 24. l. 1.* A curte etiam est *terra curtilis* apud Canisium. *tom. 2. Lection. antiqv. p 500.* i. e. hubæ. *ib. p. 503.* integraliter tradidit, *cum curtilibus omnibus*, ædificiis, campis, pratis, agris, pascuis, silvis, aqvis, &c. In glossis verborum veteribus Iuris, qvæ passim in Basilicis reperiuntur, a Iustello ex MSStis editis, κουπλλῖνοι, male legitur. Sunt enim, uti exponitur, κουπλλῖνοι, οἱ θυρωροὶ τοῦ πραιτωρίου, id est, κορταλῖνοι, sive cohortalini.

VI. Res ita habet: Germanis & Gallis, Carolo M coævis, *Burgum* vel *Burgus* oppidum erat, muris portisqve cinctum, eoqve opportunum bello ; & inde eius incola *Burgarius*, *Burgensis*, Bürger : ac post iudices oppidis

pidis eiusmodi pro Imperatore præſidentes *Burggravii.* Sed Burgundionibus domorum congregatio, qvæ muro non clavditur, *Burgus* vocabatur, teſte Luitprando *l.VII, c. 22.* Romanis vero & Græcis anterioribus *Burgi* vel *Burga* erant propugnacula & habitacula validiſſima per limites provinciarum locis commodis, plerumqve ad fluminum confluentes & ripas, ſæpe in montium cacuminibus exſtructa , qvibus impoſiti cum ſuis magiſtris milites, & per ſedeta ſev ſtativa diſpoſiti , tutandis ex iis provinciis & incurſionibus hoſtilibus arcendis : nota hæc nomenclatura Oroſio, *l. ult. c. 33.* Vegetio, *l. 4. c. 10:* Avſonio, *Ep. Epodice ad Pavlinum:* Zoſimo *l. 8.* & Procopio *Orat. 4.. de ædif. Iuſtiniani*, apud Pancirolum *Comm. ad Notit. Imp. Orient. c. 139. f. 199. b.* Herodianus *l. VI*, 7. commemorat ſub Alexandro Mammeæ στρατόπεδα ταῖς ὄ-χθαις τῶν ποταμῶν (Rheni ac Danubii) ἐπικείμενα προασπίζοντα τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς· An *Cluſuræ*, κλείσουραι, de qvibus *l. Curæ C. de offic. mag. officiorum*, ut reſtituit Cuiacius *l. 3. obſerv. c. 24.* cum Burgis eadem, viderint docti : exponam qvid mihi videatur alibi. Exſtat de eiusmodi limitum munitionibus elegans locus avtoris incogniti libro *de rebus bellicis*, qvi notitiæ Imperii utriusqve, ex editione „ Genevenſi, iunctus eſt, ante hos M annos ſcripto : Eſt „ præterea inqvit iſte, inter commoda Reip. utilis limi-„ tum cura, ambientium ubiqve latus imperii, qvorum „ tutelæ adſidua melius caſtella proſpicient, ita ut mil-„ lenis interiecta paſſibus ſtabili muro & firmiſſimis tur-„ ribus erigantur, qvas qvidem munitiones poſſeſſorum „ diſtributa ſollicitudo ſine publico ſumtu conſtituat, „ vigiliis in his & agrariis exercendis, ut provinciarum

„ qvies

„ qvies circundata qvodam præſidii cingulo incluſa re„ qvieſcat. Vocantur alio nomine *Prætenturæ* militares ad provincias defenſandas inſtitutæ : προβολαὶ & ἐπιτειχίσματα : qvæ obtendebantur & prædücebantur velut limitibus contra irruptiones : & προβλήματα, Herodianus *l. III, 2:* qvalis fuit celebris ille & vel hodie in Angliæ finibus conſpicuus *murus Picticus* dictus : de qvo notabilia multa Camdenus *Brit. p. 246:* & Bertius *in tabb. Geograph.* congeſſere : ad cuius ſimilitudinem effectum eſt ab Imperatore Anaſtaſio in Thracia opus ampliſſimum, qvod τεῖχος μακρὸν, *murum longum* vocavere arcendis barbaris ex Ponto, Colchide, Cavcaſo & Evropa irrupturis, Evagrius *l. 3. c. 32.* Legem *de burgis ædificandis* tulit Fridericus II Imperator in Curia apud Moguntiam A. D. cIↃ CCXXXVI. *Cluſas Veronenſium* nominat Gothofredus monachus S. Pantaleon. *annal. apud Freb. tom. 1. Scriptor. rer. Germ. f. 295.* Noſtris moribus caſtella & arces hoc nomen habent. Qvas *munitiones* Feſtungen vocat Adolphus Imp. *Conſtit. de inſulis Rheni* promulgata Nürenbergæ A. D. cIↃ CCXCV ; alii *fortalitia* ; unde & Anglis Caſtellum, the Fort : Italis *fortezza, forteketta : forſulæ* ; Schafnaburgenſis & avtor *annal. Franc. Fuld.* ad A. 818. *munitiones* adpellant ; Robertus de Monte adpendice ad Sigib. Gemblacenſem, ſub ann. 1172. *firmitates.* Antiqvis Saxonibus Wigh ſev Wighus / e Latino *Vicus* *, oppidum eſt ; & hinc iisdem crebro in

urbibus

* *Wighus i. e. caſtellum, præſidium, turris, propugnaculum : a* Wighe *i. e. prælium, bellum. Inde* Wighaft *vel* Wichaft *i. e. ſtrenuus. Ap. anonym. de S. Annone §. 19.* Küne Wigand *i. e.* Held.

urbibus denominandis usurpatur, ut in Bardolwigk/ Brunswigk/ Schleßwigk/ Coßwigk/ &c. Avtor tractatus *de nominibus Germanicis* apud Schardium *tom. 2. rer. Germ.* Cranzius & Lutherus in Dischreden *tit. 77*, Wigk/ Saxonum idiomate *refugium* esse docent; & sic Wighus Germani superiores Weichhaus efferrent, qvod in eam periculi declinandi cavssa secedere & fugere qvis possit. Et qvia civitates utpote muris cinctæ tutius fugientibus præsidium sunt, wig vel wich rite vocantur. Sed etymon des wig vel wich e Latino *vicus* verius est. Sic enim Wighaus idem qvod Stadt vel Rathhaus. In qvodam mandato Henrici Iulii, Ducis Brunsv. de anno 1597: Richter und Voigte der alten Wiek in der Stadt Braunschweig. item: Richter und Voigte in dem alten Wiekgerichte/ &c.

VII. Ding antiqvis Germanis idem qvod *iudicium*: unde Holtzgeding/ Freygeding/ LandR. *l. 3. art. 61.* die rechte Dingstadt i. e. locus iudicii publici. Dingen/ i. e. iudicare. Et hinc feria tertia Septimanæ sev dies Martis, qvia apud Germanos veteres, præsertim Saxonas erat iuridicus (Martem enim pro præside iudiciorum habuerant etiamnum gentiles) hodieqve vocatur Dingstag. Huc referenda, Hustingus, Hustingum, Hustingia, &c. Landtäding i. e. Landgericht oder Landtag/ Schwabensp. *l. 1. c. 11. & 13.* e qvo factum etiamnum usitatum verthädigen i. e. ius pro aliqvo experiri, tueri, defendere. Lehentäding. i. e. Lehen-Gericht. *ib. l. 2. c. 116. 117. 118.* e simplici thädingen/ qvod idem est ac *iudicare*. Dingstuel/ sedes Scabinalis, LandtR. *l. 1. art. 12.* alias mallus sive tribunal, a Mahl h. e. signo. Ut enim sci-

rent ſubditi, ubi ſibi comparendum ſit coram iudice, in loco iudicii ſignum qvoddam, ut lapis, arbor, pertica, vel etiam crux lignea cum gladio & aliis inſignibus adpenſis erigebatur, ad qvam Iudex & Scabini de iuſtitia æqvaliter adminiſtranda, nemini deneganda, iurare ſolebant. Alicubi manus & gladius cruci imponebantur, in ſignum der Gerichte über Hals und Hand. Idem ſignificabant *coloſſi* & *ſtatuæ* in urbibus, præcipue Saxoniæ, poſtea erigi conſvetæ, etiamnum Magdeburgi, Halæ, Brandeburgi, Northuſæ, alibi conſpiciendæ. Ex iisdem moribus eſt & huc pertinet *pergula*, ſev *ædicula*, in foris plerumqve ante ædes publicas extructa, in nonnullis Miſniæ, Marchiæ & Thuringiæ urbibus, ſi rite memini, mihi obſervata, ad qvam arma qvæcunqve, qvibus vel occiſus, vel vulneratus qvispiam, ſuſpendit iudex, ſigna videlicet iudicii criminalis. A ſigno tali vel mallo eſt & vox Mahlſtein h. e. limes: Mahlmann / Dingpflichtig i. e. ſubditus: Mahlſtadt i. e. locus certus: Ita aliqvoties avtor des ausführlichen Berichts / wie es auf Reichstägen pfleget gehalten zu werden/ nominat locum indicendorum, indictorumqve Comitiorum, die Mahlſtadt: e qvo corruptum eſt, qvod nonnullibi efferunt Wahlſtadt. Amallare, *admallare* i. e. citare, in ius vocare.

v. σταυροπήγιον *in Gloſſ. Græcobarb. Meurſii.*

VIII. *Comites Conſiſtoriani* ſev proceres Palatii diſtingvuntur a proceribus ſev comitibus regni. In Palatio erat Prætorium, in qvo ius civibus & peregrinis reddebat Imperator, poſt qvod conſiliarii Imperatorem, in ſolio ſedentem, circumſtabant; hinc *Conſiſtorium* dictum: I. Stephani *tr. de Iurisd. l. 3. c. 10. p. 526.* cui ſimilis

milis & prævia qvasi fuit in regia Salomonis domuncula solii, in qva sedebatur ad iudicandum, III Reg. VII, 8.

IX. *Lateranenses* (cognomen hoc est Otaciliorum & Iuventiorum, ut patet ex oratione Ciceronis pro Cn. Planco; & Velleio Paterc. *l. 2.*) alii sunt longe veteriores hisce *Lateranis:* Hi vero, si coniecturæ probabili locus aliqvis, a Laterra stagno, de qvo Plinius *lib. IX. c. 8.* in agro Nemavsensi, Narbonensis Galliæ, denominati sunt. Et hinc etiam Antonini Pii avus Lateranus, ut vult Boissardus topographiæ Vrbis Romæ, e Gallia trans-Alpina, Nemavsensi scil. genus ducens.

X. E verbis Victoris elici neqvit vel tantillum donationis Constantini: sed potius hoc, fuisse etiam tum temporis ædes magnificas, sub qvo vero domino tacet. Forte non tacuisset, si Romani Episcopi tum eæ fuissent. Et qvia etiam alii historici tacent, qvi tamen omnia Constantini minima maxima curiose adnotarunt, & qvem commendatum multitudini vellent etiam fabulosis commentis celebrarunt, pium & officiosum id esse ducentes, (de qva re plura Cunæus *Præf. in Iuliani Cæsares*) donationem talem, qvam docet *c. Constantinus: dist. 96.* nunqvam factam fuisse statuerem, post Otthonem, Frisingensem Episcopum, arcanorum Imperii suo tempore callentissimum, *l. 4. Chronic. cap. 3. & l. 6. c. 35:* Antoninum *part. 1. hist. t. 8. c. 2:* Hier. Pavl. Cattalavnum, in *Pract. Cancell. Apost.* aliosqve innumeros. In antiqvis enim consulere debemus historicos, eo qvod fidem faciant de antiqvis sive præteritis *gl. in c. placuit. dist. 16.* de Constantini vero donatione nullam faciunt.

XI. Hæc de donatione illa, qvam Canonistæ &

Baronius Miltiadi, acta vero Sylvestri ipsi Sylvestro factam esse contendunt, repugnantia etiam Didacum Covarruviam, ICtum Hispanum & Episcopum Segobiensem *t. 2. Pract. Qv. 31. n. 2. & lib. 4. var. resol. c. 16. n. 8.* Bodinum *l. 1. de Rep. c. IX.* Alciatum *7. Parerg. Iur. Civ. c. 19.* aliosqve saniores Pontificios movit, ut de veritate eius dubitarent. Immo Nicolaus de Cusa Cardinalis * ante annos qvasi ducentos illa de Constantino Apocrypha esse dicit, colligitqve hoc inde, qvod eorum nulla fiat mentio in Senatusconsulto Romano, sev Decreto Leonis VIII, qvo Otthoni I omnia a Pipino Caroloqve Sancto Petro data enumerat ac restituit. Etiam nuperrime Iul. Cæsar Bulengerus, Theologus, Donationem eam vocat *rem obscuram & ancipitem* (subodoratus enim est pro ingenio subacto, & varia eruditione, confictum esse eius instrumentum, sedente Zacharia, CCCC demum post Constantinum annis) in qva noluit qvidqvam temere adstruere, maxime cum nec Constantinus ipse, nec ceteri deinceps Imperatores eam avt agnoverint, avt ratam habuerint: *l. 1. de Imper. Rom. cap. 4.* Videatur & Revsnerus Declamatione peculiari de *Donat. Constantini* &c.

XII. *Vestiarium*, Βεστιάριον, vocarunt Græci ἱματιοθήκην, ταμεῖον, sev armarium, in qvo reponebantur vestes Imperatoris & pretiosa qvævis κειμήλια, Anastasius *in Severino*: Gallis & Anglis, Gvarda roba, *Paris. f. 638*: qvemadmodum in Iudæorum Republica sacerdotales

vestes

* *lib. 3. de concord. Cathol. c. 2. ap. Goldast.* Reichshandl. *f. 11. & Capp. contra Bulenger. l. 3. cap. 5. & 30.*

veſtes peculiari loco conditæ leguntur, certis ſolennitatibus ibi cuſtodiri & ſuo tempore inde promi ſolitæ. Fuitqve id veſtiarium avguſtale, Iuſtiniani qvidem ſeculo, in Hebdomo, ſev Septimo ſive palatio ſive ſuburbio Conſtantinopoleos. Epiſcopii igitur veſtiarium eſt ſecretarium, ubi donaria & ornamenta Eccleſiæ adſervantur. Inter officia Imperii Orientalis recenſetur etiam *Comes veſtiarii*, qvi veſtes Principis, lintea, ſtragulas, avlæa, mantilia & huiusmodi alia cuſtodiebat; πρωτοβεστιάριος, cuius muneris ſumma erat dignitas, & non niſi Imperatorum conſangvineis dabatur: Vid. Mevrſii *Lex. Græcobarb. p. 99*: cui erat iunctus *Comes avri*, qvi avreos torqves, annulos, coronas, & alia adſervabat; earumqve rerum numerus in Scrinio ſev laterculo ſacri veſtiarii deſcriptus; & ſub officio Comitis Largitionum erat: Pancirolus *ad Notit. Imp. Orient. c. 35.* Memorabile mihi viſum eſt, neqve hic tacendum, qvod de Hiſiamo Amiramomenino ſev Calipha Saracenico in Syria XVII, circa A. D. DCCXXX hiſtoriæ Arabum habent, poſſediſſe eum ſeptingenta veſtiaria: Perhibetur, *aiunt illæ l. 1. c. 17. p. 97.* veſtibus DC camelos oneraviſſe & reliqviſſe mille faſcias braccarum & XM interulas: ἐσθητομανῆ, πλεονέκτην καὶ δημοβόρον & ſubditorum opibus ad abſumtionem inutilem abutentem! neqve habuit tamen, cum vita exceſſiſſet, qvo involveretur: obſignaverat enim omnia repoſitoria, nec qvenqvam ingredi ea paſſus fuerat. ἐπιφωνεῖ hiſtoricus: Hoc exemplum tale eſt, ut oporteat eo admoneri prudentes.

Sacriſtiam vocant mediæ ætatis Scriptores barbari.

Abbas Panormit. l. 1. Conſil. 26. *Sacriſtiam civitatis vocat ærarium ſive Fiſcum.*

edit. Erpen. Lugd. in 4.

XIII. Ad ſimilitudinem huius officii, qvod beneficio Imperatoris geſſit Comes Palatii, ſupremus

Franciæ cubicularius, in coronatione regis Sandalia a San-Dionysiano Abbate accepta regi induit: Dux Burgundiæ calcaria adponit: Conestabilis gladium tam in Ecclesia, qvam in via ad palatium regi præfert, &c. Vide Bzovium *Annal. Eccles. tom. 14. ad a. 1314. n. 22.* Similia in ritibus aliarum gentium notare licet.

XIV. E libro rituum Ecclesiæ Romanæ constat, qvinqve fuisse Romæ Patriarchales Ecclesias, interqve eas præcipuam Lateranensem: in hac septem erant Cardinales Episcopi, qvi & *Collaterales* & *Hebdomadarii* vocabantur, qvod munus Pontificis singulis septimanis per vices obirent. Reliqvæ qvattuor singulæ habebant septem cardinales presbyteros. Erant insuper Diaconi *cardinales regionarii* & *Palatini*: Illorum officium erat: cantare Evangelium in Stationibus: horum, in Ecclesia Lateranensi. Erant præterea *Subdiaconi regionarii*, qvi epistolas & lectiones cantabant in stationibus; & *Palatini*, qvi in Ecclesia Lateranensi; qvæ ad intellectum eorum, qvæ de Episcopis Cardinalibus, Presbyteris Cardinalibus & Diaconis Palatinis dixi, faciunt.

XV. Tales cardinales presbyteri Patriarchii Lateranensis fuere *Marcus* & *Iulianus*, qvi Bullæ Leonis VIII de resignatione regalium, Otthoni I factæ, subscripserunt: tales etiam Ioannes Diaconus cardinalis & alius cardinalis subdiaconus, qvorum alteri nasum, alteri manum amputavit Ioannes XII, qvod accusasse eum apud Otthonem Imp. & depositionem eius promovisse crederentur: Theodoricus a Niem *lib. de privil. & Iur. Imperii*, Martinus Polonus *Chron.* & Platina. Talis Lateranensis Canonicæ archipresbyter sive Cardinalis episcopus

ſcopus erat Petrus Damianus, Epiſcopus Oſtienſis; uti patet ex inſcriptione epiſtolarum ad ipſum directarum, qvas apud Baronium videre licet *tom. XI Annal. ſub ann. 1065. n. 6.* Et ex his presbyteris, qvos *Priores* vocat B. Gregorius, facti poſt ſunt cardinales hodie dicti, longe alii nunc, qvum tunc fuere, cum faſtum & opes ignoraret Eccleſia; Vadianus *l. d. apud Gold. f. 82.* Canonici vero ordinis Lateranenſis præter dictos cardinales Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos Palatinos inſtituti, & ipſi alii ſunt: monaſterii ſcil. iuxta Lateranum, de qvo in vita EvgenI IV Balæus, poſſeſſores. Fuit ex iis Ioannes Chryſoſtomus Zanchus Bergomas, avtor Panegyrici ad Carolum V, Venetiis excuſi, A. D. cIↄ IↄLX: & Ludovicus Maioranus, Epiſcopus caſtelli a Marc. in regno Neapolitano, avtor Orationis *de Rep. conſtituenda* ad Patres Concilii Tridentini, excuſæ Dillingæ, A. D. cIↄ IↄLXIII.

XVI. Factum id tum cum Imperator civitatum Lombardicarum Mediolani & ſociarum Cremæ, Brixiæ, Placentiæ, Parmæ, Mantuæ &c. qvas Hadrianus Papa in ſuas partes traxerat, & in Imperatores concitarat, & conqveritur Imperator in edicto de rebellibus Imperii per Italiam in ordinem redigendis apud Goldaſtum *Collect. Conſt. Imp. tom. 1. f. 269.* inſolentia, perfidia, rebellione, & dubio Marte varie prius exercitus, tandem Mediolano potitus, everſa ea præter templa & ædes publicas nonnullas funditus, novas pro civibus, poſt etiam per pacem Conſtantiæ A. D. cIↄ CLXXXIII receptis in gratiam, leges condidit & *Iuſtitiariis* ſuis earum cuſtodiam commiſit, nova etiam per reliqvam Italiam A. CIↄ CLXII.

castra

caſtra exſtruxit, vetera hoſtibus erepta ſibi vindicavit, inqve eorum dignitatibus & præſidiis Tevtonicos conſtituit, Vrſpergenſis *f.305.* Marchiones etiam & conſules urbibus e Germanis præfecit, vel etiam Rempubl. qvamlibet cum conſulibus per legatum ſuum vel advocatum adminiſtravit, ut Romani in provinciarum ordinem coactas olim regiones & gentes per Proconſules, Præſides, Correctores & Prætores. Ex hiſce Cæſaris Vaſſis ſev beneficiariis (*comites Paganos* vocat Scardeo *l. III Hiſt. Patavinæ:* alii *Prætores & Poteſtates Imperatoris.* Sic enim Gothofredus, Monachus S. Pantalionis *annal. ad a. 1238. ap. Freh. t. 1. rer. Germ. f. 302: Poteſtatum* * Mediolanenſium, filium ducis Venetiarum, in eodem curru captivum cum triumpho Cremonam adducit. Ludovicus IV in edicto contra Ioannem XXII publicato vocat *Proprætores Imperii.* Vadianus *l. d. ap. Gold. f. 100. Vicarios & Præfectos Avguſtales*, qvales fuere plures ſub Rudolpho I, Henrico VII, & Ludovico IV. Angli vocant *Portgreve* i. e. urbis præfectos, præſertim Londini, Cambdenus *Britann. p. 334.* Galli *Prevotios* præſertim Lutetiæ, ſev *Præpoſitos:* nos in urbibus regiis Boemiæ, Kaiſerrichter / Stadtvögte / Stadt Schultheiſen) erant & Mediolano præfecti *Vice-Comites*, ſev *Vicarii Imperatorum* per Lombardiam †: qvibus etiam Henricus

* *Vel Potentatum ſive Poteſtatem, ex eo qvod eſt inter conditiones pacis Mediolanenſium, apud Burcard. Not. Imp. l. d.* Poteſtatem qvam vellet Imperator ſive Tevtonicam ſive Lombardicam accipere.

† *In numo ſive lamella argentea rotunda legi poſt multam diſcuſſionem: LEIDERICVS. DVX. COMES RVNGALE ET SI-*

Henricus VI Imperator vitæ & necis poteſtatem habere, conſtituto tum Vberto Placentino Comite, conceſſit: qvam dignitatem ingenti pecuniæ vi Ioanni Galeacio præſtinavit, eiqve Ducem & Vicarium Imperatoris, eſſe indulſit; imo cum ante precarius tantum præſes eſſet hereditarium fecit, Arniſæus *tr. de Iure Maieſt. l. 1. c. 5. n. 5.* cum magno Imperii detrimento: Wenceslaus Imperator de eo ab Electoribus obiurgatus & exavctoratus: fuitqve ſine dubio ille, qvi caſtro Lunello inſidebat pro Imperatore e Germanis, qvorum virtute Imperator Italiam recontrantem, voce tum uſitata, ſubegerat, præmium virtutis Palatinatum Italiæ adeptus. Nominantur ab Abbate Vrspergenſi *in Chron.* plures Germani Imperatori militantes in Italia: & ſub Friderico II, item ſub Ludovico IV, qvi poſt urbibus captis præficiebantur; qvos etiam plerarumqve nobilium familiarum in Italia hodieqve florentium proſatores eſſe veriſimile eſt; ut Gothi & Longobardi per Italiam, Gallias & Hiſpaniam nobilitatis ſemina ſparſerant ante, Thuanus *lib. 1. f. 3.* Eodem arcano continendis in officio recens devictis Saxonibus, qvo Fridericus I in Mediolanenſibus, uſus eſt Carolus M, qvod avtor anonymus a Theodorico a Niem, aliqvot Paparum Secretario, poſt Epiſcopo Verdenſi & Cameracenſi, ante annos CC relatus ſic deſcripſit: Carolus Saxoniam, qvæ tunc ſub „ uno Principe regebatur, in plura, ſcil. Comitatus, „ Baronias, & alia Dominia diviſit, & de diverſis exte-

G ris

ET SISAE. Videtur fuiſſe e Svevis & ab Imp. Friderico I, vel Henrico VI, territorio trans-Padano, Roncaliarum, & ad Seciam fluvium, impoſitus pro vicario.

„ ris regionibus, de qvibus confidebat , in Dominos & „ rectores dictæ antiqvæ Saxoniæ deputavit, concedendo „ cuilibet eorum, iuxta ipsius statum & merita, singula „ Dominia , qvibus sub qvodam intolerabili iugo ple- „ bem sev rusticos antiqvæ Saxoniæ subiecit. Etiam Arnulphus Imperator Vrbem Romam, Lamberto rege pulso, recuperatam , recepto etiam a civibus Sacramento , qvod exstat apud Francicum *Fuld. annal.* avtorem, referente Frehero *tom. 1. rer. Germ. f. 53.* & Goldasto *t. 2. statut. & rescr. Imp. 42.* ad suas manus custodiendam Faroldo cuidam vasallo suo commisit. Vocabantur eiusmodi *officiales* & *Ballivi Imperatorii*, ævo Caroli M, *Gastaldii:* uti nomine hoc utitur ipse Carolus de iis, qvos Provinciis per Italiam præposuerat, *in additam. Capitul. ad leges Longob. præfat. rer. Longob. c. 29.* Imperator Pipinus Gastaldios exponit per Sculdasios, vel loci præpositos, in *Legibus Longob. lib. 2. tit. 52. l. 14.* Rex vero Rotharius *ib. lib. 1. tit. 13. l. 1.* Gastaldum Regis per Sculdasium. In antiqvitatum Alamanicarum a Goldasto editarum *t. 2. f. 76.* lego : *Agilinum, qvi erat gvastaldius ipsius civitatis :* Germanice diceres, Gasthalter / Statthalter / gubernator territorii. Besoldus *Differt. de nat. lingv. & popul. p 104.* Iustiniano *Nov. 15.* τοποτηρητού, qvos leges Longobardicæ *l. 1. tit. 25. §. 77.* & P. Diaconus *l. 6. de rebus gest. Long. c. III Servatores loci :* nisi forte gvastaldius est ab *aldius* vel *aldio* Langebardorum , qvo servos vocabant* : Luitprandus Rex *l. 2. Legum Long. tit. 55. l. 16.*

* *Servorum genus erat apud Germanos, qvi vulgari sermone* Gasti *vocabantur, qviqve ad Ecclesiarum arbitratum* tene-

55. *l. 16.* qvos Franci fiscalinos sev lidos: a fisco sive curte avt prædio, qvod & mansum dictum, qvo vasallos sibi fideles faciebant Imperatores. *Vide Locum Sangall. e l. 1. c. 14. Leg. Longob. l. 3. tit. 20.* Idem qvod Carolus M cum Saxonibus, Arnulphus & Fridericus I, cum Italis tentavit, & confecit hodie cum Bohemia, armis recuperata, Germanis, Hispanis, Italisqve bona proscriptorum distribuens & præmia virtutis in bello illo assignans avgustissimus Imperator Ferdinandus II, cui salus, vita & victoria! De vocabulo Gastaldius vide P. Diaconum *l. 5. de rebus Long. c. 29.*

XVII. Hic qvasi contra Berengarium, tum Italiæ regem, conspirasset pro Imperatore Henrico, qvem seniorem recognoscebant, inopino oppressus & occisus est Berengarii machinationibus, *Luitpr. l. 2. c. 15.*

XIIX. Valvasoribus hisce similes fuere *Evocati* illi, ἠϐόκατοι, qvasi dicas ἐθελοντὰς cum Dione, ἀνακλήτους, qvos Iulius Avgustus & Galba Imperatores præter prætorianos habuere, Dione & Svetonio testibus: & qvos per bellum civile cum Pompeio fuisse, Cæsar ipse commemorat *l. III;* qvi tamen & suos sibi evocatos commilitones habuit: e qvibus præter alios celebris Crastinus, qui pugnæ in Pharsalicis campis initium fecit, & *primus Pharsaliam Romano sangvine tinxit:* Lucanus *l. 3.* & ibi Micyllus: Appianus *l. 2.* Imperatores Franci *Vassos Dominicos* in palatiis servientes nominatos habebant, de qvibus in Kapitularibus Francicis & Karulinis passim:

 Cæsa-

tenebantur qvævis præstare obseqvia. Poterant avtem se redimere pecunia. Supplem. Chron. Misn. sub A. 1236. edit. a Fabricio cum Annal. Misniæ.

Cæsares Byzantini *milites Palatinos*, qvi custodiendi palatii Principis honorem consecuti ceterisqve digniores erant & *comitatenses vexillationes* semper in domo Avgusti perseverantes, qvibus præerat *Magister militum in præsenti* dictus. Στρατηγοὶ πραισεντάλιοι, *milites præsentales*, qvi ἐν τῷ πραισέντῳ merebant & domestici erant, *l. 4. C. de domest. & protector. qvi l. nemo 13:* de re militari, *diurno* (lego, *Divino*) obseqvio principis deputati, vel comitatui Principis iuncti, *l. fin. D. de re milit.* In avla Græca *Spatharii*, περιλίκτορες, Cedreno & Zonaræ, Protectores, Stipatores, σωματοφύλακες, qvi in avla Imperatoris nostri Hartschierer / Trabanten. In avla regum Hierosolymitanorum erat Cerithi & Phelethi cohors, qvæ a latere regio nunqvam discedebat *II Sam. IIX, 18.* Herodianus δορυφόρους *lib. I, 3.* φρουροὺς καὶ φύλακας βασιλέως, *lib. II, 5:* φρουρὰν σώματος, *lib. I, 12:* adpellat. confer Capitolinum *in Gordiano.* Qvibus havt absimiles illi, qvi in Palatio Romano veteri *admissionales* dicti Lampridio *in Alex. Mammeæ, p. 351.* qvod ad principem introducerent, qvos vellet, hoc tamen discrimine, qvod illi apertius, hi familiarius latus principis protegerent, pompæ magis, qvam pugnæ gratia, Præfectum sibi habentes qvendam, qvem *Magistrum admissionum* vocabant. Vopiscus *in Avrel. p. 65.*

XIX. Familia *Turrianorum*, e valle Sassina egressorum, inter Mediolanenses semper fuit nobilissima: urbi etiam circa tempora Conradi III, A. D. cIↃ CXLVII præerat ex ea Martinus qvidam Turrianus, qvi in Syria pro Imperatore contra Saracenos miles occubuit: donec post circa A. D. cIↃ CCCXVI & cIↃ CCCXIX deiiceren-

tur:

tur ii, cum essent inter Gvelfos & pro Pontifice, a Vicecomitibus, præsertim Matthæo tum Galeacio, ac filiis Galeacio ac Marco, qvi Imperatorum Henrici VII, & Ludovici IV indulgentia ac favore & plebis factionibus fiebant potentiores. Donatus Bossius *in Historia de Episcopis & Archiep. Mediolan.* Pertæsi igitur Turriani iniqvi Dominatus in loca vicina Mediolano excedebant, qvanqvam, mortuo Galeacio pulsisqve filiis, revocato Ioanni de Turre summa Imperii in urbe in annum commissa fuerit.

XX. Sunt hodie *de Amatis*: Ex iis Ferrandus Patavii, Comes Palatinus, cui Bylovius lavream Poeticam debet, uti Pavlus Melissus & Io. Grasserus dignitatem S. Palatii & Consistorii Imperialis Comitis, Eqvitis & Civis Romani: M Antonius de Amatis, ICtus, qvi decisiones Rotæ Ferrariensis edidit.

XXI. Ita qvidem *v. 4. Epistolæ Pavlinæ 2. ad Tim. II*, recitat e Iure Canonico Martinus Azpilcueta Navarrus *t. 3. in c. Novit. X de iudic. notab. 3.* & sic habet vulgata Latina, qvam & seqvitur Cyprianus *l. 1. Ep. IX*, fide Sculteti in medulla Theologiæ Patrum *part. I p. 291.* Gelasius Papa, Epistola ad Anastasium Imperatorem apud Walramum Navburg. *Ep. apol. pro Henr. IV, l. 2. c. 14.* & ipse Walramus *l. d. c. 15.* Avgustinus *Serm. 19. de verbis Domini*; Interpres Germanicus antiqvus, & pleriqve allegantium homiliastarum. Sed in textu avthentico Græco non ita est; irrepsit igitur in Latinam τῷ *Deo*, qvod cev glossema & conseqventiam qvis margini adscripserat. Non inepte tamen inde conclusit Ambrosius *l. de fuga sec. c. 2.* non convenire, hominem unum duplicem habere

bere professionem, qvemadmodum nemo militantium implicatur vitæ negotiis, h.e. civilibus occupationibus & curæ rei familiaris : hoc enim significant πραγματείαις τοῦ βίου.


XXII. Iuxta Latina hæc verti illud comma Evangelistæ ita Germanice oportuit : Die weltliche Könige herrschen über die Völker (Landt und Leuthe) und Ihre (derer Könige) Gewaltige nennet man Gnädige Herren. Lutherus die Gewaltigen n. m. g. H. Sed ne qvid dissimulem , dormitatio hæc est viri CL & observatio non necessaria. Nam τὸ ἐξουσιάζων absolute & sine casu positum nullibi reperitur : etiam Matth, XX, 25: ubi eadem Domini super contentione & φιλοπρωτείᾳ Apostolorum concio sev dehortatio exstat, est, οἱ μεγάλοι αὐτῶν (ἐθνῶν.) Tum vero Berneggeri constructioni & interpretationi favere aliqva viderentur, si transposita vocabula essent & legeremus, οἱ μεγάλοι αὐτῶν (ἀρχόντων) κατεξουσιάζουσι. Deinde, etiam cum Pronomen relativum, αὐτῶν, ad ἔθνη referetur, qvod & ipsa textus συνάφεια reqvirit, & ita fecit Latinus & Germanicus Interpres (etiam ille , qvi annis ante Lutherum qvinqvaginta Germanicam versionem edidit anonymus Anno Domini cIↃ CCCCLXXVI.) Sententia sibi optime constabit ; scilicet eos, qvi ius exercent in populos, vel qvi potestatem in eos & avtoritatem inter vel apud eos habent , sive reges vel principes sint, sive regum principumve ministri, magnificis titulis adpellari. Et sic res eodem redit, nimirum eiusmodi ambitiosos & qvi imperii ac dominatus proprii sunt, & in avlis regum principumqve usitati, titulos Apostolis esse fugiendos. Et qvid opus

exav-

ex avlæ Perſicæ moribus ac lingva hæc exponere, cum Ebræi Regem ſingulari cognomento ab exercenda liberalitate נדיב, Beneficum, & Principes magnatesqve adpellent per antonomaſiam ſev metalepſin נדיבים q. d. liberales, munificos, benevolos, ad qvod ſine dubio a Luca alluſum eſt per Ἐυεργέτας, Beza *in h. l.* Qvid vero miramur? reſpexit Salvator ad Ægyptiorum regem illum, e Ptolomæis, qvi Ἐυεργέτης cognominatus eſt, qvod nihil ita regem principemve commendet, qvam beneficentia & liberalitas; Druſius Notis ad Prol. Eccleſiaſtici; qva homines ad DEOS qvamproxime accedere, ille e Græcis ſapiens olim dixit, Strabo *lib. X*, & Dionyſius Longinus περὶ ὕψους.

TANTVM EST.





BERNHARDI BERTRAMI I. C. & Cancellarii Saxo-Altenburgici, ad Tho. Reinesii Commentationem, de Palatio Lateranensi eiusqve Comitiva,

Notatiunculæ.



ΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΟΣ ορφυρογέννητος] De origine huius cognominis auctores diverſe ſentiunt. (a) Alii enim id inde natum exiſtimant, qvod filii Imperatorum recens in lucem editi, veſte Imperiali, vel, qvod idem eſt, purpura exciperentur ; de qvo inſtituto exaudiendus eſt Claudianus, ita adplaudens Honorio :

- - - & patrio felix adoleſcis in oſtro,
Membraqve veſtitu nunqvam temerata profano
in ſacros cecidere ſinus.

Item idem alibi :

- - - - cognata poteſtas
Excepit tyrio venerabile pignus in oſtro.
Et :
Acclivis genitrix auro, circumflua gemmis
In tyrios enixa toros.

Item

Item loqvens de seipso Commodus: *Simul enim me in lucem mater edidit, veste Imperiali amictus sum ; eodemqve momento me sol hic principem atqve hominem vidit.* Nonnulli ideo porphyrogennetas dictos fuisse autumant, qvod patre nati essent Imperatore, id est, Purpurato. Sed commodior est autoris opinio, & video eam a doctioribus (b) probari, nec addere qvidqvam libet præter unicum locum (c) ex Theophane, Scriptore Græco, qvi non parum lucis rei afferet. Ita enim ille: „Olim qvidam erat locus Imperatoribus ad procreandos „liberos separatus, qvem *Porphyram* adpellabant, & in eo „loco natos, porphyrogennetas; rursus aliæ sedes ad nu„triendos infantes, ubi sensim ætate proficerent, & omnẽ „regiam & Imperatoriam disciplinam sub Pædagogis „& Magistris caperent. Cum autem ad perfectionem æ„tatis & disciplinæ pervenissent, in ipsum regium & „imperatorium thalamum admittebantur, vitam cum „Patre ac Rege acturi & eius bonorum communionem „adepturi, &c. (d) Illud vero mihi explanari percuperem, cur inter tot Imperatorum filios paucis ea obtigerit adpellatio. Plerosqve enim non omnes porphyrogennetas nominatos fuisse ex Fastis Imperatorum CPtanorum compertum est. Sane si Domus puerperio Augustæ sacra nomenclaturæ isti causam dedisset; æqvum erat, ut omnes indiscriminatim eodem gauderent nomine. Ego subsisto, iudicium Autoris limatissimum ea de re expectans.

Cardinalis Palatinus] Evaristus Papa primus in Romana Ecclesia septem Diaconos constituit, qvi Vidu-

arum, pupillorum & egenorum necessitatibus ex ærario Ecclesiæ subvenirent. Unus eorum *Archidiaconus* sive *Diaconus Cardinalis* vocabatur, eo qvod primas inter ceteros teneret, eosqve regeret. Longo autem tempore post numerus Diaconorum auctus est, & ex septem qvatuordecim primum, deinde octodecim facti, qvi omnes *Diaconi Cardinales* vocati sunt. Ex his qvatuordecim singularum regionum, in qvas urbs divisa erat, curam habebant, ob id *Regionarii* dicti; reliqvi vero qvatuor audiebant *Palatini* vel *Basilicarii*, qvod in Palatio & Basilica Lateranensi Papæ ministrarent.

Nisi Comitivam Lateranensem adsueris] Ita qvidem est; inveniri qvosdam, qvibus non satis sit, dici Comites Palatinos, nisi Lateranensis qvoqve Comitivæ superaddatur titulus. Exempla sunt in promtu: & ne præsentia adducam, superioribus annis qvidam Honorarius Comes hac formula usus est: Wir N. N. von N. aus Römischer Käiserlicher Majestät Begnadung / der heiligen Lateranensischen Pfaltz zu Rom/ auch des Käisserl. und Römischen Hoffs und des Reichs Consistorii Comes, &c. Verum cum iste titulorum cumulus diplomati qvoqve Cæsareo inseri adsoleat, est qvod bonos viros a suspicione ambitus excusare possit.

Curtim Franci] An veteres in eo significatu vocabulum curtis usurparint, subdubito. Certe in antiqvis formulis utplurimum pro villa accipitur, ut nonnullis exemplis Cerda alicubi ostendit. Bignonius tamen asserit in Synodo Confluentina, curtem idem esse, qvod Prin-

Principis aula vel Comitatus. Verum ſenſus verborum, qvæ ille ex Synodo refert, id vix admittit. Et adhuc puto nomine curtis apud veteres nihil aliud innui, qvam villam & qvodvis aliud ædificium ruſticum.

Cluſuræ] Mallem ut clariſſimus Reineſius huius vocabuli indolem nobis explicaſſet; ſed hæſitare ipſum video. Mei ſi qvid iudicii, omnino putarim, cluſuras proprie eſſe caſtra in finibus provinciæ contra excurſiones hoſtium exſtructa; noſtris Gräntzhäuſer / vel, ſi mavis, Landtwehren. Autor mihi eſt Suidas omni exceptione maior, qvi ita ſcribit: ἐμβολὴν, κλεισούραν, εἴσοδον· οὕτω καλοῦνται ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων τῇ πατρίῳ τῶν Ῥωμαίων φωνῇ· Nec non Simocatta *lib. VII, c. 8* οἱ βάρβαροι, inqviens, τὰ ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων περικάθηνται, κλεισούρας καλοῦσι· Addo & Amianum *lib. VI, Alexiad.* ubi ſic: Σκύθας τὰς κλεισούρας διεληλυθότας· Conſtantinus deniqve Porphyrogenneta *in chorograph. c. 29.* in hunc modum ſcribit: καὶ πρὸς τὴν κλεισοῦραν ἀπήχοντο τοῦ αὐτοῦ κάστρου ὑπάρχουσιν μίλια τέσσαρα, ἥτις καὶ μέχρι τοῦ νῦν καλεῖται κλεῖσα. Unde patet, cluſuras parum aut nihil differre a burgis.

Admallare] Eruditiſſimo Autori idem eſt, quod citare; ſed non abs re erit, ſi monuero, quod citare proprie ſit iudicis, admallare vero eius, qvi iudicio cupit experiri. Docuit me id Ludovicus Cerda ex Marculfo *lib. 1. form. c. 21.* ubi ait: Eo qvod propter ſimplicitatem ſuam cauſas ſuas minime poſſit proſeqvi vel admallare. Hinc *mallenſes* dicuntur in iudicium vocati pro negotiis diſceptandis, noſtro idiomate Parteien/ vocati. qvos & *Gaſachios* in lege Salica adpellari memini.

Mannire] Eadem vis & ſignificatio eſt verbi *mannire*, qvam modo de dictione admallare tradidimus. Non enim iudex mannire dicebatur ; ſed actor ipſe, cum reum in ius vocaret. Bannire vero ad iudicem ſpectabat, & idem propemodum eſt, qvod citare ad iudicium. Qvam differentiam accepto referimus Hincmaro *Epiſt. IV. c. 15.*

Burgi] Pertinet huc locus Vegetii *lib. IV, c. 10.* Sidonii *carm. 22.* & Iſidori *l. 9. c. 2.* A Burgis qvidam Burgundiones adpellari autumant, ut P. Diaconus *l. 12.* & alii. Eiusmodi vero limites varie a ſcriptoribus nominantur. Herodianus φρούρια vocat : Lucanus *clauſtra.* Caſſiodorus *munimen clauſtrale* : Ariſtides πόλεις ἐφορείας. Conſtantinus Porphyrogenneta κλεισῶν. Procopius ἐρύματα ; alii aliter. Ea propugnacula validiſſima fuiſſe Auctor innuit; de quo ego dubito. Nam Procopius *lib. IV, de ædif. Iuſtiniani* diſerte ſcribit : illa non adeo fuiſſe munita, qvin expugnari potuerint ; ſed ideo ſaltem exſtructa, ne ripa fluminis virorum cuſtodia vacaret. Hinc Attila propugnacula, quæ Romani olim ad Iſtrum excitaverant, nullo negotio evertit. Loqvor autem de primis eorundem incunabulis. Nam poſt Attilæ expeditionem Iuſtinianus ita reparavit ea, ut validiſſima evaſerint & pene inacceſſa.

Veſtiarium] Nicetas Choniates ταμεῖον βασιλικὸν, item θησαύρισμα, nec non ἱματοφυλάκιον nuncupat, cuiusmodi in Septimo ſev Septimio, ſuburbio Byzantii fuiſſe ex hiſtoriis coniicio. Ac niſi fallor, veſtiarium regium partem habuit interiorem, qvam veſtiarium τὸ ἐντὸς ſive

ἀλλα-

ἀλλαξιμάτιον nominarunt. A vero quoque absimile non est, pretiosa qvæqve κειμήλια ibi asservata. Huius interioris vestiarii mentionem faciunt Codinus & Nicetas *in Alexio Comneno*. Bulengerus etiam notat, vestes sacras a servis & libertis tractari solitas, idqve sub Augusto. Postea vero Comes Sacræ vestis fuit constitutus, qvem Honorius & Arcadius inter cubicularios collocant. Hunc vero comitem utplurimum eunuchum fuisse haud obscure innuit *lib. VII Hist. Eccles.* Eusebius.

Iustitiæ forum vagum] Id qvidem recte. Imperatores enim Germani nullibi locorum diu consistebant: sed aulam subinde mutantes, instar hirundinum, hinc inde; inde illuc commigrabant. Qvo factum, ut litigantes Imperatorem, eiusqve curiam, Hofburgk: und Landtgericht: magno suo damno seqvi cogerentur. Qvæ res cum Statibus Imperii videretur intolerabilis, tandem Imperiale Prætorium Spiræ (a) institutum est, ut ex Bruschio in vita Berthœldi Moguntini observavi.

Cuius origines] Res abstrusa & a nemine hactenus tentata. Ac forte reperias ex ipsis Comitibus, qvi titulorum suorum rationem reddere vix ausint. Taubmannus, certe Philologus e non multis unus, ingenue fatetur, nomina ista, qvæ Comes qvidam Palatii Lateranensis præ se ferebat, neminem sibi explicare potuisse; seqve etiam licet sæpe rogatum nemini.

Denominavit eam domum] Lateranum a Plautio Laterano denominatum Autor existimat. Nec ego qvidem repugno. Rupertus vero Tuitiensis ideo sic dictum statuit, qvod ibi *latens* Nero *ranas* evomuerit.

Scita me hercle nominis derivatio; cui qvid tribuendum, autor arbitrabitur.

Hodie heredium est papale] Pontifices Lateranum nunc possident. Si qværas qvo iure? prætendetur Constantiniana donatio. Eam vero commentitiam esse & evanidam, nemo nescit. Ipsi etiam sacratissimi Cæsares illud ceu suum adserunt, adeoqve adversus donationem facto ipso insurgunt, qvando eiusdem insignia & titulos aliis conferunt: qvod ut more fit laudatissimo: (a) ita non omnino probare possum, qvæ Autor de hodierno Comitivæ usu paulo acerbius, (b) qvam ipsius fert humanitas, inter alia commentatus est.

Fortuito incendio corrumperentur] Idem accidit Imperatore Henrico V; qvanqvam non casu, sed culpa Viscardi. Sic enim habetur, apud Gotfridum Viterbiensem:

Henricus Qvintus dum gestat in orbe Coronam,
Audet Viscardus partim comburere Romam,
Hinc Lateranensis porta perusta sonat.

Βασιλείαν ἀπόρφυρον] Ideo sic dici ait clarissimus Reinesius, qvod Præfecti Prætorio in purpura nati non essent; a qvo minime dissentio: nisi forte in eo significatu sumere placeat, qvo Plutarchus in Bruto, togam ἀπόρφυρον vocat, hoc est purpuræ expertem. Ac nisi fallor, sensus iste longe facilior est, ac ad rem magis aptus. Nam utut Præfecti Prætorio potestatem habuerint summam & prope ἀνυπεύθυνον, purpura tamen vestiri ipsos minime oportuit.

Præten-

Prætenturæ] a Prætendendo, id eſt, antetendendo dictæ; tanqvam caſtra qvædam ſint antetendentia vel ſtationes antetendentes. Hinc aliud licet agens Ambroſius : Tanqvam in procinctu poſitus præludit prælium, & velut coram poſito prætendit hoſte. Rurſum : Fortis ergo eſt viri, non diſſimulare, ſin aliqvid immineat, ſed prætendere & tanqvam explorare de ſpecula qvadam mentis. Harum Prætenturarum ſolus qvod ſciam ex veteribus meminit *lib. XIV* Ammianus.

Murus Picticus] Qvem teſte Spartiano Hadrianus primum exſtruxit, ac ut Beda tradit, Severus reſtituit. Illius muri meminit Dio in Commodo his verbis: τὸ τεῖχος τὸ διορίζον τῶν Βρεταννῶν καὶ τὰ Ῥωμαίων στρατόπεδα. De ſimili admirando opere narrant nobis rerum Indicarum Scriptores. Affirmant enim, in regno Chinæ murum qvadringentarum leucarum inter montium crepidines extructum eſſe contra Tartarorum irruptiones. Qvin Iulius Cæſar a Lacu Lemanno ad montem Iuram, millia paſſuum decem novem, murum, in altitudinem pedum ſexdecim, foſſamqve perduxit, uti ſcribit ipſe *I de B. Gall. c. VIII.*

Comitis Conſiſtoriani. Conſiſtorium] Horum comitum mentionem facit Ammianus *lib. 28.* ac eos principes virtutum viros vocat alicubi Ambroſius. Iuſtinianus vero *Novell. 13.* τῶν περιβλέπτων κόμητας κονσιστωριανούς. Magnam qvoqve illorum dignitatem fuiſſe, vel ex eo conſtat, qvod proconſulibus æqvati fuerint. *l. 2. C. Theodoſ. ad l. Cornel. de Sicar.* An autem Comites Conſiſtoriani Imperatorum Conſiliarii fuerint, ut qvidem

dem

dem Autor ſubindicare videtur, nunc non diſputo. Illud ſolum adſpergere placuit, ſolemne olim fuiſſe principibus, ut cum cauſſas cognoſcerent, Senatores & Eqvites Romanos in conſilium vocarent, ſententiamqve ex omnium deliberatione proferrent, teſte Spartiano in Adriano *p. m. 62. & 78.* Hinc Alexander qvinqvaginta Iureconſultos doctiſſimos in conſilio habuit, ut a Lampridio proditum eſt. Auguſtus qvoqve Cæſar & Tiberius viginti viros Iuris ſcientia claros conſilii cauſſa ſibi adſciverunt, autoribus Xiphilino & Diacono. Idem de Caligula, Claudio Nerone, Domitiano, Traiano & aliis commemorant; qvod longius proſeqvi inſtitutum non fert. Ipſum vero Conſiſtorium qvod attinet, fuit, ut verbis Suidæ utar, *συνέδριον καὶ τὸ σύστημα ἔνθα περὶ τῶν ἐπειγόντων βουλεύονται.* Heſychius vocat *θεῖον συνέδριον*, alius *σεκρετάριον βασιλικόν.* Symmachus Sacrum auditorium: qvæ ſingula pluribus exornat Bulengerus. Nobis heic attigiſſe ſufficiat.

Reges Gentium] Berneggeri obſervationem argutam magis, qvam veram eſſe, res ipſa loqvitur. Et qvi intelligendi ſint per *εὐεργέτας* non tam ex moribus Perſarum, qvam ipſis Scripturæ fontibus petendum eſſe, recte autor inculcat. Qvod vero apud Matthæum, vel in qvibuscunqve aliis Scripturæ locis, per Evergetas non ipſi principes & reges; ſed illorum conſiliarii vel alii Dynaſtæ & Satrapæ ſignificentur, in eo cum clariſſimo Reineſio mihi non convenit. Nam Hebraicum Nadib & Nedibim, qvod ſexies in Sacro Codice occurrit, *ut Eſaiæ XIII & XXXII, I Reg. II, Proverb. VIII, XVII & XIX.*

& XIX, nunqvam Proceres Aulicos; ſemper autem principes ipſos denotat, ut in locis prænominatis videre eſt.


Sunt hodie de Amatis] Ex qva familia forteanoriundus qvoqve eſt Medicus ille non ignobilis, *Amatus Luſitanus* : qvi glorioſule nimis ſe podagricos omnino ſanare profitetur. Et paſſus eſt, ſibi a Nicandro Toletano ita occini,

Novit nodoſæ prudens & doctus Amatus
Et podagræ & chiragræ ſolvere cuncta mala.

qvi verſiculus extat in Epiſtola, ab Amato *ſuæ IV Centuriæ medicar.curation.* præpoſita. Delendum igitur illud erit ex libris Ovidii:

Solvere nodoſam neſcit Medicina podagram.





THO. REINESII,

AD

Notatiunculas

Bernhardi Bertrami, Cancellarii Saxo-Altenburgensis, super Commentatione de Palatio Lateranensi eiusque Comitiva,

Replica.

I.

(a) RES ſatis, me iudice, liqvida: ſed qvia non ea talis Magnificentiæ TVAE, age ligna ſic in lucum. Πορφυρογέννητοι, in purpura natos ſonant, ut tot Conſtantini, tot Comneni, tot alii Imperatorum Conſtantinopolitanorum liberi. At Commodus & Honorius purpura excepti naſcentes. Illum enim ἅμα τῷ τῆς γαστρὸς προελθεῖν ἡ βασίλειος ὑπεδέξατο πορφυρὶς, ut ipſe de ſe apud Herodianum *l. 1. cap. 5.* Honorius vero patrio adolevit in oſtro, & genitrix eum eſt in Tyrios enixa toros. Diſcrimen igitur hoc: Qvemadmodum ſi qvi eligerentur Imperatores ſive a Senatu, ſive a militibus crearentur raptim, iis in imperii ſignum

purpura iniiciebatur. Sic cum contra Maximinum Gordianus in Africa fieret Imperator, reclamantem & ſe terræ adfligentem, opertum purpura, imperare coegerunt, factio eius, inſtantes cum gladiis & omni genere telorum, Capitolinus *in Maximinis*: Vide eundem *in Gordianis*: Pollionem *in Herenniano*, Vopiſcum *in Proculo, Firmo ac Floriano*: Ita Imperatorum liberi recens nati purpura excipiebantur, ut faſciis, qvo de parentibus, purpuram indutis, & genitura ſua, ſev genere, ſic teſtarentur. Imperatorum vero Orientis liberis *in Purpura*, τῷ ἀφωρισμένῳ πάλαι ταῖς λοχεύσαις τῶν βασιλίδων οἰκήματι, ut de ſe Anna Comnena *l. 6. Alexiados*, naſci contingebat, & hinc πορφυρογέννητοι: ſimul etiam purpura involvebantur, & hinc πορφυρόλοχοι, vel πορφυρένδυτοι vocari poterant. Et hoc inſigne ſpecimen eſt faſtus Imperatorum CPtanorum, qvi ipſe ex hiſtoriis plus ſatis notus eſt, eisqve ruinam tandem attulit: & factum eſt eo, ut Occidentis Imperatores inepto, & per contemtum formato, vocabulo, Ῥῆγας & ῥηγάδας, vocarent, non Βασιλέας, qvod nomen ſibi arrogabant ſolis: extatqve tale qvid *apud Gold. tom. 1. ſtat. & reſcript. Imp.* in rebus, ni fallor, Caroli M, & *tom. 1. coll. Conſt. Imp. f. 285.* imperioſum ſatis Iſaaci Angeli ad Fridericum Barbaroſſam mandatum: qvod e Chronico magno Belgico transſcripſit ille; huius vero avctor e Cosmodromio Gobelini Perſonæ. Inſtituto igitur purpuræ, ab Imperatoribus Occidentis, qvos advocatos tantum Vrbis Romæ adpellabant interdum, ſe ſeparare, ſeqve iis ſuperiores, & vere præ illis Romanorum Imperatores eſſe, innuere voluere. Et hinc origines eius inſtituti aliqvo modo patent,

Beſſarion in epiſtola qvadam a Mevrſio edita ad Heaſych.

patent, ſcilicet non ad Conſtantinum M referri poſſe, ſed multo id recentius eſſe. Iuſtinianum eius avctorem eſſe veroſimiliter inde colligeret qvis, qvod ante hunc nullus Imperatorum CPtanorum Purpurigena compareat in hiſtoriis, neqve contentiones & æmulationes utriusqve Imperii tantæ ante eum fuerint; eiusqve Imperatoris in exornanda urbe Conſtantinopolitana inſanum fere ſtudium, & Conſtantini M operibus longe magnificentiora, e libris, qvos Procopius Rhetor, Comes & Conſiliarius Beliſarii, de eius ædificiis reliqvit, & partim ex Evagrii *l. 4. c. 29. & 30.* repeti poſſunt, notiſſima ſint. Clavdianus avtem Honorio Purpuram natalem locum fuiſſe ſcribere non potuit, & qvia ea tum nondum erat, & qvia ſi vel maxime fuiſſet non Conſtantinopoli, ſed in Hiſpania natus ille fuerat: contentus purpura, qva involutus, & indutus, ut ſolenne tunc Imperatoribus Romanis erat: & hoc ſenſu, non altero illo, reges *purpureos* nominaſſe *l. 2. de raptu Proſ.* qvo Iuvenalis *Sat. IV v. 31.* Criſpinum qvendam, Ægyptium, e ſervili conditione ad cenſum eqveſtrem & Imperatoriam familiaritatem, ſub Domitiano provectum, ſcurram purpureum.

(b) Qvinam illi, qvi hic ὁμόψηφοι mihi, vel qvibus ego? CL. V. Barthium, Philologum noſtro ſeculo nobilem, & ſine exemplo, miror, qvi & ipſe communi errore Porphyrogenetarum, apud Imperatores Græcos, nomen a colore illo pretioſo & honorato manaſſe, ſcripſit *l. 22. adverſ. c. 20.* non facturus, ſi de *Purpura* in regia Conſtantinopolitana alicubi legiſſet, vel ſibi lectum, ut videri cui poterat e *l. eius Adverſ. 51. cap. 4. fol. 2383*, meminiſſet. Certe qvia inter Imperatores Occidentis

dentis nullus *Porphyrogenitus* ſive *Purpurigena*, qvo inſigni tamen uſos, & in purpura conſpicuos fuiſſe notum eſt, denominationem hanc non a purpura colore, ſed a Purpura, qvæ Orientis Imperatorum propria & locus natalis, ortam eſſe recte concluditur.

(c) Lubentiſſime lego, & de qvo gratias CL. V. debent docti has literas, & antiqvitatum elegantiarumqve curioſi. Ego Græca avctoris eius, vulgo incogniti, mallem. Qvid enim in Latina Verſione hoc: *Erat locus Imperatoribus ad procreandos liberos ſeparatus*; neqve ſatis aptum id, *procreandos*. Græca ſine dubio βασιλίδας, Imperatrices, habent. Peto igitur indicari mihi, unde excerptum ſit hoc eius fragmentum, vel a qvo ille integer editus. Hiſtoriarum enim eius libri primi (decem vero ſcripſiſſe perhibetur) ſolum epitomen habemus apud Photium *Bibl. Cod. LXXIV.* in qva huius rei nihil. Qvia vero Theophanes ille fuit Byzantinus, fidem omnino meretur, cum de Purpura in patriæ urbis βασιλείοις exſtructis ædibus, ut de re ſibi comperta, veteris tamen inſtituti narrat. Etiam qvæ Luitprandus, Epiſcopus Cremonenſis, poſt Theophanem annis fere CC adnotavit, eorum fuit αὐτόπτης, cum a Berengario, Italiæ Rege, ad Nicephorum Focam, Imperatorem Conſtantinopolitanum, legatus eſſet. Falſus tamen ſine dubio in eo, qvod Conſtantinum M. eius rei avctorem fecit, & deceptus fuit vulgi errore, qvi in omnibus antiqvitatem præ veritate adfectat ſeqviturqve, & clarorum virorum famam non veris lavdibus, ſæpe etiam fabulis, pia ſcilicet fravde, & mendacio officioſo, ornare ſolet. Id qvod Conſtantino vel maxime contigit, qvod Cunæus *Præfat.*

in Iuliani Cæsares, ut & Carolo M, quod Gryphiander *Præfatione in tr. de Weichb. Saxon.* fuſe demonſtrarunt. Neqve vero ſiluiſſet id Anna Comnena, qvæ annis poſt Luitprandum CC natales ſuos in *Purpura* iactat, ſi eius rei avctorem fuiſſe Conſtantinum M, cuius nomen & famam adeo ambibant omnes, & ad qvem genus ſuum referre pro divino qvodam habebant, indubitato tum credidiſſent.

(d) Parebo deſiderio Viri Magnifici, & dubio eum hoc expediam. Illi ſolum πορφυρογέννητοι, qvi *in Purpura* naſcebantur. Qvi igitur vel privatis adhuc, (hi enim *a Purpura* arcebantur) vel alibi qvam Conſtantinopoli naſcebantur etiam Imperatoribus, minime. Ita nec Iulianus, qvanqvam Conſtantinopoli e Baſilina (γάλλων γένομα vocat Svidas in Iuliano; *matrem Gallam* vertit Sylburgius) nobili femina, Iuliani Comitis Orientis filia, Conſtantio Dalmatæ, Conſtantini M fratri naſceretur, Pomp. Lætus *in eius vita*, & Aymarus Rivallus *hiſt. Iur. Civilis l. 4. p. 255.* qvia *in Purpura* naſci non potuit, (ſi qvidem ea tum extructa, de qvo tamen non immerito dubito, uti ſupra dixi) utpote qvi naſcebatur privato, & e non Avguſta. Clarius: Inter Conſtantini Ducæ filios tertius tantum Porphyrogenitus, Michael vero & Andronicus minime, etſi maiores, qvia hos ex ἰδιωτεύοντι ἔτι Conſtantino, illum e βασιλεύοντι conceperat, & in Purpura pepererat, Avguſta Evdocia, ut e Zonara *in Commentatione ipſa* docui. Potius igitur, qvia domus, puerperio Avguſtæ ſacra, ei nomenclaturæ cavſſam dedit, æqvum erat, ut illi tantum, qvi in ea naſcerentur, non omnes indiſcriminatim Imperatorum

Con-

Constantinopolitanorum liberi sic denominarentur. Ἐκ πορφύρας, & vice lucernæ in meridie sit, qvod Constantinus, Leonis Philosophi filius, Basilii Macedonis nepos, Porphyrogenneta, adpellatus fuerit, Luitprando & Balsamone testibus; ideo, qvia natus in domo imperatoria, qvæ πορφύρα dicebatur; ob qvam eandem caussam & Leo pater Luitprando Porphyrogenneta: qvod nomen tum fratri eius natu licet maiori Constantino non contigit, qvia ei nec *in Porphyra* nasci contigerat, uti neqve Alexandro minori, qvem Constantino filio, etiamnum puero, in Imperio adiuvam & Synergum constituit. Cuiacius *l. VI Observ. c. 9.*

II.

Hæc de Diaconis VII, per Ecclesias Romæ constitutis, non adeo huc pertinent, neqve rem explicant; addo, etiam dubiæ esse fidei. Nam sedente in Cathedra Petri Evaristo, imperante Traiano, non ea erat Ecclesiæ Christi facies, qvalem nobis depingunt illi, qvi omnium fere Pontificum Romanorum instituta & traditiones ab Apostolis inde, & primitiva Ecclesia pura repetunt, adfinguntqve Episcopis Romanis incorruptis, qvæ a corruptissimis meretricis Babylonicæ purpuratæ sponsis, seculisqve recentioribus sancita sunt. Non hoc nunc ago, ut pluribus id demonstrem: fecit post alios Iac. Cappellus in libro *de Sedis Rom. fide sive stellionatu:* & Goldastus *in replica pro Henrico IV contra Gretserum.* Saltem innuo ex eo, qvod Cardinalis Diaconus, vel Archidiaconus, tum in Ecclesia qvis fuisse dicitur, fravdem subolere cuilibet emunctæ naris posse. Lucem igitur iis, qvæ de Episcopis Cardinalibus, presbyteris Cardinalibus,

libus, & Diaconis Cardinalibus dixi, adferent seqventia: Constat e libro *rituum Ecclesiæ Romanæ*, qvinqve fuisse Romæ Patriarchales Ecclesias, interqve eas præcipuam Lateranensem: in hac septem erant *Cardinales Episcopi*, qvi & *Collaterales* & *Hebdomadarii* vocabantur, qvod munus Pontificis singulis septimanis per vices obirent. Reliqvæ singulæ habebant septem *cardinales presbyteros*. Erant insuper *Diaconi Cardinales regionarii* & *Palatini*: illorum officium erat cantare Evangelium in stationibus: horum, in Ecclesia Lateranensi. Erant præterea *subdiaconi regionarii* & *Palatini*: illi qvi cantarent Epistolas & Lectiones in stationibus : hi, qvi in Ecclesia Lateranensi. Et hæc instituta non sunt primitivæ & vicinæ Apostolis Ecclesiæ, sed AntiChristianæ, inde vel a Bonifacio III, vel a Ioanne XII, vel, qvod verius, a Gregorio VII, deducenda. Legi apud Panvinium *in interpretatione obscur. voc. Eccles.* Spondanum, epitometen annalium Baronii ad *an. 1058. n. 3.* & Goldastum, in *Rationario* & *replica pro Imp. Henrico. IV, c. 30. p. 313.*

III.

(a) Ostendi satis superqve, ni fallor, vanitatem eorum titulorum, offeretqve se ea cuilibet rem recto iudicio æstimanti. Anne igitur simplices, qvibus tituli illi, inopes rerum, nugæqve canoræ, & maiorem speciem præ se ferentes, qvam reipsa habent, sunt pro illice ac fascino: anne ambitiosi, qvi eos etiam avcupantur?

IV.

(a) Certe usurparunt: Ecce enim rex Rotharis in *Legib. Longob. lib. 1. tit. 26. l. 1.* Sit culpabilis in curte regis solidorum XX, h. e. mulctetur : Et *l. 7.* alterum

tan-

tantum in Curte Regis perſolvat: *Legum Alem. cap. 28.* eſt de eo, qvi in curte Ducis hominem occiderit: *c. 30.* de eo, qvi in curte Regis furtum commiſerit: *c. 8.* de eo, qvi in curtem Epiſcopi armatus ingreditur. Iornandes *de rebus Geticis, c. 34.* Area curtis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipſam regiam avlam oſtenderet. Ecce-hardus etiam Iunior, qvi Otthonis Imp. Secretarius, & Scholæ in Cœnobio S. Galli magiſter, A. DCCCCXCVI obiit, in Caſibus S. Galli *c. 10:* Dux (Duciſſa) capellanos in curte ſua nullo modo otia tenere eſt paſſa: Ita & Helmoldo *in Chron. Slavorum* avla principis dicitur *Curtis*, qvæ Adamo Bremenſi eſt *Cortis.* Vide Goldaſtum *ad Eccehart.* & Vadiani Epiſtolam *de voc. obſc. Aleman.* Fidem etiam fecerit lingva Provincialis Italorum, in qva hodieqve *Courtiſans, Cortegiani* avlici: *courteſie*, curialitas, civilitas, blanditia, humanitas: *corteſe*, humanus, benignus: *corteggio*, avlicus comitatus, & *corte*, luogo di conſultare le coſe publiche.

V.

Clavſuræ &, extrita a, cluſuræ, κλεισοῦραι*, cluſæ, κλεῖσαι Græcis qvid, & an cum burgis eædem, definire nolui. qvia diverſa ſignificare noveram. Sunt enim Cluſuræ:

1. Anguſtæ viæ & favces, qvas montes prærupti utrinqve imminentes efficiunt, qvæ tranſitum & impetum reddunt difficilem, naturaqve munita loca præſtant: K Proco-

* *Eandem vocem etiam Livio reſtituendam eſſe cenſeo: cum enim hodie legimus* l. IX, 32. Sutrium, nobis ſocia, velut clavſtra Hetruriæ erat, *uti etiam legit Ammiratus* Diſſert. Polit. l. 19, p. 651. *legerem ego,* clavſura.

Procopius II *de bello Perſ.* σκόπελοι ὑπερφυεῖς ἐφ' ἑκάτερα τῆς χώρας ὄντες ςενωπὸς ποιοῦνται ἐνταῦθα· Κλεισούρας ἑλληνίζοντες τὰς τοιαύτας ὁδοὺς καλοῦσι. Nobis ein enger Paß; & nomine hoc *Cluſæ*, Claußen / etiamnum vocamus favces illas Alpium in Comitatu Tirolenſi, ultra qvas Ereberga, arx hominum opinione inexpugnabilis, MavritI Electoris Saxoniæ & Federatorum avdacia & felicitate nobilis, tuendis ab impreſſione e Germania Tridenti, Fori Iulii, & Norici finibus, extructa eſt. Et hanc ſignificationem innuit Suidas , cum κλεισούραν exponit per εἴσοδον.

II. Limitum munitiones, & prætenturæ, ſæpe χώμασι ſev aggeribus & foſſis tantum conſtantes, ſæpe ſtipitibus in terram defixis, & in modum muralis ſepis connexis; poſt qvas diſpoſiti in excubiis milites, Landtwehren/Schanzen. (Palis ſpinoſis ſepta erat Acropolis Athenarum, anteqvam muro circumdaretur, *Mevrſius, Cecrop. cap. IV.*) Suidæ, τὰ ὀχυρώματα διαβάσεων; qvia talia opera plerumqve ad regias, & qvas vitare nemo facile poteſt vias, fluvios ac vada excitantur; ςρατόπεδα ταῖς ὄχθαις τῶν ποταμῶν ἐπικείμενα, περιασπίζοντά τε τῆς Ρωμαίων ἀρχῆς. *Herod. l. 6, 2, 15.*

III. Habitacula militum præſidiariorum in Provinciæ finibus, eidem fini, eoqve aliqvando e levi materia, & opera tumultuaria; uti & valla caſtrorum ſolebant: Alex. ab Alexandro *l. 1. gen. dier. c. 12.* pro materia ſuppetente extructa. Incendi enim facile potuiſſe e Vopiſco liqvet; qvi *Bonoſum, cum qvodam tempore Germani Romanas in Rheno cluſuras* (ita ſcripſerat Vopiſcus, & ideo germanam eſſe hanc emendationem meam, deierare avſim,

sim, præ, qvod mendoſum legitur in editione Egnatii Lugdunenſi, aliæ enim ad manus non ſunt, qvas conſulam, *luxurias*, nullo ſenſu) *incendisſent, timore ne pœnas daret, ſumſiſſe imperium* ſcribit. Firmo lectionem meam eiusdemmet Vopiſci avctoritate, apud qvem cum interemto Avreliano ſuffici alium oporteret Imperatorem, cogere id neceſſitatem ; nam limitem trans Rhenum Germani rupiſſe dicuntur , conſul retulit, de eodem Germanorum facinore aliis verbis loqvens. Interdum muris, foſſis, aggeribusqve cincta fortalitia, Gränzhäuſer / clavſuras hodie pro more militiæ noſtræ , vocare poſſumus, & ſic cum burgis fere eſſent eædem ; ſed an ex antiqvitatis uſu id fiat, dubito.

IV. Clavſura in aqva eſt, cum fluvium oppoſito vel interiecto aggere & molibus qvibusdam remoramur, & ſic alio derivamus, eæqve uno efficimus duos, ein Schuz oder Weer / qvod Stilico fecerat Gothis ad deditionem compellendis : Clavdianus *de VI Honorii conſul.* In hac notione capio in *Leg. Alem. c. 87.* ubi ſic legitur : Si qvis mulinum avt qvalemcunqve *clavſuram* in aqva facere voluerit, ſic faciat, ut nemini noceat. Ibidem : ſi qvis *clavſuram* in aqva fecerit, & ibi alicuius pecus necaverit &c. Item in loco Procopii *l. 3. de ædificiis ſev operibus Iuſtiniani* ; qvi apud Cuiacium *lib. 3. obſerv. c. 24.* corruptus, & ſic reſtituendus eſt : ποταμοὺς ἀπεργάζονται δύο ἀγχίστατα ἀλλήλοιν ὄντας, οὕσπερ νενομίκασι κλεισούρας καλεῖν.

V. Aliud qvid per clavſuram denotatur, cum in *Legibus Longob. lib. 2. t. 36. l. 36.* rex Liutprandus ita : Si qvis commutaverit terram, arvum, vel pratum vel ſilvam, & ibi laboraverit, & ædificium fecerit, avt clavſu-

ram, avt vineas poſuerit : & cum Rex Rotharis *lib. 1. tit. 24. l. 2.* ſic : ſi qvis peculium (pecus) de damno ſuo ad clavſuram minaverit, i. e. abegerit. *t. 25. l. 6:* ſi qvis peculium ſuum de clavſura aliena tulerit occulte. Patet e verbis legum, per clavſuram nihil aliud, qvam ſtabulum, vel qvemcunqve locum ſeptum intelligendum eſſe, qvi ad curtem vel villam pertineat. Pono hoc , non contendo; alius forte melius coniiciet. Et ſic ſat multa de clavſuris : de qvibus & conſule doctiſſimi P. Pithœi Adverſaria, *lib. 1. cap. 14.* Qvis ille Ammianus, qvi *Alexiados* libros ſcripſerit? ſuſpicor eſſe ψευδογράφημα & reponendum vel Arrianus *l. 6. de reb. geſt. Alex.* vel Anna Comnena *l. VI Alexiados* *: qvæ conjectura veriſimilior.

**Primum edidit D. Hæſchelio e Bibliotheca Avguſtana, 1610. In qvibusdam eſt hic titulus :* Hiſtoria Conſtantinopolitana, ab A. M LXXX, vel circiter, res geſtas complectens.

VI.

Ita didiceram e Frehero , qvi in gloſſario vocum ſemilatinarum : *Admallatus*, inqvit, *citatus.* Vide P. Pithœum *in Gloſſario Capitul. Caroli M*, qvi & *mannire* exponit per *citare, in ius vocare,* non attenta illa differentia, qvam docet vir Magnificus, qvamqve non oportet negligi, ob diverſas in iudicio Iudicis & Actoris perſonas ac officia. *Mallare* igitur dictus eſt ille, qvi alteri litem intendebat, eum conveniebat coram iudice, interpellabat de re aliqva, accuſabat, de eo conqverebatur. Confirmo me in hac ſententia teſtimoniis ſeqventibus: *Leg. Alem. c. 35.* ſi qvis alium mallare vult, de qvalicunqve cavſſa in ipſo mallo publico debet mallare ante iudicem ſuum : *c. 41.* Ille homo, qvi mallatur ante iudicem : *c. 93.* ſi qvis aliqvem poſt finitam cavſſam & emendatam mallare voluerit. Ibidem : ſi qvid malli vel conqveſtus ad ipſum haberet. Inter chartas & inſtrumenta *veter. Alemann.*

a Gold.

a Gold. edit. 27. est : Prædium qvasi heres repetere, publicaqve mallatione monasterio abstrahere conabatur. Ab hoc significatu pavllum abire & insolentius esse mihi visum est, cum in *c. 35, leg. Alam.* lego : in uno placito mallet cavsam suam : expono, *proponat, perseqvatur.*

VII.

Lubentissime adsentior, & gratus iudicium eius differentiæ agnosco : addo tantum *in Legibus Alam. & Long.* freqvens esse vocabulum, *Distringere* pro bannire, citare ; *per districtionem comitis ad mallum veniant* ; *Legum Long. l. 2. t. 43. l. 2.*

VIII.

Non peccavi igitur, cum munita fuisse & valida scripsi : respexi enim maxime tempora Iustiniani, qvi operibus eiusmodi exstruendis summe incubuit ; de qvo qvædam superiuscule.

IX.

Ἀλλαξιμάριον scribendum fuit ; ἀλλάσσειν enim simpliciter significat vestes mutare, qvod fiebat in parte vestiarii regii interiore : unde non opus est, ut composito vocabulo, ἀλλαξιμάτιον qvasi ἀπὸ ἀλλάττειν τὰ ἱμάτια eam nominemus. Repugnat etiam terminatio. Altera verò in άριον sese maxime probat, facta a Græcis, ad latinis usitatam, in denotandis locis & ædificiorum partibus. Dicunt enim armarium, carnarium, penuarium, aviarium, apiarium, lararium &c.

X.

Eius rei, ut fere aliarum omnium magni momenti, etiam doctissimis viris, obscuræ sunt origines, & non obviæ. Anno Dom. MCCCCLXIII, sub Friderico III,

Neoſtadii Auſtriacorum fuiſſe tale prætorium Cæſareum colligo e Lehmanni *Chron. Spir. l. 7. c. 108. f. 949. a.* Poſt annos XXX a Maximiliano Imp. inſtitutum eſt id Wormatiæ: poſt Anno MD deliberatum eſt de erectione eiusdem in urbe Nürenbergenſi: tandem translatum Spiram: qvod temporibus Bertholdi Epiſcopi Moguntini factum fuiſſe, ut velle fertur Bruſchius, dubito. Laboravit ille in eo negotio plurimum; ſed non dedit confectum. Multo recentior eſt Camera Spiræ.

XI.

In Commentatione expoſueram; ſed neſcio qvî factum, ut iſta e textu exemplaris illius exciderint. Ea igitur huc nunc inſero, & ſunt iſta: Oppido vero qvam futile eſt & ex ἀνιστορησία deliroqve fabularum ſtudio, qvod ſeculo barbaro, omnisq; elegantiæ rudi, veritatem hiſtoricam pleramqve interpolavit, natum, Lateranum inde dictum, qvod Nero dedecoroſe potionibus uſus maleficis, illic (ut fertur) *latens ranas* evomuerit; reliqva ſuperius reſtituta legantur integra.

XII.

Et hinc eiusdem Peleiandri tot ſales & mordacia dicta, qvibus *Barptolomæum Bylovium* famigeratum tum Comitem Pontificem per luſtra & cavponas conſpergit. Legi poſſunt in Carminibus eius paſſim & in Diſſertatione *de Lat. Lingva & larvis lavreatis.*

XIII.

(a) Docui in *Comment. ipſa* pluribus Sacratiſſ. Impp. iure omni eos conferre titulos, & repetere a malæ fidei poſſeſſore etiam Lateranum ipſum poſſe. Utinam tam id etiam velint! an vero integrum Lutherano, an

Theo-

Theologo, eosdem vel venari, vel oblatos acceptare, id vero ἀμφισβήτημα est. Certe inepte graves sunt tales & similes illis Episcopis, qvi se scribunt de locis in terris Turcarum. Non dememinit vir Magnificus, qvid Michaeli Heldingo, Enslinga Svevo, suffraganeo primum Moguntino, post Episcopo Merseburgensi, A. D. MDXLVIII, passim in Scriptis suis occinuerint nostrates, qva Theologi, qva Politici, qvantis sarcasmis titulum Sidonii vel Sidoniensis Episcopi exceperint. *Chytr. Chron. Sax. l. 16. f. 492.* Et de qvo sugillamus alios, in nobis id probabimus? Qvin potius veritatem seqvamur, eamqve nullius hominis avctoritate obfuscari, qvoad possum⁹, patiamur. Et qvemadmodum multa fieri aliqvando, qvæ iure reprehenduntur, necesse est, ne Christianæ plebi scandalum oriatur: ita multa omitti aliqvando oportet, qvæ licerent vel viderentur non esse adeo illicita, ob eandem cavssam:

- - - - multi
Committunt eadem diverso crimina fato.

Discretio scilicet, qvæ mater est omnium virtutum, ut in *Apologia* pro *Henrico IV Imp.* inqvit Walramus Ep. Navmburg. neqve heic negligenda.

(b) Acerbiora, qvæ videri possunt, mea non sunt, nisi forte adplicatione. Deinde non potuit ad præmissas tales alia seqvi conclusio, nec potuit aliter fieri, qvin vel simplicitas vel ambitio eiusmodi Theologo-Comitum sic se proderet. Simplicitas; qvia titulos suos ipsi non intelligunt, & inscii se ab eo denominant Domino & loco, a qvo exire iubemur mandato Divino. Ambitio; qvia non contenti veris licitisqve honoribus, eos, qvibus nihil extra

extra respondet & non convenientes sibi titulos avcupantur, qvasi ad eorum strepitum moveretur cordatior orbis. Et ut maxime taceam vel ego vel Philalethes alius, e præmissis per textum Commentationis conclusio ipsa cuilibet ἀγχινόως se insinuabit. Si cui igitur inhumanius videtur Theologo· Comites πεφυσιωμένους ita taxari, ille vel alias eius dignitatis origines nobis edat, vel dignitates Laicas convenire etiam clericis, Lutheranumqve salva conscientia & professione fidei characterem Papalem gestare posse doceat, atqve una opera

Delphinum silvis adpingat, fluctibus aprum.

XIV.

Qvando Plutarchus togam vocat ὁλοπόρφυρον, & prætextam togam περιπόρφυρον h. e. purpura circumdatam, sev circumsutam, non nisi de purpura colore intelligi posse certum est. Præfectorum vero Prætorio, qvibus Maiorum domus in avlis Imperatorum Francicorum respondet axioma, potestas βασίλεια ὁλοπόρφυρος sic vocari ob purpuram non potest: qvia purpuram gestare Præfecto Prætorio, clarissimatus notam, licuit, secus qvam vulgo hac de re sentitur. Nam qvia Præposito sacri cubiculi, qvi tertio inter Illustres loco habebatur, purpureum gestare pallium concessum erat, fide G. Codini Curopalatæ: & qvia inter insignia Procos. Asiæ, qvi erat e Spectabilibus, erat etiam toga purpurea; cur Præfecto Prætorio, qvi primo inter illustres loco erat, eam denegatam fuisse crederemus? Suspicor recentioribus seculis ita fuisse, scilicet cum Purpura iam exstructa esset; antiqvioribus vero purpuram trabeamve nemini, præterqvam Imperatoribus, gestari concessam. Et hinc utro qvis

qvis modo Evnapium exponat, modo Purpura avctorem habeat Constantinum M, de qvo tamen dubito, uti supra, non adeo erraverit? utut sit, erat honorum omnium apex Præfectura Prætoriana , ut loqvitur Ammianus Marcellinus *l. 21.* circa finem: & Præfectus Prætorio herorum omnium primus, excepto Imperatore , ut vere χαριτογλωττεῖ ad Probum P. P. Avsonius *Ep. 16.* vid. Al. ab Alexandro *l. 6. dier. gen. c. 20. p. 267.* Evagrius *l. 3. c. 42.* sub Anastasio Imp. Μαρῖνος ὁ Σύρος τὴν κορυφαίαν διέπων τῶν ἀρχῶν, ἣν οἱ πάλαι ὕπαρχον τῆς αὐλῆς ἐκάλουν.

XV.

Senatores Patricii , dicebantur comites Consistoriani, avctore Constantino; *P. Pith. Not. in vet. Schol. Iuv. Sat. X. p. 448.* Patricii avtem hi dicebantur , qvia in contubernium Imperatoriæ Maiestatis adsciti, eidem in arduis regni negotiis tractandis aderant, consulebant, & vice Parentum erant. Nam & voce *Patrum* ICtos & Consiliarios suos, ut & studiis suis Præfectos ephorosqve sev monitores , qvos CPtanos Impp. βασιλεοπάτορας seculis posterioribus vocasse , tralatitium est. Præfectos Prætorio, urbi, etiam Patricios, dicebant Parentes Imperatores. Patricii Parentes Imperatorum seculo Constantini primum dici cœpere, e Zosimo P. Pithœus *l. c.* At Imperator Alexander Vlpianum, Præfectum Prætorio, parentem suum vocat *l. 4. C. de locato.* Constantinus & Constans *l. 6. de annona & trib. in C. Theod.* Rufinum Præfectum Prætorio parentem amicumqve suum: Sic Constantinus *l. 1. de episc. iudic. in C. Theodos.* ad Ablavium Præfectum Prætorio *Parentem karissimum :* item, Albinum Præfectum Prætorio *Parentem Avgustorum,*

Theodosius & Valentinianus *in Nov. de Sepulcris : Nov. de Manichæis : Nov. 2. de testamentis & Novell. de confirm. leg. Novell. ff. Theodos.* adpellarunt. Dubium igitur nullum, Comites Consistorianos ipsos Imperatorum consiliarios fuisse.

XVI.

Per Ἐυεργέτας tam Principes, qvam Satrapæ in horum avlis intelligi sine vitio possunt. Alia vero ratio est prædicati *Nedibim*, qvod de hisce in scriptura dici nunqvam docui; nam solius Regis proprium cognomentum id est; qvanqvam qvia magnates in avlis munifici & liberales sunt vel esse in alios possunt, qvid vetat & eos, respectu ad etymon habito, *nedibim* vocare?

XVII.

Non est. Fuit enim gente hic Lusitanus, & qvia ad Iudaismum deficere videbatur, inqvisitionis contra Marranos institutæ metu in Italiam exulatum abiit, & aliqvandiu Ferrariæ medicinam docuit. Fuit avtem ut nomenclatio eius fert (scilicet cum Amathum se nominaret) adprime indoctus, &, ut e scriptis eius colligi potest, omnium arrogantissimus, iudicio Matthioli; loqvax & ineptus homo, nugator, verbis Franc. Barthini, regis Bohemiæ Maximiliani medici, *in epist. ad Matthiolum*; cuius stulta arrogantia & prodigiosa insania risu potius & helleboro explodenda, & expurganda, qvam scripto confutanda, testimonio Bernh. BessenI CronenburgI, medici Coloniensis epistola ad Matthiolum. Qvin & vulgari elogio, fabularum centuriator est *ob editas centurias Curationum medicarum*, fictarum potius, qvam factarum, Cratonis archiatri Cæsarei sententia : qvorum avctoritas

ctoritas merito suo tanta apud me est, ut Amathum illum excusare qvidem ego non avdeam. Sed nec Nicander Toletanus, adulator eius ille, vere docti viri nomen sustinet, ut qvi diphthongum corripuerit; dignus cui Prisciani ferula cheiragram inducat. E versu vero Ovidiano medicam decidere controversiam non licet; qvemadmodum nec sacra, nec iuridica e Poëtis aliis. Observarunt enim viri docti, Poëtas circa qvasvis res non solas fabulas vel historias, ad vulgi opinionem magis adludere, qvam rei veritatem exprimere, & studio qvodam depravate referre. Servi enim sunt vulgatarum opinionum, a qvibus dissidere ipsis, qvi vulgi avram captant & adplavsum e suprema cavea exspectant, difficilimum videtur. Non diffitetur hoc de Poëtis Poëta ipse Naso, *l. 3. Eleg.* cum inqvit:

Exit in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historia nec sua verba fide.



AD *num. I. Replicæ, pag. 69:* Locum Theophanis de Purpura Bertramus e Fr. Turriani *lib. 2. de Dogmatum Characteribus* transscripserat. Cum autem plures fuerint hoc nomine scriptores historiæ Romanæ Byzantinæve, non præter rem quæsitum est, cuinam primum adscribi debeat? Non Mitylenæo, qui Pompeio M æqualis: nec alteri Byzantino, tempore Iustini II claro, in cuius fragmentis, quæ exstant, nihil tale. Georgius quidem Theophanes, itidem Byzantius, Purpuræ meminit *Chronogr. p. 398.* Sed in re diversissima, qua Irenen suis amicis, & tunc filii Constantini Porphyrogeniti comitibus, mandasse ait, vt eum sibi vinctum traderent: qui & in urbem deductum ἐν τῇ πορφύρᾳ, ἐν ᾗ ἐγεννήθη, ἀπέκλεισαν. Neque male coniectat

Vossius, hunc esse eundem, qui de exilio S. Nicephori, deque translatione reliquiarum eius scripserit, cum Genesius, auctor rerum a Leone Armenio ad Basilium vsque Macedonem, cuius Codex in Museo Bosiano habetur, *lib. I* Βασιλειῶν *in Leone Armenio*, idem confirmet, & carminis in hanc rem mentionem faciat. Nam postquam recensuisset fraudem, a monacho suasu Theodoti factam Imperatori, subiicit, ὡς καὶ παρὰ τοῦ μακαρίτου Θεοφάνους καὶ ὁμολογητοῦ ταῦτα δι' ἐμμέτρου ποιήσεως ἐστηλίτευται, & postea narrat, quomodo idem Nicephoro Patriarchæ exuli adfuerit. Theophanem Isaurum, allegat Wendelinus *cap. XIV de Nilo, §. 6.* Alius ab hoc Theophanes Nicaenus, Georgio Iustris aliquot iunior, & hinc sæpe cum eo confusus, cuius egregia monumenta ingenii Posseuinus recenset, vbi forte leguntur, quæ Turrianus habet. Plures huius nominis profert & accurate discernit, Iac. Goar, *Notis in Theoph. p. 544.* quem vide.



GEORGII SCHUBARTI

DE

COMITIBUS PALATINIS CAESAREIS

Exercitatio Historica.

Ienæ, apud IO. NISIUM.
M DC LXXVIII.



I. N. I.

De

COMITIBVS PALATINIS CAESAREIS.

DIgnitatum ac magiſtratuum nomina, legibus iuxta moribusque comprobata, in Republica ſemper fuerunt. Vbi tamen eorum rationem ineas, quibus ſingula temporibus cœperint, qua fini ſint in publico inuenta, qualiave haberi debeant, ſi comparentur inuicem, ordine temporum, rerum & officiorum mire confuſo, ingentem omnium reperies apud auctores perturbationem. Alii ſtudioſi nimium antiquitatis ex Aboriginum imperiis tanto ſua repetunt conatu, vt prope nihil admittant, niſi quod venerabile illud ac deforme ſenium refert. Multi cum antiquiſſimorum memoriam vetuſtate ſentiant abiiſſe, aut tenuem haberi ac imperfectam, nec recentioris æui ſtatui conuenientem, magis in propinquo verſantur; ſed quod officiis domus Auguſtæ, qualis ea poſt Iulii Cæſaris tempora, vel ſub Græcis atque Francis fuit Imperatoribus, enarrandis illuſtrandisque

disque occupentur, nunquam in rem præsentem veniunt. Plerique horum secuti vestigia, recentioris æui dignitates laudabili studio exposuerunt, & eas vel nude nulloque plane respectu ad antiquiores illas, aliasve in vicinis extra Imperium regnis hodienum vsurpatas, habito, vel comparatione quadam inter antiquas & hodiernas, ob similitudinem sibi propinquas, instituta. Qui tamen in hac litterarum parte ad summam enituerit, aut cuncta perfecerit ita, quin semper hæserit, in quod curam posteriores ingeniique vires intendere nequierint, omnino inuentus est nemo. Argumento sit honor ac munus Comitum Palatinorum, quod multi strictim attigerunt, nonnulli data opera descripserunt, pauci ea, qua meretur, dignitate absoluerunt. Facturusne igitur sim pretium operæ, si post alios in honestissimorum studiorum æmulatione, ad hanc rem meditandam & proponendam accingar, non satis scio: nec si scirem, dicere auderem. Vtcunqve fuerit non minorem ab eruditis gratiam spero me initurum, quam laudem forte merebor, non ingenii, quod sentio, quam sit exiguum, sed studii conatusve, cui vt benignum numen prosperos largiatur successus, sancte precor.

Comitum Palatinorum varietas, non sine distinctione, & inquisitione, per seriem temporum demonstranda. Comitum origo ab Imperatoribus Romanis ducta. Quinam sint illi? Amici Principum & Parentes vocati.

Prius

Prius autem quam in rem ipſam ingrediar & Palatinorum comitum prærogatiuam ac varia iura deſcribam, ad ea, quæ propter argumenti amplitudinem ſimul & antiquitatem heic ſcitu ſunt neceſſaria, præuertar, orſus ab ipſa Comitum origine, diuerſo ſtatu ac ordine, hinc ad Palatinos multiplicemque illorum dignitatem tranſiturus, ne quis exteriore rerum ſpecie ductus in tanta varietate quodam ſimilitudinis colore decipiatur.

Comitis nomen vti vix vnius eſt gentis, ita nec vnius ætatis, quippe tot vicibus obnoxium, quam aliud ex publicorum munerum vocabulis prope nullum. Republica Romanorum adhuc florente, ſimplicis notæ atque adpellationis fuit, non meriti aut honoris, vnde ſociis itinerum quibuslibet, nauigationum, laborum ac periculorum eſt datum. Cicero pro Sulla: *hoc* inquit *importuniſſimo tum honoris, tum etiam calamitatis ſocio ac comite, & ſecundas amittere fortunas coactus eſt, & in aduerſis ſine vllo remedio & alleuameno permanere.* Eadem tempeſtate Prouinciales Proconſulum ac Prætorum legati fuerunt comites adpellati, quod illos cum imperio proficiſcentes in prouincias ſequerentur, conſiliis velut adſeſſores intereſſent, mandata iuriſdictione vterentur, litigantibus iudices, tutores darent pupillis. T. Pomponius Atticus cum Q. Tullio Cicerone, adfine ſuo noluit in Aſiam ire, vtut legati ſiue Comitis apud eum poſſet locum obtinere. Arbitrabatur enim hac in re non ſe dignitati ſuæ magis conſulere, quod nollet adſecla prætoris eſſe, qui iam ante prœturam gerere detrectaſſet, *Nep. in Att.* quam tranquillitati, cui ex ciuili Epicuri inſtituto, *de alie-* *VI, 4. 5. Cic* *nis nõ curandis*, tota vita cum L. Saufeio ſuo ſtudebat. Non *V Att. ep. 19.*

M igitur

igitur audiendi sunt, qui circa hæc quoq; tempora Comitis nomen varii generis adparitoribus, præfectis, quæstoriis scribis aut quinqueuiris, præconibus, pistoribus, coquis, aliisve in prærogatiuam & ciuile decus a Senatu collatum existimant: cum in illa rerum æqualitate ambitus ac vanus titulorum fastus publicis coerceretur legibus, honores nondum effusi nimis ac protriti, sed rari, tenues, ob eamque caussam gloriosi essent; postea vero hac rerum forma, fatis imperii vrgentibus, conuulsa & arbitrio submissa vnius, alius plane status emersit, plurima in publicum egregium inuenta, noua ad summam dignitatem insignia, quæ venerationem apud subditos pariter & exteros concinnarent, adhibita, magistratus alii creati, beneficiaque plurima pro virtute ac meritis tributa, nihilque tam honorabile habitum & excelsum, quam inter Imperatoris comites, amicos & familiares referri. Iulius Cæsar de Ambiorige, Eburonum principe commemorat, quod fuga se turmis eripuerit Romanorum, dum eorum vim comites ac familiares Ambiorigis angusto in loco ad siluam Arduennam paullisper sustinuerint. Quamuis autem Comitis vox honoris potius character heic sit, neque certum & mansurum designet officium, postea tamen inualuit ita, vt ad omnes militares æque ciuiles palatinasq; dignitates se porrigeret. Sic primi Romanorum Impp. nullius vitæ genus aut studia fastidientes, in comitatum, amicitiam & veluti contubernium legebant, quos modo consiliis eminere ac virtutibus nouerant, & quos in reip. procuratione non tam auctores quam actores habere poterant. Inter Cæsaris amicos & Comites a Suetonio refertur medicus, quem circa Pharmacusam

VI B. C. 30.

cap. IV in vita Iulii.

macuſam inſulam captus a prædonibus e reliquo comitantium cœtu ſecum retinuit. Vbi haut immerito notant Fr. Robortelli vanitatem eruditi, eumque lege puniendum Cornelia cenſent, quod pro *medico* ex Plutarchi Iulio ſubſtituat *amicum*, quaſi vix ſimile veri ſit, vlli medicorum eum fuiſſe honorem habitum, vt inter Cæſaris amicos aut comites numeraretur, cum illis temporibus artem Medicam ſerui Romæ factitarint. Tiberio Sextus quidam Palpeius comes ſub Diuo Auguſto Cæſare datus legitur in veteri lapide: SEX. PALPEIO. LEG. TI. CLAVDI. CAESARIS AVG. PROCOS. COMITI TI. CAESARIS AVG. DATO SVB DIVO AVG. C. Otho Imperator, medius Galbam inter & Vitellium, bimeſtres illos, cuius pariter ipſius primordia cum fine pæne copulantur Imperii, Ptolomæum mathematicum, vt Tacitus refert, comitem ſibi legit, qui ex obſeruatione ſiderum clarum ipſi annum & imperium adfirmabat, ingenti artis vanitate, apud Romanos & prohibitæ ſemper & retentæ. Iureconſultos Iulium Cæſarem, & ab illo reliquos Imperatores, in conſilium, comitatum, contuberniumve adſciuiſſe, & amicos, adſeſſores, conſiliarios, comites, omnis conſilii iuxta & operis participes, per honorem adpellaſſe, vulgare eſt ac paſſim obuiũ. Non ex his obſcura fore nomina exiſtimo C. Auli Ofilii ac Neruæ, quorum familiaritate Cæſar vſus, Iuuentii Celſi, Neratii Priſci, Saluii Iuliani, qui fuere Hadriani adſeſſores, Voluſii Mæciani, Aburnii Valentis, Vindii Veri, amicorum Antonini Pii, Ceruidii Scæuolæ, ipſi pariter Antonino perpetui comitis, præcipiti deniqve ſenecta Alexandri Seueri ac principis Iuriſperitorum, Papi-

Grut. pag. CCCCXLVII, n. 4.

1. Hiſtor. p. 416.

niani, præceptoris, Domitii Vlpiani, qui Consiliarius ab Alexandro Imperatore, siue vt Cassiodorus in Chronicis habet, adsessor insignissimus est creatus, aliorumve plurium, quorum si numerum ex illo æuo inire vellem, aut industria lectoris abuti, aut extra instituti rationem versari merito viderer. Neq; est, quod quis dicat omnino optimos quosque in curarum principalium partes & maiestatis contubernium venisse, vel vt Panegyristæ ad Traianum verba huc accommodem, præcipuum hoc principis opus semper fuisse, vt tales sibi pararet amicos, quos in domestica & interiore vita nosset fideles; vix tamen adparere, Comitis nomen ipsis ab imperatoribus in honorem ac publicum ornamentum iam illa ætate datum. Ælius Spartianus sane, Hadriani Imperatoris iudicandi morem describens, ait, quod in tri-
n. 18. & 22. bunali constitutus in consilio habuerit *amicos aut comites*, quos videtur numero sequenti per Prætores, optimos Senatores, ac ipsos quattuor illos Consulares, per omnem Italiam iudices ordinatos, designare. Ælius quoque Lampridius Alexandrum Seuerum tanta in suos voluntate insignem commendat, vt iniuriam nulli vn-
n. 32. quam *amicorum comitumve* fecisse dicat. Sed Comitis nomen in his vtique honoris est, nec omnibus promiscue sequentibus Imperatorem tributum fuisse legitur. Iam vero hoc idem multæ testantur inscriptiones illius æui, quarum vel vnam e Marmore Mediolanensi descri-
Grut. p. MC. ptam attulisse iuuabit: C. SENTIO SEVERO QVADRATO C. V. COS. AMICO ET COM. AVG. N. Sentiorum hæc apud Romanos clarissima gens, & Sentii cuiusdam Saturnini, cui Quadratus propinquus, Velleius

Patercu-

Paterculus non vno loco honorificam mentionem iniecit, itemque Iosephus, qui inter Syriæ Præsides retulit (a), quique, vt & Tertullianus, (b) hunc Saturninum tempore nascentis Christi Syriæ præfuisse tradit. Vocantur in antiquis inscriptionibus *Gentii*, marmorariorum imperitia, sæpe etiam *Centii*, vti doctissimus harum rerum interpres, Tho. Reinesius, *in Oedipo Ænigmatis Patauini* exemplis ostendit. Vt hinc adeo manifestius liqueat, qualis fuerit dignitas & prærogatiua Comitum Principis amicorumque, ita publicis elogiis perpetuo dictorum, simul & quam parum discriminis inter hos & proxime secutos intercedat. Non tamen negandum, intimos principum amicos, qui Comitatum non obseruabant, nec peregrinationibus eorum atque expeditionibus intererant, saltem *amicorum* titulo apud scriptores honestari, interdum & *patrum, parentum carissimorum*. Hoc ipsum eximie testificantur diui fratres, Marcus Antoninus, & Ælius Verus, in Rescripto, cuius pars lege XVII *de Iure patronatus* continetur, vbi Volusium Mæcianum *amicum suum* & iuris ciuilis, præter veterem & bene fundatam peritiam, anxie diligentem collaudant, ac statim addunt: cum & ipso Mæciano & *aliis amicis nostris* Iurisperitis adhibitis tractaremus; adeoque vt ex his etiam Valerii Probi singulæ, AM. N. vltro pateant. Magistratus in vrbe, potestates in prouinciis, maiore paullo dignitate eminentes, quales tunc erant viri Consulares, prætores, prouinciarum rectores, ab Imperatoribus fuisse *Parentes & Amicos* adpellatos, notius est, quam vt heic proponi debeat. Præclare in Alexandro Lampridius: *Amicos*, inquit, *& parentes* ubi malos reperit, aut

II, 77. 103. 105. 109.
(a) XVII. Antiq. c. ult. & XIIX, 1.
(b) lib. IV adv. Marcion. A. 4.

puniuit, aut si vetus vel amicitia, vel necessitudo noluit puniri, a se dimisit, dicens: *bis carior est mihi tota Respublica.* Frequens est salutatio, Principum epistolis ad Proconsules ac Præsides præmissa, *haue parens carissime.* Eadem fere ratione parentes dicti, qui moribus principum ac studiis præerant, eosque paterna quadam cura ad Imperii fastigium præparabant. Sed hæc sequioris æui sunt, quo parens longe alium ostendit sensum, quam Augusti sæculo, omnemque illum designat, qui proximus nobis aut quacunque necessitudine coniunctus est. In Italia, Hispania, maxime vero in Gallia, hæc parentis notio viget, vbi Rex summos in aula ministros, legatos & quos prouinciis regundis imponit, *Parentes* itemque *Cognatos* adpellat, Salmasio Gallo teste, *ad Trebellii Pollionis triginta tyrannos.* Verum hæc velut in transitu dicta sint.

in Macriano. p. 292.

Triplex Comitum ordo iam ante Constantinum innotuit: postea tamen auctus, & vt pluribus tribueretur, in nudum honorem & titulum conuersus.

Quamuis autem, quæ de Comitibus iam cognouimus indubia sint, inueniuntur tamen summa eruditione viri, qui ante Constantini M. ætatem comites, eosq; varii ordinis ab Imperatoribus in consilii partes adhibitos, aut isthoc dignitatis vocabulo decoratos fuisse, constanter abnuant. In his eminent Iac. Cuiacius, a) iuris & omnis historiæ peritissimus, Guido Pancirolus, b) Iul. Cæsar

a) ad XII C. t. XXI. p. 455.
b) var. Lect. 1, 5. p. 10.

Cæſar Bulengerus c) Iac. Gutherius, d) Iac. Gothofre- c) vi *de Imp. Rom. c. 27.*
dus, e) cum reliquis, vbi non ſuperior, doctrina certe, d) i *de offic. D. A. cap. 17.*
iudicio & induſtria comparandus, in re tam clara ſin- e) vi *C. Th. t. xiii. p. 97.*
guli conſenſu quodam tradentes Conſtantinum M. non plures modo leges condidiſſe, verum nouas etiam diœceſium prouinciarumque diſtinctiones feciſſe, & his vt plures præeſſent, officia iam ordinata vel in partes diſtraxiſſe, vel noua excogitaſſe, quibus Imperii contextum ſatis firmum diſſoluerit mire ac lacerarit. Ad officia igitur a Conſtantino recens inuenta totam illam comitum & amicorum cohortem referunt, quorum alii virtutis ac meritorum contemplatione primi comites ordinis dicti, alii his inferiores locum ſecundum, alii tertium occuparint, & hanc quidem diſtributionem in tres ordines ante Conſtantini principatum nunquam auditam, nedum receptam fuiſſe ſtatuunt. Sententiam ut probent, ex Euſebii libro *de Conſtantini vita* locum, in IV, i.
quo percenſetur, ὅπως δωρεαῖς καὶ προκοπαῖς ἀξιωμάτων ἐτίμα τοὺς πλείστους, adducunt, cuius verba plenius adſcribam: Πᾶσι τοῖς καθ' ἔθνος οἰκοῦσι παντοίας διετέλει παρέχειν εὐεργεσίας. ὧδε μὲν κοινὴν πρὸς ἅπαντας ἐνδεικνύμενος πατρικὴν κηδεμονίαν. ὧδε δὲ τῶν αὐτῷ γνοριζομένων ἕκαστον διαφόροις τιμῶν ἀξιώμασι. Πάντα τε τοῖς πᾶσι μεγαλοψύχῳ διανοίᾳ δωρούμενος. οὐδέ τις ἐλπίσας ἀγαθοῦ τυχεῖν, τοῦ προσδοκηθέντος ἠστόχησεν· ἀλλ' οἱ μὲν χρημάτων· οἱ δὲ κτημάτων περιουσίας ἐτύγχανον. ἄλλοι ὑπατικῶν ἀξιωμάτων.

μάτων. οἱ δὲ συγκλήτου τιμῆς. οἱ δὲ τῶν ὑπάτων. πλείους δ᾽ ἡγεμόνας ἐχρημάτιζον. κομήτων δ᾽ οἱ μὲν πρώτου τάγματος ἠξιοῦντο. οἱ δὲ δευτέρου. οἱ δὲ τρίτου· διασημοτάτων δ᾽ ὡσαύτως καὶ ἑτέρων πλείστων ἀξιωμάτων μυρίοι ἄλλοι μετεῖχον. εἰς γὰρ τὸ πλείονας τιμᾶν διαφόρους ἐπενόει ἀξίας. Clementiam Imperatoris atque magnificentiam, ſine exemplo, hinc intelligas merito, nec reliquis vſurpatam imperatoribus mireris, cum ſede Imperii translata, & ſacris gentilium eiuratis, Conſtantino velut nouum inchoanti imperiũ nihil fuerit vtilius aut ad conſilia tum ſalutarius virtute illa, qua ſingulorum animos experiretur, ac eos ingentibus ſibi beneficiis obſtringeret. Non quæram ſollicitius, modum virtutis huius an ſeruauerit Conſtantinus, vt ne nimia liberalitate iſta ſuorum induſtria langueſceret intenderetur que ſocordia, dum certi de gratia ſecurive omnes eius expetierunt ſubſidia, ſibi ignaui, graues illi; verum, an ex productis Euſebii verbis argui queat, comites nunc primum ortos, aut triplicem illum ordinem, nec auditum antea, nec receptum fuiſſe? Prius de Comitum honore ante Conſtantinum hauddubie admiſerint rationibus ducti eorum, quæ de Comitibus Imperatorum & amicis modo fuerunt illata; quin ipſum Comitis nomen, ex publico loquendi ſcribendive genere tum officio palatino fere proprium, ex Latio cum Conſtantino migrans, & Græca ciuitate donatum, hoc idem ſatis euicerit: de poſteriori amplius iam videbimus. Quantum adparet, omnis hæc argumentatio nititur auctoritate, ceu vocant, negatiua, quod

ante

ante Eusebii ætatem nullum præstantioris notæ testimonium, aut monumentum antiquitatis aliud superet, vnde firmiter ostendi queat, Comites primi ordinis, itemque secundi ac tertii iam ante Constantinum in mansuri ac perpetui honoris ornamentum eualuisse.

Quam autem infirmum sit ac nutans talé machinamentum, dicere vix habeo. In rem magis deueniendum & ad ipsa loci verba superius adducta, quæ de largitionibus, ac varia honorum axiomatumque ciuilium iuxta & militarium distributione, haut obscuram habent significationem, ac per gradus velut enumerant, qua ratione Constantinus neminem a se indonatum dimissurus, alios bonorum possessione, alios diuitiis auxerit, alios consulares, senatores quosdam & consules creauerit; alios duces, plures vero Comites, τῶν μὲν πρώτου τάγματος, τῶν δὲ δευτέρου, τῶν δὲ τρίτου, nonnullos primi, alios secundi tertiive ordinis constituerit, ac quomodo εἰς τὸ πλείονας τιμᾶν διαφόρους ἐπινοήσῃ ἀξίας, ad plures honorandos de potestate summa vel nouas excogitarit dignitates, vel excogitatas concesserit. Inter eas, quas inuenit ipse Constantinus non sine ratione a quibusdam refertur *Egregiatus*, qui sicut cum eo coeperat, ita etiam desiit, vt Iac. Gothofredus contra Bulengerum & Gutherium erudite disputat. *in VI Cod. Th. tit. 22. l. 1.* Tales autem plures honorum titulos Constãtini siue διαφόρους ἀξίας, ab illo primum collatos, ætatem non tulisse, admodum credibile videtur. Iam vero sicut Ducum, Senatorum ac Consulum honor in Romanorum Republica antea fuerat, nec a Constantino primum inuentus heic dicitur: ita de Comitibus, vtut aetate & publico dignitatis elogio sint illis in-

feriores aeque ſtatuendum, cum neque aperto ſenſu, neque per idoneam conſecutionem id ex Euſebii loco pateat. Si tamen ea ſummorum virorum ſententia fuerit, quod Comitum, qui poſt curas publicas, & improbiſſimos geſtæ adminiſtrationis labores, ad comitum dignitatem præmii loco prouecti ſunt, varios ordines Conſtantinus in nudos honorariorum, tam ζωςῶν, quam ἀζωςῶν, codicillariorum, imaginariorũ, ἐμπςακ]οῖς oppoſitorum, titulos erexerit, adſenſum omnino merentur; ſed hoc ipſo nondum ſatis probatum eſt, aut Comites, aut triplicem eorum ordinem Conſtantinum primum vulgaſſe. Sic Vacationis honor, ſiue honorariorum prærogatiua, in Republica Romana temporibus antiquiſſimis erat in vſu, & ſecundum ſtipendia numerata vel equitibus vel peditibus æſtimabatur. Sicut autem neque hic ad togatam militiam Conſtantini ætate videtur primum translatus: ita nec triplex ille honorum gradus, quo ſemper apud Romanos erat honeſtum, ſi quis ferre primas nequiſſet, modo in ſecundis tertiisve conſiſteret. Quam primum igitur comitum honor in Palatiis Imperatorum cœpit, tum & ipſum inualuiſſe ordinem neceſſe eſt, cum propter virtutes ac merita nunquam fieri poſſit, vt tot in comitatu principis amici eodem gradu locove habeantur omnes. Quin vbi ſtatam nondum habuit formam Tiberii factum, quo Comites expeditionum pro cuiusque dignitate in tres claſſes deſcripſit, ſed ad ex ercendam liberalitatem momento duntaxat inſtituit, vnde quæſo nouiſſent Imperatores Tiberium ſecuti, ſiue ante Conſtantinum rerum potiti, ſolennem formulam, qua Comites ſuos, in primi, ſecun-

Sueton. c. XLVI in Tiberio: Lamprid. n. XX in Alexandro:

ſecundi aut inferioris ordinis amicos tam ſolicite diſtingui voluerunt. Nimium foret Senecæ Pliniique teſtimonia producere, & a contraria quorundam interpretatione vindicare. Vnicum ſupereſt monumentum in hanc rem, vetuſtate non magis, quam auctoritate ſua notabile. M. NVMMIO ALBINO V.C. QVAESTORI CANDIDATO PRÆTORI VRB. COMITI DOMESTICO ORDINIS PRIMI ET CONSVLI ORDINARIO ITERVM NVMMIVS SECVNDVS EIVS. Fuit iſte Nummius Albinus e gente Didia, frater M Didii Seueri Iuliani, qui poſt Pertinacem bimeſtre deguſtauit imperium, ſub P. Licinio Gallieno, Maximo II & Glabrione coſſ. in extrema ſenecta Præfectus Vrbi, ſicut in Faſtis & incerto auctore, *de Præfectis Vrbi*, legitur; eundem Caſſiodorus in Chronico, A. V. CIↃXVI cum Maximo fuiſſe conſulem teſtatur. Quæ certe ad liquidum oſtendunt, & comites, & varios eorum ordines, ante Conſtantinum viguiſſe, ſecus atque magnorum hominum ſententia, modo laudatorum, erat.

vid. Lipſ. in Ann. Tac. p. m. 272.

Reineſ. III Var. 2. p. 341.

Comitum dignitas a Germanis non tranſiit ad Romanos, qui dare aliis eiuſmodi dignitates, quam accipere, ſemper ſtuduerunt.

Eorum etiam, qui Comitum originem & officiùm, ceu loquuntur, a Germanis perueniſſe ad Romanos contendunt, non minor eſt auctoritas; qua tamen moueri nemo debet, qui hactenus allata rite percepit, & Romanos aliis honorum titulos ex ambitioſo togæ ſupercilio dediſſe potius nouit, quam eos accepiſſe, ac per-

egrinum cultum in sui status imperiique decus adsumsisse. Mores gentium deperditos, inprimis vicinæ Græciæ luxum, auaritiam, molitiem, aliaque vitia in Rempublicam Romanam immigrasse, assidua scriptorum querela est; sed dignitates & officiorum decora sumsisse ab aliis vix monstrari poterit. Romanos vero honores dedisse finitimis, & extra suam rempublicam degentibus, vulgare est. Et vix potest ignota haberi vetus illa Tacito, in vita Agricolæ, dicta & recepta pridem consuetudo populi Romani, *inter seruitutis instrumenta reges etiam habere, magnificis titulis aut honorum prærogatiuis delinitos.* Iulius Cæsar inter beneficia, quibus Ariouistum, Germanorum regem, senatus Romanus affecit, maximum habuit, quod Rex, quod amicus esset adpellatus, quam rem & paucis contigisse, & a Romanis pro summis hominum officiis consueuisse tribui. Sic Catamantaledes, qui regnum in Sequanis diu obtinuerat; sic Piso Aquitanus, aliique a Romanis amicorum titulo honorabantur. Clodoueus, Francorum Rex ab Anastasio Imper. codicillos de consulatu accepit, & ab ea die tanquam Consul & Augustus vocitatus est, auctore Gregorio Turonensi. a) Claud. Fauchetus b), Anastasium vna cum Patriciatu (consulatu) Clodoueo regiæ dignitatis insignia misisse dicit, vt in iuris possessione maneret ac superioritatis, quam in Gallias Cæsares obtinebant; Gallos item Episcopos Imperatoriam Maiestatem comiter tum coluisse; nouos reges coronam imponere sibi haut solitos, nisi quæ a maioris manu & munere prodiret. A Zenone Imperat. patriciatum sibi oblatum Theodoricus, Ostrogothus, adsumere non dubitauit, teste Ior-
nande

c. XIV. n. 2.

l B. G. 3. it. 35. & 43.

a) *lib. II, 38.*
b) *in Dignit. Orig. p. 603.*

nande, ac pluribus, quos in dissertatione *de Theodorico, Italiæ Rege*, Io. Henr. Bœclerus consignauit. Sic Theodatus, Amalasuenthæ consobrinus & in regno socius, Wittiges, & ipse Rex Ostrogothorum in Italia, patriciatus dignitatem a Iustiniano sumserunt. Carolus M eundem honorem, quasi ad tituli spectaret amplitudinem, non aspernabatur. Euiluerat pæne patriciatus, prout a Constantino in nouum ac insigne conuersus erat axioma; iam autem nouas receperat in Carolo vires, cui ob liberatam a Longebardis Italiam a Romanis obuenerat. Sed quorsum hæc omnia?

De reb. Ger. cap. 57.

Ad Taciti verba, quibus tuentur sententiam, a Germanis comitum fluxisse titulum, reuertamur. Eliguntur in Conciliis & principes, qui iura per pagos vi- „ cosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, „ consilium simul & auctoritas adsunt. Nihil autem ne- „ que publicæ neque priuatæ rei nisi armati agunt. Sed „ arma sumere non ante cuiquam moris, quam ciuitas „ suffecturum probauerit. Tum in ipso Concilio vel prin- „ cipum aliquis vel pater, vel propinquus scuto frameaq; „ iuuenẽ ornant. hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ „ honor; ante hoc domus pars videtur, mox reip. Insignis „ nobilitas aut magna patrum merita principis dignatio- „ nem etiam adolescentulis adsignant. Ceteris robustio- „ ribus ac iam pridem probatis aggregãtur. nec rubor in- „ ter comites adspici. Gradus quin etiam & ipse Comita „ tus habet, iudicio eius, quem sectantur. Magnaque & „ comitum æmulatio, quibus primus apud principem „ suum locus: & principum, cui plurimi & acerrimi co- „ mites. Hæc dignitas, hæ vires, magno semper ele- „

De M. G. p. 641.

ctorum iuuenum globo circumdari, in pace decus, in „
bello præsidium. Nec solum in sua gente cuique, sed „
apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria „
est, si numero ac virtute comitatus emineat. Expetun- „
tur enim legationibus & muneribus ornantur, & ipsa „
plerumque fama bella profligant. Cum ventum in „
aciem turpe principi virtute vinci, turpe comitatui vir- „
tutem principis non adæquare. Iam vero infame in „
omnem vitam ac probrosum, superstitem principi „
suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quo- „
que fortia facta eius gloriæ adsignare, præcipuum sa- „
cramentum est.

Nobilis ista Taciti merito censetur annotatio, qua non forma tantum atque constitutio iudiciorum, qualis in Germania tunc fuit, sed ipsius etiam publici regiminis status, ex plebe & optimatibus temperatus, domi bellique proponitur. Pertinebat videlicet ad gloriosissimæ gentis mores, non aliam ferre iudicandi potestatem, quam ingenio suo ac incredibili libertatis studio conueniens aptaque foret; totis in id opibus animove incumbere, ne quid excelsius aut supra cetera nimis eminens in ciuitate esset, æqualitas contra perueniret ad omnes; eos principibus amicos & comites dare, qui singulorum conditionem propius nossent, caussarum cognitiones benigne exciperent, litigandi temeritatem, prouocandi licentiam, auctoritate, qua publico consensu gaudebant, coercerent, pœnas e delictis distinguerent; si qua difficilior incideret quæstio, prudentia vere Germana ex æquo bonove decernerent; in bello ducem eligere, quem penes rerum esset summa, non libera, non infinita aut immode-

mode-

moderata illa, qua libidinem ſuam ac licentiam pro lege haberet, ſed multis aut adſtricta formulis, aut laxata, pro temporum atque rerump. in diuerſis gentibus indole; quique poteſtate ſuadendi magis, quam iubendi præberet exemplum, quo comitantium ac per hos animus ſingulorum ad gloriam ac virtutem vehementius accenderetur; euentus autem præclare factorum principibus, quorum ductu rem geſſerant, tribueretur. Et ne quid maiorum noſtrorum reipublicæ optime conſtitutæ defuiſſe putemus, eodem ſcriptore monemur, eos non malos tantum pœnæ metu terruiſſe, ſed bonos ac nobiles quosque animos præmiorum ſpe allectasſe, quæ in publico dabant concilio, non negotioſa contentione, nullis præmiis aut importunis adducti precibus, verum pro cuiusque meritis ac virtute; principum quidem filiis, in paternam dignationem ſucceſſuris, vt inter comites a puero comparerent, eorum actui conſiliove intereſſent, deliberata coram perciperent, euentus obſeruarent, atque hac ratione non ſentientes gentis ſuæ mores ac imperandi artes imbiberent, inque reipublicæ ſpem ſalubri profectu adoleſcerent. Reliquis in plena viuentibus libertate pro ætatis ac ordinis ratione armorum vſus non ex arbitrio, ſed publica auctoritate & in populi concilio concedebatur. qui mos apud poſteros remanſit, vt in quibus virtus conſpicua ſæpiusque probata aliter adſurgere non poſſet, illi principum gratia digni haberentur, & in equeſtrem militiam adpenſione ſcuti, impoſitione galeæ & enſis accinctione legerentur. Iam alia prætermitto his adfinia, ne ſtudio videar a propoſito longius digredi.

Quod

Quod autem Tacitus heic loci deſcribat comites, quales Romanorum Imperatores ad morem Germanicum in ſuum ſtatum adhibuerint, tantum abeſt, quantum respublica popularis, ex optimatibus mixta, ab ipſo principatu, vbi nulla plebis concilia, nulli iudices & adſeſſores centenarii a plebe lecti, nulli qui Principi fiant in conſtitutione ſua auctores aut interceſſores; vt potius nouum hinc accedat ſententiæ robur, qua comitum originem altius, & iam ab ipſo Taciti æuo repetendam arbitrati ſumus. Neque enim poterat Romanus Scriptor de noſtrorum moribus aliter loqui, quam domi ſuæ didicerat, vbi Comites & amicos, eosque ſecundum diuerſos gradus, principi ſemper adeſſe nouerat; ex quorum comparatione, non examuſſim facta, de noſtris vtique verba faciebat. Simili quoque ratione de toga intelligendus eſt, primo iuuentæ honore, quam Romani profecto non acceperunt a Germanis, itemque de principibus, quos ita vocat exemplo Cæſaris (a, per Vbiorum principes eorum optimates ac ſenatum; Liuiique, b) per Romanos principes perpetuo fere, republica adhuc libera, conſules ac patricios intelligentis; item de Centenis *, aut Centenariis, vti poſtilla dicebantur, qui Comi-

a) IV B. G. 11.
b) II, 16. 56. it. III, 4. &c.

* *Noui, R. hunc Taciti locum emendaſſe, ac pro* centeni comites *poſuiſſe* certi comites, *ſenſu, prout videtur, planiſſimo. Sed doctiſſimi viri ingenium licet* ἐν τῖς ἀξιαγάςοις *habeam, nihil tamen contra tot veterum codicum ſcripturam, vnde hic liber prodiit, heic mutandum exiſtimo. Maxime, quod Germanorum iudicia deſcripſerit Tacitus verbis Romæ vſitatis, & hoc ipſum non ea ſolum tempeſtate, ſed in quibusdam etiam gentibus a Germanis oriundis poſtea obtinuerit.*

Comitiis tributis ex singulis lecti tribubus lege * Æbutia centumuirale iudicium Romæ constituebant; de scuto pariter frameaque idem sentiendum, sicut pluribus excelsi doctores, ac digni consulatu collegæ, Iac. Cuiacius a) & Io. Strauchius b), ostendunt. Vt igitur perquam sit facile visu, quam incerta ac parum tuta habeatur eorum opinio, qui Comitum titulos ac honores a Germanis aiunt accepisse Romanos; ne quid iam de muneris diuersitate inter vtramque gentem vlterius adferam.

A Gellius XVI, 10.

a) II Obseru. c. XIII.
b) Differt. III in Tac. de M. G. c. 5. §. 4.

Et quidem in his, vtut minima videri possint, tantæ obueniunt difficultates, aliter apud alios dignitatibus veterum vel ordinatis, vel inepte comparatis, vt nec quænam illæ secundum quosdam certo fuerint, nec quonam cœperint tempore, in tanta non rerum modo confusione, sed temporum etiam auctorumque digerere possis. Propius fidem haud dubie fuerint, quæ de Comitum origine ex veris rerum monumentis, serie temporum non intermissa, huc vsque tradita, & quo maior iis lux accedat progressi porro secundum varios eorum ordines ingentem Comitum numerum

* *Ita statuitur auctoritate Antonii Augustini*, eleganti libro de legibus: *quamvis Paulus Manutius, & ex eo Fr. Hotomannus, velint, hac lege Æbutium, tribunum plebis, saltem XII tabulas correxisse, aut legem de tollendis actionibus XII tabularum rogasse. Non tamen hoc repugnat eius temporis, quo Centumvirale iudicium dicitur institutum, historia, qua probabili argumento in annum V. C. IↃXIII, Q. Lutatio Cercone, A. Manlio Coss. a doctis refertur.*

fecernemus ita, vt quo quisque sit gradu censendus, vltro pateat.

Triplex comitum ordo temporibus Constantini M. per exempla declaratur. Eorum characteristici tituli, Illustres, Spectabiles, Clari, tam honorariorum, quam ἐμπράκτων, siue in actu rerum versantium. Qui primi fuerint ordinis amplius indicantur.

Operæ certe pretium heic rursum foret, per ætates incedere; sed cum aut nimia videatur industria, aut parum in rem sit præsentem, iis tantum immorabimur temporibus, quibus insignis Comitum & honor & numerus esse incepit; eum ex luculentis summæque auctoritatis documentis, vtroque Theodosii & Iustiniani Codice, ac Notitia vtriusque Imperii, quam anno Domini CDXXVII, sub Theodosio iuniore & Valentiniano III, idoneis argumentis Iac. Gothofredus conscriptam probat, designaturi. Primi ordinis Comites, a Constantini M. æuo, maxime dicti sunt illi, quos Imperator in secretius admisit consilium, quibus cum omnia summa communicauit, de reipublicæ statu deliberauit, leges tulit, legatos audiuit & quælibet maiora negotia procurauit. Principi vero non in rerum modo actu, sed & Diuinis epulis præsto erant, eiusque purpuram adorabant, vnde summus etiam honor in eos deriuabatur. Sunt qui tam ἐμπράκτους hos, a munere quotidiano in palatio obeundo, quam qui sine actu erant, solo Comitiuæ honore

in VI C.Th. tit. XXVI, p. 162.

honore digni a Principe habiti, vt Archiatros & Professores CPtanos, *Sacri Palatii Comites* recte dici existimant. Sed exempla huius amplissimi significatus desiderantur.

A loco, in quo conuenerunt, vbi consulto fuit opus, θείῳ συνεδρίῳ ceu Suidas adpellat, *Consistoriani* siue *Comites S. Consistorii* noua voce dicebantur, erantque propter diuersa munera duplicis iterum gradus & ordinis. *Illustres* alii, siue, qui τοῦ ὑψηλοῦ βήματος ἀξίαν, maxima *Nou: 13.*
dignitatum culmina consecuti, quales fere quattuor sequentes: *Quæstor S. Palatii*, & simpliciter *Quæstor*, vir excellentissimus, magnificentissimus, excelsus, illustris *l. 3. C. de vet.*
passim cognominatus; ad cuius curam & sollicitudinem *Iure enu-*
laterculum siue Codex dignitatum minor pertinebat. *cl. l. 38. C.*
Dignitates autem istæ quales fuerint titulus Codicis *de* *de Adpell.*
officio Quæstoris designat. Poterat quoque precibus Principi oblatis, ad quas rescriptum pro varietate iuris & actionis non semper dabatur, subnotare, subscribere. O- *l. 2. C. de pe-*
rationes principis itemque epistolas ac libellos in senatu *tit. bon. su-*
recitabat. Symmachus propter muneris excellentiam *blat.*
conditorem legum ac precum arbitrum vocat, in epistola ad Ausonium Quæstorem. Græci fere μέγαν λογο- *lib. III,*
θέτην, siue λογοθέτην σεκρέτων, ad differentiam aliorum *ep. 17.*
λογοθετῶν, τοῦ γενικοῦ, τοῦ δρόμου, τοῦ στρατιωτικοῦ, τῶν ἀγελῶν, aliorumve dicunt; & in Officiis τοῦ παλατίου, quæ cum iure *lib. II No-*
Græco Romano a Leunclauio publicata, locum IX tribu- *uell. Imp.*
unt. Apud Cassiodorum per insigne honoris elogium *VI Var. 5.*
effertur, *dignitas litterarum*, quod eius munus non nisi varia doctrina & Iuris scientia penitus imbutis accrederetur. Qui similis dignitatis comparationem in hodiernis Imperiis instituunt, cum Cancellarii mu-

nere Quæstorem vt plurimum conueniſſe exiſtimant.

Alter erat *Magiſter*, ſiue, vt in Codice Theodoſii legitur, *Comes officiorum*, itemque *Comes & Magiſter officiorum*, *Tribunus & Magiſter officiorum*, propinquus adeo Quæſtori Palatii, vt eius munere ſæpe fungeretur, ceu patet exemplo Triboniani, qui in Nouella Anteceſſoris Iuliani *Magiſter officiorum & Quæſtor S. Palatii* iunctim audit. Ad hunc enim non minus, quam ad Quæſtorem Scrinia memoriæ, epiſtolarum, libellorumque pertinuere. Sidonius eum *Magiſtrum Palatinum*, Suidas, in Theodoſio, ἡγεμόνα τῶν βασιλείων appellat, quod totius palatii moribus præeſſet, principis miniſtros, miniſterianos, cubicularios, ſilentiarios, decanos ac reliquos ordines atque officia ſcholarum regeret, de Fabricenſium etiam ac Ducum limitaneorum cauſſis cognoſceret, curſus publici curam gereret, ſenatores in Conſiſtorium introduceret, & quæ fuerunt alia. Hic quoque honor, *Magiſteria* dictus, vtplurimum Iureconſulto aut Philoſopho delatus, ceu probat Iacobus Gutherius.

l. 2. de Metall. & Metallar.

n. 23.

lib. 1. Ep. 3.

11 de offic. D A. c. XX.

Tertius *Comes ſacrarum largitionum*, olim *Præfectus Ærario*, Hieronymo *Canonicarii tituli præfectus*, quod Canonem ac tributorum modum ab Imperatore definitum præſidibus prouinciarum per notarios palatinos, ſiue mittendarios, indicaret. Græcis eſt προστάτης, ταμίας τῶν δημοσίων χρημάτων, καὶ πάντων κοινῶν omnis pecuniæ, ad principis liberalitatem exercendam deſtinatæ, aut in quoſcunque vſus erogandæ, cuſtos. Ampliſſimæ eius iuriſdictioni ſuberant cuncta, quæ ad fiſcum Imperatoris pertinebant, item Comites largitionum alii ſpeciales, per prouincias diffuſi. qua-

in Ezech. c. XXIII.

les erant Italiciani & Galliciani, a Guthero inter comi- *l. de off. D.*
tes rei militaris limitaneos per Hiſpaniam male relati; *A. c. XV.*
comites porro metallorum, rationales ſummarum, quales per ſingulas fuere prouincias; præpoſiti Theſaurorum cum ſuis officialibus, ſiue Theſaurenſibus, procuratores monetarum, Comes largitionum Orientis, Præpoſitus largitionum, & qui ſunt his affines alii, conchylioleguli, Lintearii, Barbaricarii.

Quartus denique fuit *Comes rerum privatarum*, ærarii priuati, κόμης τῆς ἰδικῆς περιουσίας, procurator ſacri patrimonii, ſiue, vt Theodoretus deſcribit, ταμίας *III H.E.c.II.*
τῶν ἰδίων τοῦ βασιλέως χρημάτων καὶ κτημάτων, poſſeſſionum ac bonorum, quæ Cæſar, antequam Imperator adpellaretur, habuit, & aliunde, quam iure Imperii, adminiſtrator, totiusque Imperatoriæ ſubſtantiæ iudex, ex qua cenſebantur res Principis, domus, palatia, fundi perpetui iuris, luci, vacantia, ἀδέσποτα, caduca, ἀκληρονόμητα, commiſſa, vaga mancipia, theſauri inuenti, & quidquid denique fuit, in quo commodum fiſci adparebat, vt adeo Comitem hunc recte adpellet Strabo λό- *lib. XVII.*
γον ἴδιον, ὃς τῶν ἀδεσπότων, καὶ τῶν εἰς Καίσαρα πίπτειν ὀ- *conf. l. vn. C.*
φειλόντων, ἐξεταστής ἐστι, qui ſingulorum domino caren- *de offic. vic.*
tium & in Cæſarem recidentium curam habet. Hoc *& Caſſiod. Form. VI, 8.*
inſcio nihil de principis rebus priuatis potuit alienari, ne quidem a Præfecto Vrbis. Ad eum a rationalibus ceu ſummum iudicem prouocabatur, aut ſi non præ-
ſens eſſet, ad rectorem Prouinciæ. Sub eius diſpoſiti- *l. 2. C. Th. de*
one redituum ſuſceptores in domo principis, rationa- *bon. vac.*
les rei priuatæ per ſingulas prouincias, quorum munera deſignantur alibi. Comitum ſane iſtorum tanta fu-

fuere merita, vt Valentinianus celebri constitutione, *ad Ampelium P. V. emissa*, qua singulis dignitatibus certum tribuit locum, eos proconsulibus præferret, Præfectorii honoris æqualitate decoraret, & hoc ipso summis dignitatum gradibus æquaret.

Quemadmodum igitur hactenus enumerati comites sanctiores Augusti pectoris curas participabant, negotia maioris momenti suis consiliis administrabant, & ab hac muneris excellentia *illustres, eminentissimi, magnificentissimi* audiebant : ita gradu diuersi fuerunt ab his Consistoriani *Spectabiles*. qui perinde Sacri Consistorii arcanis intererant, Principis responsa audiebant, publicas res priuatorumque tractabant. Pro meritorum ac temporum differentia sæpius dicti fuerunt *illustres*, medii velut inter reliquos primi ordinis comites, & eos, qui τὴν τοῦ ὑψηλοῦ βήματος ἀξίαν consecuti erant. Quo tamen varius honor Spectabilium magis exsplendescat, ac singulorum discrimen ostendatur, per gradus eorum incedamus.

Primus obuenit *Domesticorum Comes* tam equitum, quam peditum, viris illustribus haut raro coniunctus & Magistrorum militum vicarius; *Castrensis S. Palatii*, qui & simpliciter *Castrensis*, & passim *Comes Sacri Palatii* vocatur, omnium, qui obsequiis intra aulam destinati, director, quo de inferius plura; *Primicerius Notariorum*, cuius curæ fideique datum fuit laterculum dignitatum maius, vt Sacri Palatii Quæstori minus. Erat autem laterculum, liber, Codex, tabula; quo significatu iam æuo Tertulliani vsurpatum. Cedrenus ita describit : Λατέρκυλον παρὰ Ῥωμαίοις, ὅπερ ἡ πλίνθος λέγεται.

συνόψεως ἱστορ. p. 169.

γεται. ἦν δὲ πλίνθος δημοσία, ἐφ᾽ οὗ ἔτι τῶν βουλευτῶν, καὶ τὰ τῶν στρατευμάτων ὀνόματα ἀπεγράφετο. καὶ ἐγράφετο ἐπὶ τείχους εἰς τετράγωνον χῆμα τύπος ὡς καὶ γραμμὴ πλίνθος. τίτλον καὶ αὐτὴν τινὲς ὀνομάζουσιν. Ab his proximi fuerunt *Magiſtri Scriniorum*, litterarum ſtudiis omnes culti, atque Vicariis prælati. Scrinia numerantur quattuor, memoriæ nimirum, epiſtolarum, ad quod pertinuit & illud, vnde prouinciarum legationes recitabantur, libellorum ac diſpoſitionum. quod poſterius nonnulli aliis, quæ varia præterea fuerunt, nec tamen a certis adeo curata miniſtris, attribuunt.

Sequuntur varii comites militares, quibus extra palatium cum milite prouincia fuit ad tuendos fines credita. quales in Notitia Imperii ſignantur per Occidentem Comes Italiæ, Africæ, Tingitaniæ, Britanniarum, litoris Saxonici, tractus Argentoratenſis, per Orientem Comes Ægypti, Iſauriæ, Ponticæ diœceſeos, &c. Vocabantur itidem jam dicti *Comites* ab Ammiano *Duces*, ad ſimilitudinem nempe eorum, qui in *lib. XXII. p. 240.* vtraque imperii parte curam habebant & adminiſtrationem limitum, prouinciarum, quibusve cura regendæ in iis militiæ commiſſa, nihilque inter eos vicarios & omnes, qui comitiuam primi ordinis meruerant, intererat. Valentinianus in Conſtitutione ad Ampelium, ſuperius laudata, quod Comites limitum & militares vices magiſtrorum militum ſuſtinerent, ac velut Promagiſtri eſſent, maxime in transmarinis prouinciis, altiori vult loco cenſeri, ſupremis eos dignitatibus comparans, proconſularibus anteponens. Sed hæc non eo trahenda, quaſi comites rei militaris omnes, vti quidem vocaban-

vocabantur, primi fuerint ordinis, cum & ſecundo tertiove loco tales conſtituti legantur. Ab iſtis non longe digrediuntur, & muneris & honoris ratione, *Scholarum tribuni* ſiue *comites*. ita enim Gloſſæ: κόμης ἤτοι τριβοῦνος. Heſychius: κόμης, ἄρχων, ἡγεμών. itemque *Tribunus Stabuli*, ſiue *comes*, cui vicinus eſt *Curopalates*, ſiue, vt ſequiore ſcribebant æuo per euphoniam, *Curopallates*, & tempore Luitprandi corrupte, *Coroplatus*, omnibus principis fabricis præfectus, dignitate in tantum cum tempore aucta, vt Imperatoriæ fere proxima eſſet, hoc ſolum minor, quod Comiti S. Palatii, ſiue Caſtrenſi, in quibusdam obſequeretur.

Legat. ad Nicephor. Phoc. p. 136. 140. &c.

Profeſſores vrbis quoque Conſtantinopolitanæ huc referri debent, quibus ex Theodoſii Iunioris & Valentiniani Imperatorum priuilegio datum, vt poſt improbum viginti annorum laborem primi ordinis Comites eſſent, atque Exuicariis æquarentur. *Comes* pariter *Archiatrorum*, virtutis ac meritorum intuitu, primi ordinis Comitiuam ab Imperatore, in honoris nempe ac dignationis ſuæ characterem, adeptus eſt. Vſurpauit hoc ſæculo eandem dignitatem, vir acri iudicio comtaque facundia, *Io. Iacobus Chifletius*, Patricius Veſontinus, in ſcriptis pro Hiſpania iuxta & Auſtria editis, nomini aliquoties coniungens illam ſub *Equitis & Comitis Archiatrorum* regii ſyrmate. An vero hanc dignitatem iisdem titulis in diplomate acceperit, num vero ſtudio ductus antiquitatis ita ſe vocari maluerit, noſſe non adeo refert. Nec admitti heic debet, quod Hieronymus Mercurialis, ſingulari vir doctrina, ὡς ἐν γῇ ει de omnibus Archiatrorum comitibus pronuntiat, eos fuiſſe

C. l. vn. de Profeſſ.

IV Variar. cap. 1.

isse sic adpellatos , quasi seniores aut principes, ab Imperatore in Comites lectos, vt ex illorum sententia dissensiones in re medica obortæ deciderentur, ac æmulationes inter archiatros cohiberentur. Videtur vtique hoc probatu facillimum esse ex Cassiodori formula, quam de comite Archiatrorum, qualis ille sub Ostrogothicis in Italia regibus erat, exhibet. Sed ex prima institutione ac postea quoque cuilibet Archiatrorum in collegio præsidi hoc muneris datum fuisse, non autem Archiatrorum comiti, quorum plures in eodem sæpe constituti collegio, patet e Codicis Theodosiani lege & alibi.

VI Variar. n. 19.

VI C. Th. tit. XVI.

Alios primi ordinis comites, itemque Consistorianos, qui dignitatem per codicillos adepti absentes, ac nihil quidquam in reipub. egregium, præter nomen e principis gratia sumtum, contulerunt, lubens omitto, cum ex allatis huc vsque manifestissimum esse queat discrimen totius ordinis, & præterea vulgaris error quorundam, Consistorianos primi comites ordinis solos esse factos, statuentium. Sententia Iac. Gutherii, qua Comitum numerum auget atque ex duabus inscriptionibus ostendit, Comites *in Consistorio* diuersos fuisse a Comitibus *intra Consistorium*, vix concedi poterit, ob rationes maxime, quibus hanc reddere probabiliorem conatur. quas ipse talium studiosus euoluet ac iudicabit. Si qui tamen alios ab istis dixerint *Comites intra Palatium*, siue *in palatio*, quos Imperator post probatos muneris sui labores primi ordinis comitiua dignatus est, vt nempe in aula comitatuve principis essent, neque illis aduersum tenebimus.

I de offic. D. A. c. 17.

Secundi ordinis comites, siue minores, clarissimi vocati, quinam præcipui? Rectores prouinciarum, vrbium; Proximi Scriniorum, Schola Agentium in rebus. Eorum iura & priuilegia, vt & tertii ordinis comitum, paucis designata.

Qui secundi fuerunt ordinis comites, comparatione cum iis facta, quos hactenus indicauimus, dicebantur *minores comites*, quod negotia reipublicæ non adeo gravia procurarent, proximi tamen forent, quibus aditus ad maiora daretur.

Primas inter hos ferunt *Rectores Prouinciarum*, dicti *clarissimi*, ordinarii iudices ad prouincias destinati. Post administrationem depositam, vel vnius etiam anni labores, Imperatori circa munus iudiciale satis laudatos, ad primi ordinis Comitiuam euehebantur. Cas-
VI Var. 12. siodorus ita describit: *Rectores prouinciarum anni actione laudati, ad hoc culmen adducebantur.* Nomen istud ac publicus honor manauit ab Augusto, qui, cum nouam prouinciarum diuisionem callidissima ratione excogitasset, atque alias Cæsaris, alias populi adpellasset, his intra Italiam & inermibus Proconsules ac Proprætores a se delectos, illis armatis & extra Italiam Re-
Lib. LIII. ctores dedit, quod Dio satis aperte docet: ὀνόματα στρατηγοῦ καὶ τὸ τοῦ ὑπάτου ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἐτήρησε, τοὺς δὲ ἔξω πάντας ὡς καὶ ἀντ' ἐκείνων ἄρχοντας προσηγόρευσε. Dicuntur

tur & *Præpositi, Præfecti*, *moderatores prouinciarum*, quodque maximam partem de priuatorum caussis cognoscerent, *Iudices ordinarii, prouinciales, Iuridici*. Post Constantini tempora fuerunt sub dispositione Præfectorum Prætorio, qui leges quoque Prouinciarum ipsis proponebant. Ius habuere gladii, ac multa illis alia in Vicariorum defectum competierunt, ceu passim ex Historiæ Augustæ scriptoribus, & vtroque Theodosiano pariter & Iustinianeo Codice liquet.

His affines erant *Rectores vrbium*, itidem secundi ordinis Comitiua clari, de quibus ex eruditissimi Bignonii mente statuentem vide Iac. Gutherium. *Proximatus* quoque *Scrinii* ad eiusdem ordinis Comitiuam referri debet, cum gradu saltim distet a primo, ac scriniorum proximi dicantur ideo, quod, vbi magistri vel per negotia publica, vel sinistra impediti fuissent valetudine, vicario fungantur eorum munere, partesve ab illis proximas sibi vindicent. Dispositionum scrinium, an habuerit proximum, docti homines tuto satis adfirmare non audent. quod istud a tribus reliquis non vna ratione distinguatur, & qui magistri nomine præfuit, non proximus dispositionum, sed Comes passim adpelletur. Non est huius loci, nec forte meretur, singulorum proferre argumenta, quibus in vtramque partem nituntur, quoniam abunde constat, eum Comitem dici, λαμπρότατος siue *clarissimi* elogio gaudere, & Proximis æquari. Quin a Theodosio atque Valentiniano coniunguntur in Rescripto ad Nomum, officiorum Magistrum, quo decernunt, vt Proximi Sacrorum Scriniorum, quos fides, industria, litterataque militia, iuxta

De offic. D. A. lib. 1 cap. vlt.

l. 8. C. de prox. Scrin.

iuxta & Comites diſpoſitionum, quos probitas commendat, completo functionis tempore Comitiua S. Conſiſtorii in vitæ dies ornentur. Vnde perquam eſt facile arbitratu, diſpoſitionum Comitem eodem & loco & honore cum Proximis cenſeri. Qui ſecundi Comites ordinis *in Agentium Schola* ſiue vt ab aliis deſcribitur, *Palatii Schola*, exſtiterint, vti vix eorum definire munera nunc poſſumus, ita nec eorum numerum exacte conſtituere licet.

De reliquis ad hanc pertinentibus claſſem idem pæne ſentias. Illis ab Imperatoribus ſumma beneficia, ſumma priuilegia, cumque primi ordinis comitibus potiſſimum communia, leguntur tributa. Immunes erant a ſordidis ac perſonalibus oneribus; collationes extraordinariæ quæcunque illis remiſſæ, tum militiæ tempore, tum poſt militiam; glebalis etiam ſiue ſenatoria collatio, ne ſubirent enormia patrimonii diſpendia. Cum primis licitum erat ſcriniorum proximis, vt Secretaria Iudicum ſine nuntio intrarent, eodemque cum iis iure ſedendi vterentur; poſt quindecim annorum ſtipendia nulla curialium conuentione amplius vexabantur; poſt viginti autem annos conſulari dignitate inter *Adlectos* honorabantur; domus eorum, quocunque fuerint loco poſitæ, nec iudicem, nec militem ſuſcipiebant. Singula hæc benigne adeo fuerunt ab Imperatoribus collata, vt comitum filiis atque coniugibus interdum ſeruarentur. Neque erat, quod ex inferioribus quisquam hæc odiſſet priuilegia, data nimirum, vt ad virtutem ſtimularent, & priuatis ita gratificarentur, nec communi reipublicæ bono detrimento forent.

Tertii

Tertii denique ordinis comites nobis offeruntur, quorum ſicuti minor eſt dignitas, ita numerus longe maximus. Tales enim habebantur omnes, qui poſt geſtæ adminiſtrationis ſuæ labores primum in ſchola, aut curia, locum, non codicillis, vt alii, ſed ex Cæſarum inſtituto fuerant indepti. Atque hoc quidem honore donati, a propriæ originis nexu non receſſerunt; eo tamen gaudebant priuilegio, quod a corporali magiſtratuum iniuria vindicarentur, quæque fuerunt alia, in Principum Reſcriptis paſſim obuia. Perſuaſit quibusdam nimia hæc Comitiuæ frequentia, quæ in honorem præfecturis honeſtioribus, a Conſtantini æuo prope omnibus, dari conſueuit, vt dignitatem ac denominationem Præfecti, Præpoſiti, Magiſtri aut Procuratoris, aliorumve, in Comitis mutatam eſſe ſtatuerent. Verum, vti ſupra demonſtratum eſt, cum præcipuæ dignitatis inſtar inde a Iulii Cæſaris ætate prope haberetur, in Comitibus & amicis Imperatoris numerari, atque hoc dignitatis vocabulo nemo veniret, niſi qui reuera eſſet in Comitatu. poſtea tamen, ac maxime Iuſtiniani tempore obtinuit, vt honorarii tituli loco foret, ac veluti quoddam honoris incrementum dignitatibus, qua militaribus, qua ciuilibus, promiſcue accederet, priſtinum vero nomen Procuratoris, Præfecti, Magiſtri, neque aboleret, neque cum eo permutaretur. Sic Magiſter ſacrarum largitionum, Imperii curarum particeps, ac inter ſupremos principis amicos, *Comes & Magiſter*, iuncto honoris elogio plus ſæpe legitur. Sic procurator patrimonii, ſiue Magiſter rerum priuatarum, perfectiſſimus *Comes & Amicus*, item *Comes & Magiſter* rerum

l. 127. C. Th. de Decurionib. l. 17. eod de Proxim. com. Diſſ.

l. 11. C. Th. de bon. vac.

rum priuatarum; quique Magister alias officiorum, *Comes & Magister officiorum*, dici ac scribi cœpit. Similiter alii præpositi, vsque ad eum, qui remis præerat, aut curam totius alicuius remigii gerebat, præter antiquum sui muneris nomen, velut additamentum, adsumserunt ex principis indulgentia Comitem; qui tandem ex communi loquentium vsu & breuitatis caussa pro ipsa dignitate acceptus, [illegible]ius antea tantum accessio fuerat.

Eustathius ad Il. α. ναύαρχον τὸν τοιοῦτόν φασιν. εἴη δ' ἂν ὁ τοιοῦτος ὁ κόμης παρὰ τοῖς ὕστερον.

Palatinorum nomen vnde sit, e Pausania, Liuio, Dionysio Halicarnassæo & Dione Cassio monstratur. Palatium quæcunque sedes Imperatoris dicta, aliquando etiam Comitatus: hinc Comitatenses, siue Palatini. Comes Palatinorum, aut Dux. Palatini panes, Comites, quique absolute sic dicti, vel largitionales, vel Patrimoniales, Priuatiani. Palatini in Pontificis aula Acoluthi. Cæsariani, Castrenses, Castrensiani, Ducenarii, Centenarii, Epistolarii, Mittendarii quinam? Eorum priuilegia, & a se inuicem distinguendi ratio.

Verum

Verum hiſce diutius immoratus vereor, ne ſuperbo quorundam ſupercilio plura, quam e re fuerit, me profudiſſe incuſer. cum tamen, niſi hæc probe ſint percepta, reliqua aut obſcura nimis, aut confuſanea futura eſſent. Proximum igitur eſt, vt de Palatinis agatur, quinam illi fuerint ab initio, quamque late hoc nomen patuerit. Datum eſt iis a Palatio, quod corruptum e Pallanteo, ſiue Pallantio, Arcadiæ vrbe, ſicut diſcimus e Liuio a) Dionyſio b) & Pauſania, c) cuius hæc ſunt verba: ὄνομα ἔσχε παλλάντιον κατὰ μνήμην τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ· χρόνῳ δ' ὕστερον, μετέπεσε τὸ ὄνομα ἐν ἀναιρέσει γραμμάτων τοῦ π λ καὶ τοῦ ν.

a) lib. 1, 4.
b) lib. 1, p. 25 edit. Sylb.
c) in Arcad.

Fuit autem Palatium mons, quem deinde Palatinum adpellauere, vbi Euander, qui ex Arcadum genere multis ante tempeſtatibus ea tenuerat loca, ſolenne inſtituit, allatum ex Arcadia, vt nudi iuuenes, Lyceum Pana venerantes, per luſum atque laſciuiam currerent. Eum poſtea Romani vocarunt Inuum, ipſum vero ludicrum, famoſo ad poſteros nomine, Lupercal, ludentes vero Lupercos, qui laruis tecti, ac lora ferentes manibus, obuios quosque cædebant. Euander, ſi fides Cedreno habenda, fuit Æneæ filius. Ἔυανδρος ἦν καὶ Πάλας, οἱ τοῦ Αἰνείου υἱοὶ τὴν καλουμένην Βαλέντια ἐπαρχίαν ἰθύνοντες, οἶκον οἰκοδομοῦσι πάνυ μέγαν καὶ θαυμαστόν. καὶ τοῦτον ἐξ ἐκείνου πάντα βασίλειον οἶκον, παλάτιον ὀνομάζεσθαι. Exinde ſimul conſtat, non magis a Palatio, μητροπόλει ἐν Ἀρκαδίᾳ, quam Euandri fratre Palante, magnificæ domus in Italiæ monte conditore, Palatium fuiſſe denominatum. Synopſis Georgii Hamartoli Reineſiana, quæ quondam Nicolai Choniatæ Monembaſienſis & Epidau-

συνοψ. ἱστορ. p. 136. ex edit. Fabrotti.

Epidauri anno ſepties milleſimo ſexageſimo quinto, menſe Februario, indictione XV, manu fuit exarata, paullo habet aliter: Μετὰ δὲ Καμβύσου καὶ ἑτέρους ἐβασίλευσεν Ἀρταξέρξης ὁ μνήμων λεγόμενος ἔτη κ, ἐφ' οὗ ἦν τις ἐν Ἰταλίᾳ, ἐθύνων ἐπαρχίαν μίαν, ὀνόματι Πάλας, ὃς κτίσας οἶκον μέγαν πάνυ, οἷον οὐκ εἶχεν ἡ περίχωρος ἐκείνη, ἐκάλεσεν αὐτὸν παλάτιον, ἐξ οὗ τὸ βασιλικὸν κατοικητήριον προσαγορεύεται. An temporis ratio ſit rite conſtituta, & reliqua conueniant inuicem, affirmare vix audeo. Ceterum regiam hanc Palantis domum, vt Cedrenus ait, ἐν
p.147. ἀρχῇ τῆς Ῥωμαίων βασιλείας, Romulus inter primas operum ſuorum curas habuit, atque illuſtriorem longe, quam acceperat, effecit: ἀνενέωσε καὶ τὸ ἀπὸ Πάλαντος κα-
ἐν Παλαί. λούμενον παλάτιον. Suidas: ὁ Ῥώμυλος μετὰ τὸ καταστῆσαι τὰ πολιτικὰ, ἀνενέωσε καὶ τὸ καλούμενον ἀπὸ Πάλλαντος, Παλλάντιον, τὸν βασιλικὸν οἶκον. Simillima certe ſunt iſtis,
lib.1, 7. „ quæ teſtium primus, T. Liuius, habet: Romulus, in„ quit, Palatinum, in quo ipſe erat educatus, primum „ muniit. Sacra Diis aliis Albano ritu, patria nimirum „ religione, & ſicut a maioribus tradita, Græco Her-
Liuius lib. culi, vt ab Euandro erant inſtituta, facit. Et omnino
eis. cap. 33. pertinent huc, quod regnante Anco Martio, moremque ſecuto priorum regum, qui rem auxerant Romanam, & deuictos hoſtes in ciuitatem acceperant, Romani veteres, ſiue qui ſuam a Romuli imperio ducebant originem, in memoriam eius & honorem ſedes circa Palatium impleuerint. qui primi quoque ab habitationis loco *Palatini* * ſunt adpellati.

Quas

* P. *Valerius cos.* ſtirpem Romuli *vocat, oratione in tumultu ſeruili ad plebem habita. Liu.* III, 17.

Quas alii nugas circa Palatium magno conatu agunt, quæque humanis diuina miſcent, nec moror, nec inſector, quod adlata ſint auctoribus ſuis digna, & hiſtoriam de palatio poſteritati ſatis ab origine prodant. Vnus adhuc eſt Dio Caſſius, ab Alexandro Seuero Conſulatus dignitate honoratus, & fide & auctoritate incomparabilis, quem in hanc ſententiam audiuiſſe diſſerentem ſufficiat : καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια παλάτιον, οὐχ *Lib. LIII.* ὅτι καὶ ἔδοξέ ποτε οὕτως αὐτὰ ὀνομάζεσθαι, ἀλλ' ὅτι ἔν τε τῷ *p. 750. edit.* παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, καὶ ἐκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε, καί τινα *Leuncl.* καὶ πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμύλου προενοίκησιν φήμην ἡ οἰκία αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ παντὸς ὄρους ἔλαβε. καὶ διὰ τοῦτο κἂν ἄλλοθί που ὁ αὐτοκράτωρ καταλύῃ τὴν τοῦ παλατίου ἐπίκλησιν ἡ καταγωγὴ αὐτοῦ ἴσχει. Scilicet e præcipuo Heroicæ indolis charactere, gloriæ cupiditate, Dictator Cæſar vnice ſtudebat Romulo non par magis, quam ſuperior eſſe. Ipſum Romuli nomen, tanquam rebus ſuis auſpicatiſſimum, adfectabat, &, niſi æque patribus ac plebi nimis inuiſum fuiſſet ac ſuſpectum, Rex adpellari præoptabat. Atque cum eodem cum Romulo habitaret palatio, famam eius ac nomen adeo commendauit poſteris, vt quocunque deinceps loco ſedem rerum collocaſſet Imperator, illi *Palatii* cognomen inderetur. Panuinius *lib. I Rom. Imp. p. 10.* certe ex antiquis hiſtoriæ Romanæ Scriptoribus oſtendit, inter alios honores Auguſto datos, etiam fuiſſe, vt Regia eius Palatium vocaretur, quod in Palatino habitaret, ibique Prætorium ſuum haberet. Hinc & obtinuiſſe ait, vt, licet Auguſtus in alia regione verſaretur, tamen eius Regia *Palatium* diceretur. quod æuo ſequiori in *Comitatum*, aut, cum adpoſito, *Sacrum Comita-*

in voc. κομιτ. *tum* eſt mutatum. Gloſſarium Nomicum : οἱ μὲν ἀεὶ τῷ παλατίῳ προσεδρεύοντες ἐλέγοντο Κομιτατήνσιοι. Κομιτάτον λέγουσι τόπον, ἐν ᾧ διάγει ὁ βασιλεύς. Theodorus Bal-
p. 728. ſamon in Canonem IX Synodi Carthaginienſis : ὁ πατέρων κανὼν θεσπίζει μετὰ ἀπολυτικῆς γραφῆς τοῦ προεδρεύοντος ἤτοι τοῦ Μητροπολίτου ἀποδημεῖν τοὺς ἐπισκόπους εἰς τὸ κομιτάτον, ἤγουν ἔνθα ἐστὶν ὁ κόμης ἤτοι ὁ βασιλεύς.

Sicut igitur a Comitatu ſunt *Comitatenſes* adpellati, ſiue omnes illi, qui tam in Principis, quam ſummorum in Aula miniſtrorum aut comitum obſequiis erant: ita omnes, quibus in Palatio Principis, vel ciuili vel militari fungi licuit officio , Palatini dicebantur. Qui præfuit certis eorum ordinibus *Magiſter* itemque *Comes* ſiue *Dux Palatinorum* eſt , ὁ ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων Μάγιστρος, ἡγούμενος. prout hac voce in aula Conſtantinopolitana, & regimine Eccleſiaſtico Græcorum vſitate denominabatur omnis, qui præfecturam in alios acceperat, vt iis virtute ſolertiaque rerum gerendarum in exemplum foret. Georgium monachum, Taraſii Patriarchæ CP Syncellum, inde nominatum fuiſſe ἡγούμενον,
Procem. in Chronogr. & Theophanis voce Ἄββατα , quaſi negotiorum conſcium atque laborum Comitem, ad quæuis ſalutaria procuranda, probat Iac. Goar, *Præfat. in Syncellum*.
conf. Gretſ. lib. III Obſ. in Codin. c. 14. Theophanes quoque in operis ſui titulo ἡγούμενος τοῦ ἀγροῦ dicitur, id eſt *Abbas* monaſterii Sigriani ſiue Agriani. Ἀγρὸς enim vel μέγας Ἀγρὸς priuatus eſt locus Sigrianæ regionis Aſiaticæ ad Cizium. Geneſius ineditus hiſtoriæ Byzantinæ ſcriptor, in rebus Leonis Armenii, βασιλ. lib. I, de Nicephoro Patriarcha refert, quod Theophanem in exilio ſit allocutus: τῷ ὁσίῳ πατρὶ, καὶ ὁμολογητῇ Θεοφάνει

φανῆ μὲν τ̃ Ἀγρ̃. Reinesius coniiciebat, heic legendum esse *μονάσῃ* quod Ἀγρὸς nomen esset *μονῆς*. Male igitur, a Cedreni Interprete ἡγούμενος Ἀγρ̃, *Dux Agri*, & a Baronio *Præfectus agri* vertitur. Palatinorum vero *ad ann. 816. n. 1.* nomen Constantini temporibus, ac postea, tritum adeo vulgatumque fuit, vt etiam *panes*, Imperatoris iussu e Palatio dati, communi notione *Palatini* adpellarentur. Glossæ Juris veteres, e variis regiæ Parisiensis Bibliothecæ codicibus, Car. Labbei studio primum editæ, sic describunt: παλατῖνοι. εἶδος ἄρτων, οὓς ἐφιλοτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας. οἷα ἐκ τ̃ παλατί̃ χορηγούμενοι. Antiquissimus hic mos dandorum panium in Republica Romana, conseruatus maxime ab Imperatoribus, vt plebem permulcerent, militemque in ordine ac officio facilius continerent. Exstitit inde duplex panium genus, militare alterum siue gregale, alterum ciuile, fiscale, plebeium; ceu pluribus hoc ipsum ostendunt, qui Romanorum res exactius descripserunt. Sed hæc extra chorum.

Sic & *Palatini Comites* tunc dicebantur fere, qui diuturnis obsequiis, & laboribus in Palatio præstitis, a Principe hoc nominis acceperant, non in peculiare munus, sed dignitatem & honorem, quo præ ceteris essent insignes, aliisque anteferrentur. Proprie magis & ex illorum temporum vsu *Palatini* erant, qui sacras pariter ac priuatas tractabant largitiones, quarum Comitesiam supra designauimus. Qui post istos rationibus occupabantur sacrarum remunerationum, solenni honore *Largitionales Palatini* audiuere; qui vero priuatis præerant largitionibus, *Palatini Patrimonii*; & illis obseque-

bantur *Priuatiani*. Gloſſarium Βασιλικῶν modo laudatum: Παλατῖνοι. ὁ παλατίνος ὑπηρέτης. παλατῖνοι γὰρ κοινῷ ὀνόματι πάντες ἐκαλοῦντο οἱ ἐν τοῖς κατὰ τὸ παλάτιον θησαυροῖς ὑπηρετοῦντες ταξεῶται. Miniſter quoque Patriarchæ Conſtantinopolitani, cuius nomine vltro citroque miſſus in Palatium voluntates ac ſermones communicabat, *Palatinus* adpellabatur. Nicetas Choniates, Zonaræ continuator, *in Alexio Manuelis filio*: Πατριάρχου ὑπηρέτης, ὃς ἐκ τοῦ παραβάλλειν εἰς τὰ ἀρχεῖα καὶ διαπορθμεύειν τοῖς βασιλεῦσι τὰ βουλεύτια καὶ τὰς ἀποκρίσεις κεῖθεν αὖθις μεταφέρειν, παλατῖνος ὠνόμασται. *Palatini* Sacræ Romanæ Eccleſiæ præterea dicti multi, alias *Acoluthi*, qui Papæ miniſtrabant in Palatio, & Baſilica Lateranenſi, de quibus Panuinius *in Offic. Pap.* cum Platinæ vitis Pontificum Coloniæ editis.

Illi vero, qui ſemper in aula, ſub diſpoſitione Magiſtri officiorum, Caſtrenſis S. Palatii, quo de inferius adhuc dicemus, itemque Comitis Domeſticorum verſabantur, ac *Palatini, Cæſariani, Caſtrenſes, Caſtrenſiani*, audiebant, multum differunt a Palatinis aliis *Ducenariis, Centenariis, Epiſtolariis*, aut *Mittendariis*, qui ex reſcripto Arcadii & Honorii notariis deſtinatis de iudicum negligentia proprio periculo conqueri tenebantur, ne deſidia foret eorum impunita: de iudicum iuxta nominibus referebant, quos commodis propriis, peſſimo humani affectus veneno magis quam publicæ ſtudere vtilitati cognouerant: ad exigenda mature tributa & fiſcalem repræſentandam pecuniam compellebant Præſides: quadrimenſtruos Breues ad officium Palatinum dirigebant.

l. 1. C. de off. Com. Sacr. Larg.

De

De aliis, quæ Palatinorum propria fuerunt, in vtroque Theodosii simul & Iustiniani Codice videndum. Nemo Palatinis dare quidquam in mandatis poterat, nisi Palatini Comites, largitionum & rerum priuatarum, sub quorum dispositione erant. Ipse sublimi potestate illustris Præfectus Prætorio cum Prouinciarum Rectoribus prohibetur Valentiniani Iunioris lege, ne quid iniungat illis, aut eis aduersa conetur. Nemo alius poterat illos iudicare, ne Præfectus quidem vrbi, nisi de ædibus, seruitute, & annona lis orta fuisset. Distinguebantur autem isti Palatini secundum diuersa scrinia, quibus Theodosius M certas decreuit dignitates & annonas, vt his contenti ambiendi aditum sibi cognoscerent interclusum, nec amplius postulare quidquam auderent. Fuerunt decem eorum scrinia, in Notitia Imperii signata, quibus a temporibus Theodosii fuit vnum Mittendariorum adhuc superadditum. Quattuor priora sub *Largitionum Comitatensium* titulo occurrunt, reliqua *Receptoriorum* nomine passim leguntur.

l. 6. C. Th. de Palat. S. L. & R. P.

l. VII eod.

In his igitur scriniis, vt maior singulis constaret dignitatibus ordo ac suæ cuique strenæ, vestes, annonæ, noua Palatinorum distinctio fuit inuenta, qua vel primæ formæ, vel secundæ, vel tertiæ formæ Palatini fuerunt. Dictæ vero sunt istæ formæ quasi gradus in scriniis, atque certi ordines, quales in Comitibus supra demonstrauimus. Iacobus Sirmondus a), doctissimus vir, & ex eo Gutherius b), formas istas interpretatur, breues, dispositiones aut statuta Principis, vel etiam epistolas, quibus aliquid constitutum sit, vt hinc *formo-*

a) in VI Sidon. ep. 8. & II Goffr. ep. 28.
b) II de off. D. A. c. 11.

c) II Ep. 12. it. III Ep. 20

sas, quas vocat Goffridus c) Abbas Vindocinensis, siue *formatas* ecclesiasticas Antistitum *epistolas*, facilius effingat. Sed quam parum distincte, & ad illius æui genium, hæc proferat, quilibet harum gnarus litterarum oppido animaduertit. Neque Lectoris in his diutius morabor industriam, quod *Comitum* pariter ac *Palatinorum*, siue etiam coniunctim *Castrensis*, *Comitis S. Palatii*, aut vt postea vocabant, *Comitis Palatini*, dignitas ac varius ordo, qualis a primis Cæsarum temporibus fuit, e dictis plus satis constet.

Gothi, splendoris Romani circa dignitates æmuli, Daciam primum incoluere, hinc progressi Mœsiam occuparunt. Romanorum federati, quod ex numismatibus ostenditur, & aliis rerum argumentis. Theodoricus Ostrogothus a Zenone Imp. filius adoptatus, & Patricius creatus, Italiam ab Odoacri tyrannide liberat & possidet cum posteris; plerasque dignitates palatinas Romanorum retinet & auget.

Jam seruata temporum rerumque serie, qua cœpimus, pergendum esset ad reliquos Imperatores, a quibus palatinæ Comitum dignitates vel auctæ, vel imminutæ, vel plane fuerunt abolitæ, & in publicum egregi-

um

um denuo receptæ, nisi Romani Imperii conuulsionibus, quibus illud Gothis, Hunnis, Herulis, ac Longobardis inuadentibus perpetuo laborabat, alio pertraheremur.

Gothorum in primis gens, aspera vitæ cultu, belloque clarissima, potentiæ primum, mox & splendoris æmula Romani, validas atque adsiduas ad Istri ripam legiones, ab Augusto & insequentibus collocatas Imperatoribus, perpetuis incursionibus fatigabat, atterebat, depellebat. Dacia tum sedes Gothorum, Tibisco interiecta Danubioque fluminibus, quam & Gepidiam apud Jornandem [a] ac Gothiam legimus adpellatam; eamque Lucas Holstenius, [b] ex Epiphanii loco, [c] eandem cum Valachia hodierna, aut Transiluania fuisse coniectat, ac vltra Scythiam minorem, cuius metropolis erat Tomis, inferiori Mœsiæ proxima, sitam esse ait. Hanc igitur non tueri magis & conseruare, quam fines eius proferre summo studio laborabant, Danubium, spatio profunditateque aquarum impeditum, constanti ac forti transeuntes animo, Romanos hactenus inuictos, ac rerum dominos, vinci posse ostendebant. Decio deinceps imperante Gothi ex Thracia, quorsum sedes iam locauerant, & colonias deduxerant, ductu & auspiciis Cniuæ Regis Mœsiam inuadunt, populationem adeo facientes effuse, vt nihil bello relinqueretur intactum. Ex hoc tempore per mutua bella pacesve Gothorum virtus nomini Romano aut verenda, aut donis, quæ Iornandes *annua* vocat *solennia*, veneranda fuit. In descriptione Ponti Euxini, quæ desideratur apud Procopium libro IV *belli Gothici*, siue vltimo historiarum ogdoadis, quam-

a) c.12. de reb. Get.
b) annot. in Geograph. Sacr. Car. a S. Paulo.
c) Hæresi LXX. p. 828.
cap. L & LII de Reb. Get.

a) p. 239. quamque Bon. Vulcanius a) parte I *rerum Gothicarum* primus edidit, & H. Grotius b) in ſuam Procopii verſionem adſumſit, euidentis memoriæ res eſt : Γότθοι ᾠκήσαντο ἐς τὰ ἐπὶ Θρᾴκης χωρία. καὶ τὰ μὲν ξυνεμάχουν Ῥωμαίοις, τάς τε συντάξεις ὥσπερ οἱ ἄλλοι στρατιῶται πρὸς βασιλέως κομιζόμενοι ἀνὰ πᾶν ἔτος, καὶ φοιδεράτοι ἐπικληθέντες. οὕτω γὰρ αὐτοὺς τότε Λατίνων φωνῇ ἐκάλεσαν Ῥωμαῖοι, ἐκεῖνο οἶμαι παραδηλοῦντες, ὅτι δὴ οὐχ ἡσσημένοι αὐτῶν τῷ πολέμῳ Γότθοι, ἀλλ' ἐπὶ ξυνθήκαις τισὶν ἔνσπονδοι ἐγένοντο σφίσι. φοίδερα γὰρ Λατῖνοι τὰς ἐν πολέμῳ καλοῦσι ξυνθήκας, ἧπέρ μοι ἔμπροσθεν δεδήλωται λόγοις. Vnde certo colligere datur cum Gothis amicitiam & federa Romanos coluiſſe, ne ſibi virtute nocerent, quam in ſuis infirmam ac ſenio veluti torpeſcentem in dies experiebantur. Eam vt ſeruarent, amplas primum Wiſegothis, victricia circumferentibus arma, deinde & Oſtrogothis poſſeſſiones in Pannonia, Italia, Gallia, Hiſpaniaque, maximo rei Romanæ dedecore non minus, quam detrimento concedere coacti ſunt. Vt alia, quæ præter inſtituti rationem videntur, omittam, publicum Gothicæ cum Romanis amicitiæ fœderisque pignus varii teſtantur nummi, quorum anterior pars Imperatoris caput, auerſa Gothici Regis nomen in laurea præfert.

b) p. 418.

In Muſeo Boſiano paruus admodum argenteus viſitur, in cuius vno latere Iuſtini caput diademate ornatum cum inſcriptione : DN. IVSTINVS AVG. In altero coronæ laureæ inſcriptum : DN. ATHALARICVS REX. Annalium fide conſtat, Iuſtinum patrem deceſſiſſe anno DXXVI, quo ipſo & Theodoricus Amalus,

malus, IV Nonas Septembris, vt in *Siciliæ Historia*, studio Hub. Goltzii collecta ex optimis monumentis, legitur, vita functus, cui Athalaricus, Theodorici ex Amalsuentha filia nepos, eodem anno successit. Cusus igitur est nummus anno, qui Iustino emortualis, Athalarico vero auspicalis fuit. Vtrum Iustini, an Athalarici auctoritate & iure, quæritur? Vix ambigam Gothorum regi adserere, qui hoc ipso comitatem, qua Imperatorem, licet suis cuncta gereret auspiciis, regisque nomine ac iure incunctanter vteretur, venerabatur, palam fecit. Idem ex formula probatur Cassiodori, qua *VII, 32.* Theodoricus iubet, vt monetæ quæratur integritas, in qua vultus regis imprimatur & generalis vtilitas inueniatur. Similes in *Rebus Augustanis Vindelicis* Velseri [a], *Annalibus Sacris* Baronii [b], vnde & Gretserus transcripsit *in Tom. III de S. Cruce*, [c] reperias, vbi in altera parte est caput Iustiniani diadematum cum litteris: D N. IVSTINIANVS AVG. in postica itidem in laurea: DN. ATHALARICVS REX. Alius quoque Iustiniani vultum habet, nisi quod in auersa parte contineat laurea nomen consobrini Amalasuenthæ: DN. THEODAHATVS REX. qui a proceribus regni, aut bellum, aut belli præmia adfectantibus, propter ignauiam occisus est.

a) lib. VIII, p. 177.
b) Tom. VII ad an. 534.
c) lib. I, 21. p. 1855.

Tota rei series pendet e pactione, quæ Zenonem inter & Theodoricum facta, cuius memoriam Procopius conseruauit: Ζήνων δὲ βασιλεὺς παρόντα οἱ τίθεσθαι ἐπιστάμενος Θευδερίχῳ παρῄνει ἐς Ἰταλίαν πορεύεσθαι, καὶ Ὀδοάκρῳ ἐς χεῖρας ἰόντι τὴν ἑσπερίαν ἐπικράτησιν αὐτῷ τε καὶ Γότθοις πορίζεσθαι. ἄμεινον γάρ οἱ εἶναι ἄλλως τε καὶ ἐπ' ἀ- *l. Gothic.*

ξίωμα βουλῆς ἥκοντι, τύραννον βιασαμένῳ τε καὶ Ἰταλιωτῶν ἄρχειν ἀπάντων, ἢ βασιλεῖ διαμαχομένῳ ἐς τόσον κινδύνου ἰέναι. Vbi ſane docemur, Zenonem Theodorico, filio ſibi adoptato per arma, & Patricii Conſulisque honore cumulato, Occidentis imperium cedere maluiſſe, quam vt tyrannus illud Odoacer diutius obtineret. Italia proinde belli iure quæſita, & contra Odoacrum obtenta, Theodoricus omne ſtudium, omnem operam, ad Rempublicam ordinandam conuertit. Procopius teſtatur, eum priſtini ſtatus Romani ſeruaſſe imaginem, Palatinam reliquiſſe militiam, ac ſingulis ex illo numero, ſilentiariis, domeſticis, atque Scholaribus σύνταξιν ἐς ἡμέραν, diaria vel ad poſteros tranſitura, conſtituiſſe. Militiæ diſciplinam ad Romanorum mores obſeruauit, caſtra fabricasque magno ſumtu muniri præcepit. Legum in iudiciis maximam voluit eſſe auctoritatem; & cum Gothi Romanis paſſim permiſcerentur, nec legibus eorum viuere adſueuerant, comitibus per ſingulas prouincias certam dedit formulam, iuxta quam lites inter Gothum & Romanum cognoſci terminarique deberent.

Ἀνεκδ. p. 117. edit. Nic. Alem.

Caſſiod. VII 3.

Magiſtratus cura perquam ſollicita elegit, & ad inſtar Cæſarum varias per codicillos in Palatio dignitates iis contulit, quarum exempla M. Aurelius Caſſiodorus, magnis ipſe honoribus, Exquæſtoris Sacri Palatii, Exconſulis, Comitis, aliisve, a Rege ſuo decoratus, *VI ac VII Variarum* libris ad nos transmiſit. Non erit operæ, tot palatinas iuxta & militares Comitum dignitates, ſub Gothorum imperio, quales ſupra deſcripſimus, denuo conferre, quod fere non differant a Romanis,

nis, & illæ commodius percenſeantur a nobis in antiqua Reipublicæ Gothicæ deſcriptione, quam cum Deo dabimus, vbi præſentia non diſplicuiſſe ſenſerimus. Semel dixiſſe ſufficiat, Theodorico & ſucceſſoribus eius fuiſſe propoſitum, rempublicam in eo conſeruare ſtatu, quo ſub Imperatoribus erat. Hoc enim Gothorum legati ad Beliſarium teſtantur: τούς τε νόμους καὶ τὴν πολι- *Procop. II*
τείαν διεσωσάμεθα τῶν πώποτε βεβασιλευκότων οὐδενὸς ἧσ- *Gothicor.*
„ σον, quæ ex Grotii verſione ita habent: Leges ac reipu-
„ blicæ ſtatuta conſeruauimus nullo Imperatorum minores. Notabile viſum adhuc, quod Oſtrogothici Reges in Comitiuæ honoribus illud Palatii curæ dederint ſingulare, vt quicunque hoc fungeretur munere, aurea decoratus virga incederet. Formula Caſſiodori ſic ex- *Var. VII, 5.*
„ preſſit: Illud quoque conſidera, qua gratificatione *de cura pa-*
„ tracteris, vt aurea virga decoratus inter obſequia nu- *latii.*
„ meroſa, ante pedes regios primus videaris incedere,
„ vel vt ipſo teſtimonio vicinitatis noſtræ agnoſcamus
„ tibi palatia commiſiſſe.

Ab hac virga parum differre cenſeo δικανίκιον co- *De Officiis*
mitum æui ſequioris in aula CPtana, quod Georgius *Palatii &*
Codinus Curopalata variis diſtinctum condylis bul- *magnæ Ec-*
lisve, tam aureis, quam argenteis, pro muneris diuerſi- *cleſiæ p. 25.*
tate, Protoueſtiario, Protoſtratori, magno caſtrorum *ſeqq.*
Præfecto, atque aliis ab Imperatore datum, deſcribit. Vt adeo neque in externis Gothos a Romanis longius digreſſos fuiſſe intelligas. Nec moueor heic rabie plus quam canina Iac. Gretſeri Ieſuitæ, qui Fr. Iunium, cuius cura ſtudioque Codinus e bibliotheca Iulii Pacii primum editus, poſtea vero e Palatinæ & Auguſtanæ co-

dicibus emaculatior redditus, passim insectatur, & circa
lib. I, 14. p. 1829. hanc vocem *Tomo III, de S. Cruce*, cornicatur, rectius
eam per *pilaticium* explicari: notis vero in Curopala-
p. 806. tam, quas cum postumis Mureti opusculis edi curauit,
admittit *sceptrum* vocari posse simpliciter, modo *iudi-
ciale* non addatur, quod Iunius habet. Verum erudita
hæc est tot ingeniorum inuidia, qua se abalienant inui-
cem & inimicantur, iis potissimum in rebus, vbi nulla
difficultate intercedente ad liquidum perueniri posset,
si absque his esset tenebris.

Longobardi Comitiuæ in palatiis regum honorem seruarunt: quod exemplis monstratur. Quomodo Italiam obtinuerint? Duces illorum cum comitibus videntur iidem. Honorati possessores, quinam?

Longobardi Gothorum etiam oriundi sanguine, & hactenus Pannoniæ cum Hunnis incolæ, Romanorum pariter splendore capti, comitum dignitates in Regum Palatiis ambierunt. Sic Ragilo Comes, sic Mittola Capuanus, aliique Longobardi Comitiuæ dignitate clari, leguntur apud Paul. Warnefridum. Vestiarii munus in Palatio CPtano excogitatum, Longo-
lib. V, 9. bardi suis quoque detulerunt, eodem teste. Præfectos
Al. ab Alex. IV, 23. Prætorio, quos inde ab Augusti temporibus habuere Romani, sub *Exarchorum* nomine ac honore instituerunt. Qui maximam partem faciebant Comitatum

Palatinum Castrenses, δορυφόροι Græcis ac σκουτάριοι dicti, in Notitia forte Armigeri propugnatores seniores ac iuniores, Longobardis vernaculo sermone *Schilpor*, *Schilphor* erant. Sic alia quoque habebant munera, cum Romanis eadem, nisi quod nominibus suæ genti cognitis efferrent, quod *Marpahis*, *Marbais* in dignitatibus Palatinis Romanorum Stratorem, *Schuldhais*, Rectorem loci designans, satis ostendunt. *II,28.*

Cum vero Narses, cui victoriæ præmium, de Gothis partæ, Iustinianus Imp. Italiam, cum insulis, Sicilia, Sardinia & Corsica, orientali Imperio tum connexis, administrandam dederat, contumeliis Sophiæ Augustæ varie concitaretur, ac procerum in aula Iustini II inuidia male haberetur, Longobardos ipse in Italiam inuitauit, cui iam ante inhiauerant. Alboinus igitur Rex, *Warnefr.* receptos ad se Saxones, amicos veteres, adsciuit socios *II,5.* & auxilium, quibus in Italiam pergeret, & ampla terrarum spatia, cumprimis in Gallia Cisalpina occuparet. Quæ res & felicissime euenit, adeo quidem vt Longobardi, republica in Italia constituta, dignitates, quas Romanorum æmulatione Gothi, quo magis augustum & firmius haberent imperium, receperant, parum immutasse viderentur. Quos enim duces adpellat War- *Ib.c.32.p.m.* nefridus, non erant alii, stylo tum publice vsurpato, *74.* quam Comites, quibus belli ministeria, vel aulæ ciuitatumque dignitates concedebantur. Illos certe, quibus Alboino Rege, per vxoris fraudes extincto, Clephoneque successore, propter ingenium suspicax & plurimis iniquum, suis pariter Romanisque inuiso ac mature sublato, amplius decennio Longobardorum

respublica fuit subdita, ex Gothorum instituto, quo Comites ac defensores ciuitatis Tridentinæ a), item Foroiuliensis b), Ticinensis c), ac Neapolitanæ d) ordinauerant, mansisse credere par est. De singulis epistolæ habentur testes, quas Theodoricus Rex ad illos misit, a Cassiodoro modo laudato, consignatæ.

a) Cassiod. II, 17.
b) Id. IV, 8.
c) Id. IV, 45.
d) Id. VI, 24.

Inscriptiones earum nomen etiam *honoratorum possessorum* ostentant. qui si coniecturæ locus, iam a Regibus Ostrogothicis, aut antea, meritorum intuitu possessiones in dictis ciuitatibus, certis immunitatibus præditas, habebant. Comites fuisse honoratos istos Cassiodori formula a) docet, cui iungenda est alia inscriptio litterarum b) ad ciuitatem Ticinensem, qua Comites exserte dicuntur. Paulus quoque Warnefridus, ipse Longobardus, ac Desiderii Regis Quæstor Palatii, quem Eginhartus Pisanum, alii Aquilegiensem Diaconum vocant, commemorat, Duces aut Comites, ante nominatos communi tandem consilio regem creasse, quem propter dignitatem adpellauerint Flauium, quo & nomine deinceps Longobardorum reges omnes fuerint vsi: ei simul omnem substantiarum suarum medietatem in regales vsus concessisse, vt esse posset, vnde rex ipse, siue qui adhærerent ei, ac per diuersa dediti forent obsequia alerentur. Non autem eam bonorum possessionem aliunde, quam a priorum regum magnanimitate promtaque in suos benignitate habere poterant. Quin *honor* apud Scriptores illorum temporum, ac postea sub Francis, qui Gothis ac Longobardis in ditionibus successerunt, pro *ditione*, proque *dominio* fere solet accipi.

a) VI, 24.
b) IV, 45.
de gest. Longob. III, 16. edit. Vulc. p. 95.

Ne

Ne sectemur antiqua nimis, Martellus, comes Andegauensis, in tabulis fundationis monasterii Vindocinensis, a Sirmondo primum vulgatis: In episcopatu „ Andegauensi ecclesiam S. Clementis apud castrum „ Credonense cum omnibus ad ipsam pertinentibus, „ quam quidem exceptam, sicut prius B. Petro donatam, retinuimus, cum *honorem Credonensem* Roberto „ Burgundioni fideli nostro donauimus. Idem Martellus in fundatione Credonensi, cuius verba seruabo integra, quod librum non cuiuis obuium esse nouerim: cum vero *honorem Credonis* in manu dominicatum* habui, sanctæ Trinitati illam ecclesiam dedi, antequam *honorem* Roberto Burgundioni fideli meo donauissem. Sic *honor Vindocinensis*, itemque *honor Andegauensis*, in litteris Fulconis iunioris apud eundem pro *Comitatu* siue certa ditione accipi debet. Sic in lege Longobardica: in *honoribus* alicuius habitare, est in alterius bonis atque possessionibus degere. Et quod Ditmarus Sigefridi Saxonici Comitis filius, *honorari paternis* ait, idem est, ac voce hodienum vsitatissima, *inuestiri*, siue vt Grotius interpretatur in vocibus Gothicis, *confirmari*, in bonorum possessione *iure solenniter constitui*. Cum vero prædii possessio quondam, dignitas item ac honor in fidei signum, virgæ traditione aut festucæ fieret, inde in anti-

Not. ad IV Goffr. epist. XLIV, p. 80.

ib. ad V eiusd. epist. XXVII. p. 96.

II, tit. 53. l. 2.

p. 58.

cum Procopio editis.

* Dominicatæ villæ, *simpliciter dictæ, secundum Io. Iacobum Chifletium, apud Francicos Scriptores, prædia sunt, aliis locata, tributoque & censui Dominico obnoxia. Villæ autem Vasallorum* beneficia *fuerunt, dicta postmodum* Feuda, *pro quibus nobiles possessores Domino fidem obligabant. Not. in Chartas ineditas,* Vindic. p. 455.

antiquis Marculfi formulis aliquoties legitur *infestucari*, & si honor abdicaretur, *exfestucari*. Sed hæc extra limen, quod subire constituimus.

Franci quoque potentiæ Romanæ ac dignitatum auspicatissimi fuerunt æmuli. Patet ex diuisione regni, & huic datis Magistratibus, qui Comitum ac Grauionum titulo illustres. Eorum varii ordines; Maiores, Minores, Palatini, Prouinciales, Centenarii, Vicarii. Omnium primus erat Palatii Comes, cuius dignitas & muneris ratio per varias ætates describitur.

Lætiora magis fuerunt auspicia Francorum, qui regnum in Prouinciis Galliæ Romanis condituri, atque mox humanarum rerum possessionem in Occidentis Imperio, quod iam Taciti æuo superstitione haut vana cecinerant Druidæ, occupaturi, omnem Romanorum cultum ac disciplinam domi bellique summo studio consectabantur. Quo ipso non faciliorem tantum regiminis modum inuenerunt, sed moribus deuictorum, a maioribus acceptis, sese accommodantes beneuolentiam simul pristinique imperii maiestatem conseruarunt. Sicut autem dignitates & officia Francorum diuersa parum a Romanorum cernuntur : ita nec regni

IV Hist. p. m. 596.

diuisio

diuiſio multum diſcrepabat, a qua ſane miniſteriorum & actus publici formulæ veniunt cognoſcendæ.

Romani ſuum orbem in Diœceſes & prouincias, has in præfecturas, præſidatus, colonias tribuerant. Franci maiorum more pagos, inque his villas, opida, burgos, inter præcipua diuiſionis membra habuerunt. Erant igitur pagi, vt Romanorum diœceſes, certæ prouinciæ, aut regiones ſuis deſcriptæ limitibus, quas Cæſar [a]) appellat regna, ſiue vt Ciacconius [b]) explicat, νόμοι, στρατηγίαι, πτεραρχίαι. quibus finium vocabulis cultiſſimæ gentes fuerunt vſæ. Ac dicebantur ita, ſecundum Feſtum, quod accolæ eiusdem πηγῆς, fontis, aut riui, aqua vterentur. Supereſt hinc Gallorum vox *Pays*, & Italorum *Paeſe*, quæ veteri ſignificatu gentem, amplum regionis tractum, ac totam aliquam præfecturam hodieque complectitur. Non abſimile huic eſt, ſi rem ipſam inſpicias, antiquum Francorum nomen, Gaw/ Gowa, ſiue vt eſt in quibusdam chartis, a Goldaſto editis, *Gobia*, quod in hunc diem pluribus cis & vls Rhenum locis cohæret, item Saxonum Borde/ Haida/ & Anglorum *Shira*, quæ ſæpe duos comitatus includit, aut recipit, vti & pagi poſt tempora Caroli M. De Ceſtrienſi Prouincia, ſiue Shire, hoc oſtendit Io. Chriſtoph. Becmannus, Comitatum Ceſtrienſem & ciuitatem atque Comitatum ciuitatis Ceſtrienſis complecti. Recepta quoque hæc vox in Saxonia, vnde Angli ſunt egreſſi, durauitque ad annum circiter MC, prius nimirum quam pagi in Ducatus, Principatus, diuerſi generis comitatus migraſſent, ac hereditario iure poſſideri cœpiſſent. In hanc ſententiam plura congeſſit celſiſſimus

a) II B.G. 1.
b) in I B. G. XII. p. m. 276
Tom. II Antiq. Alem.
Notit. dign. illuſtr. Diſſ. IX, 1, 2. conf. Hiſtor. Orb. Geograph. c. V. p. 75.

mus Princeps, ac ſine exemplo doctus, Ferdinandus, Epiſcopus Paderbornenſis, rei Germanicæ veteris peritiſſimus, in ſplendido opere *Monumentorum Paderbornenſium.*

Not. ad Bocam. p. 142.

Sicut autem pagi in Grauias, ſiue Comitatus, hi rurſum in Marchas: ita Anglorum Shiræ diuiduntur in centurias, quas Hundredas patrio ſermone vocant, & hæ porro in Tithingas, ſiue decennas aut decimas. Suedi pariter ſua territoria quondam eodem nomine **hundart/ hundert/** dixerunt. Inde Vplandiæ diuiſio in tres Folklandias ſiue Fylke **Thiehundrat/Otthundrat** & **Fierdhundrat.** Poſtea dicebant **Häreder** / ab **Här** / exercitus, & **öde** / poſſeſſio: a quo porro eſt **Häredz-Höffdinge**/ Dux territorialis, qui adhuc ſubeſt Prouinciali, **Laghmader**/ maiore iurisdictionis vi ac poteſtate conſtituto, prout hæc tradit **Gyllenſtälpe**/ alias Wexionius a patria dictus, *in Deſcriptione Sueciæ.* Ne aliena nimis in cumulum adferam, ſummæ viros auctoritatis & in his litteris incomparabilis notitiæ laudo Marq. Freherum, [a] qui pagorum veteris Germaniæ ſub Pipino, Carolo M, & Ludouico Pio, cognitorum, ex incorruptis eius æui monumentis, indicem quendam exhibet; Chriſtoph. Lehmannum [b], Henr. Meibomium [c], Herm. Conringium [d]; quorum exquiſitiſſimis curis parum addi poteſt.

lib. I, c. 3.

a) Origin. Palat. part. I, 5.
b) Chr. Spir. lib. VII, 10.
c) de Pagis Saxonicis.
d) Exercit. de Iudic. Germ.

Quicunque igitur Regis nomine per pagos iſtos ius reddebant, & in opido, burgove huic imminenti, vbi publicus Mallus ſiue tribunal erat, reſidebant, dicti ſunt *Comites*, & antiquo Germanorum ſermone Grauii, Grauiones, Grafiones, Graphiones, hoc eſt, Iudices, Præfecti territorii aut regionis. qui iuxta iuſtitiæ curam,

publi-

publicum etiam tranquillitatis ſtatum armis cuſtodiebant. Anſegiſus, Abbas Lobienſis, Capitulorum, vt olim vocabant, ſub Carolo, Ludouico Pio, & Lothario collector, miniſterium comitibus commiſſum in pace lib. II, 6.
„ & iuſtitia facienda conſtituit, vt illos, qui temeritate
„ & violentia communem populi pacem perturbare
„ conantur, ſuo ſtudio compeſcant. Dithmarus, in lib. VII.
partibus ait Burgundiæ neminem vocatum eſſe comitem, niſi qui Ducis honorem poſſederit, quaſi dixerit, nullum fuiſſe populi iudicem, niſi qui ſimul rem militarem curauerit. Atque tales iam apud Gothos, & ſic Romanos etiam fuiſſe demonſtrant formulæ Caſſiodori, de Syracuſanæ Neapolitanæque ciuitatum comitibus, quibus non cognitio modo cauſſarum & litium in foro diremtio, ſed militaris quoque diſciplina demandatur, vt milites coerceant, ne poſſeſſoribus moleſti ſint. Form. lib. VI, 22. 23. 24

Quod autem Comitum ac Grauionum vna fuerit eademque dignitates, iam ſub Francorum imperio, ex Doubleti antiquitatibus S. Dionyſii oſtenditur, vnde duo Caroli M. diplomata Io. Iac. Chifletius affert, quorum prius incipit: *Karolus Dei gratia Rex Francorum & Longebardorum, ac Patricius Romanorum, omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Grafionibus, Gaſtaldis, vel omnibus noſtris fidelibus atque Miſſis.* Alterum ita habet: *Omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, ceteriſque optimatibus, ſalutis augmentum.* Vnde euidens eſt, comitum loco Grafiones accipi, more non a Carolo tum vſurpato primum, ſed iam ab antiquis Francici Imperii temporibus, quibus id nominis in legi- Anaſtaſ. Childer. p. 190.

bus, Ripuaria a) Salicave b) comparet, & iudicem vtrobique designat. Paullus quoque Warnefridus c) eandem vocem explicat, commemorans, Alachim, Tridentinæ ciuitatis ducem, cum Boiariorum comite, quem illi Grauionem dicant, conflixisse, eumque superasse. Præerat hic Grauio Bauzano, & reliquis eius ciuitatis castellis, siue Burgis. vbi patet Bauzanum esse opidum, quod mercatores Germani Italique hodie frequentant, & *Bolzano* siue *Bosen* vulgo adpellant, ad Alpes Tridentinas situm. Nec forte falsus est in Thesauro suo diligentissimus Oertelius, quando pro *Batauis*, quod sub Rhetiæ Duce habet Notitia Imperii, *Bauzanis* restituit, siue *Bazanis*, cum *au* per *o* siue obscurum *a* fere soleat exprimi, & sic *Bozanum* hodiernum exacte referat.

a) tit. LV.
b) titulis pluribus.
c) V de gest. Longob.

Mire vero exercuit notio *Grauionis* eruditorum ingenia, maxime quibus nihil æque, quam incertæ coniecturæ placuerunt. Sed nescitur eius origo, aut confunditur, certissimo vetustatis indicio, quo memoria rerum vix pulcriori perdurat monumento, quam cum tanta contentione quæritur. Qui ex Orientis Imperio cum aliis eam plurimis ad nos peruenisse arbitrantur, Wendelinus a), Canonicus Condatensis, & Officialis Tornacensis, abstrusioris litteraturæ vir, & Chifletius b), ab aureo principis graphiario deriuant, quod in Graphionum potestate fuerit. Verum nec ille antiquæ Salicæ, quam eleganti ingenio exponit, neque hic Germanicæ linguæ se peritum satis fuisse, hoc ipso testatur. Omnino res est obscurissima, tædiique plena, priscis vernaculæ nostræ originibus inhærere, inque his

a) in Gloss. Salico.
b) Anastas. Childer. p. 191. Vindic. Hisp. c. V, p. 38.

diuinare, eſt inania captare, quare nec amplius heic conſiſtendum.

Quos modo Grauiones dixi, aut Comites, de Regis conſilio iuſſuque pagenſibus non tam iuſtitiæ, quam pacis adſertores præfuiſſe, illi potiſſimum regio prognati erant ſanguine, quod exemplo Clotarii II, regis Francorum, Magni cognominati, Coccius confirmat, *de Dagobertis.p.120* vbi certos limites comitatibus diſtinctos Conſanguineis & Agnatis, vetuſta ſuæ ſtirpis conſuetudine, diſpertiuiſſe dicitur. Et hi Comites a temporibus Ludouici Pii, dicti *Prouinciales*, *maiores* etiam & *minores*, pro ratione pagorum, ac ciuitatum itemque *Pagenſes fortiores* & *mediocres*, quæ diſtinctio iam Anno DCCXCI exorta, ad differentiam eorum, qui in aulis verſabantur & *Tom. II Concil. Gall. p. 160.* *Palatini* erant, Oſtendit hoc Io. Sariſburienſis: „Comites a Societatis participatione dicti. Nam ſicut *Ep. CCLXIII* „præſules in partem ſolicitudinis a ſummo Pontifice „euocantur, vt ſpititualem exerceant gladium: ſic a „principe in enſis materialis communionem, quaſi „mundani iuris præſules, adſciſcuntur. Et quidem qui „hoc officii genus in palatio gerunt, iuris auctoritate „*Palatini* ſunt; qui in prouinciis, *Prouinciales*. Iſti pro diuerſitate pagorum, qui vel maiores erant, diœceſes, aut etiam prouinciæ dictæ Romanis, vt iam delineauimus, vel minores, in vnaquaque diœceſi plures, varii denuo fuerunt. Qui toti præerant pago, cum rectoribus, aut præſidibus prouinciarum apud Romanos, fere conueniebant, ampliſſima dignatione illuſtres, atque iurisdictione, a poſterioribus *Landgrauii* vocati, & in primario ſui Comitatus pago *Procomitem* ſiue *Miſſum*

habebant, quem a *Misso Regio* siue *Dominico* diligenter oportet discerni. Qui opido, aut minori ex pagis cum auctoritate moderabantur, simpliciter dicti sunt *Comites*, & suos habebant *vicarios* itemque *Centenarios*, qui minores tantum caussas cognoscebant, in reliquis non nisi consentiente comite pronuntiabant. Walafridus Strabo, Abbas Augiensis, ætate Ludouici Pii clarus, in libro *de diuinis officiis*, quo dignitates ciuiles cum sacris comparat: *Centenarii*, inquit, qui & *Centenariones* vel *Vicarii* per pagos statuti sunt, *Presbyteris plebium*, qui baptismales Ecclesias tenent, & minoribus presbyteris præsunt, conferri queunt. Post hos *vicaria*, siue *potestaria*, ceu vocant, *iurisdictio* superfuit, diuersa a *castellanea*, ad tempora vsque Friderici II, cuius Cancellarius, Petrus de Vineis, in Epistolis eam adhuc describit. De Comitibus aliis, quorum a Francis origo petenda, nihil iam proferam, cum de Palatinis dicere instituerim.

cap. vlt.

III Epist. LXIII.

Quemadmodum igitur, vti adparet, pleraque regni negotia per pagos ministerio Comitum expediebantur: ita palatii quoque dignitates, ad Constantinopolitanorum morem, pleræque Comitum nomen præferebant. Ostendit hoc ex FrancoGallorum historiis Fr. Hotomannus, idemque de Caroli M comitibus, quos pro Christiana religione pugnans in expeditione, ac postea in variis palatii sui obsequiis habuisse fertur, abunde probari potest. Omnes hos *Palatii Comites* fuisse dictos, Pigna apud Ægidium Menagium, doctissimum Gallum, docet, quemque consulere pretium operæ fuerit. Monachus Sangallensis a), Clementem Sco-

cap. XVII, FrancoGall.

Orig. Gall. in Palat.

a) T. I. Lect. Antiqu. Canisii.

tum

tum nonnulli vocant b), Goldaſtus c) eum fuiſſe Notkerum Balbulum exiſtimat, *palatina officia* ex rei natura *maiora* facit & *minora*, & ſic inter *Proceres Palatinos*, ſiue comites ita ſimpliciter dictos, & *exiguos Palatinos*, ſiue tenuiores comites, quos *tineas Palatii ac ſori ces* veterum nonnemo dixit, accurate diſtinguit. De Proceribus vix dubitandum, quod communi Palatinorum nomine venerint, demonſtrante hoc Frehero ex Laonici Chalcocandelis (ita enim vocat. Aliis eſt Chalcondylas Athenienſis) *hiſtoria Turcica*, quam habebat manu ſcriptam, vbi de variis pariter Palatinis, ad morem Francorum in aulis Sueuicis & Saxonicis inſtitutis, eximia habentur. Elegans eſt Hincmari locus: „De ordinando epiſcopo non regis vel *Palatinorum* debet eſſe „commendatio, ſed cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione diiudicatio, deinde terreni principis conſenſio.„ Sic etiam Ekkehardus iunior, Linguæ Latinæ Græcæque peritus, pro genio ſæculi X, quod in aula Ottonis iunioris, cuius ſtudiis erat præfectus, viueret, ac tandem in curarum & conſilii partem ab eo adſcitus eſſet, elogio *Palatini* paſſim effertur. Sic & alii hunc ſuis titulis honorem præſcripſere, quorum heic inſerere nomina, foret nimium.

b) Bœcl. in reb. Caroli M. p. 16.
c) de R.B. p. 112.
Lipſ. III Polit. XI, 4.
Part. I orig. Palat. cap. I p. 6.
Ap. Maſſon. II. Annal. p. 165.
Goldaſt. Tom. I Rer. Alem. part. I. p. 3.

In aula Francorum iidem *Salici* fuerunt adpellati, ab anteriore ac præcipua regiæ domus parte, quam Romani atrium vel aulam vocant, vbi ſtatis diebus ad ius dicendum velut in Prætorio Palatii conueniebant proceres, cumque ſententiam vel interlocutoriam, vel definitiuam tuliſſent, ſolenni claudebant formula: *ſecundum legem noſtram Salicam*, qua de Wendelinus in Gloſ-

ſario

ſario videndus. *Salicæ conditionis homines*, qui ſic audiunt in epiſtola Conuentus Epternacenſis, anno MCXCII ſcripta ad Henricum VI Imperatorem, de ſententia eiusdem gloſſatoris, Imperii ſunt clientes, ob beneficia ſeu feuda obſtricti, qui vocati comparere in Sala & ſubire miniſteria tenebantur. Inter Palatinos minores, aut eos, qui miniſteriis adhibebantur in Palatio inferioribus, erant etiam ſimpliciter dicti, *miſſi Palatini, miſſi diſcurrentes*, qui cum Palatinis Romanorum, ſiue mittendariis ſupra deſcriptis, prope conueniunt, quod principum mandata per prouincias deferant, vectigalium tributorumque curam cum primis gerant, atque a prouincialibus exigant. Probe tamen diſcerni oportet iſtos a modo nominatis *dominicis* ſiue *regiis Miſſis*, quorum munus, vt ex Caroli M Capitularibus adparet, hoc erat, viſitare prouincias, inquirere in reipublicæ ſtatum, inque actum Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, num ſecundum canones inſtitueretur, comitum quoque & vicariorum, an legitimus eſſet; curare, vt Eccleſiæ monaſteriave iuſtis & idoneis gauderent Aduocatis, vt iurisdictio ſacra profanaque honeſte adminiſtraretur, vt deſideriis ac querelis viduarum inprimis & pupillorum ſatisfieret, aut ſi quæ ſunt his affinia. Atque horum Palatinorum, ſiue Dominicorum Miſſorum officium, quam fuerit vtile Imperio ſimul & Maieſtati eius tuendæ neceſſarium, liquet e temporum interuallo, quo deſiere, turbulento ac omnia ad ſe trahenti. Non aliis vero hoc muneris, niſi primoribus aulæ, tam eccleſiaſtici quam ciuilis ordinis, conſultiſſimis omnino viris, vt in illa quisquam ætate eſſe poterat, omnis

lib. II, 12. it. VII, 214. Addit. lib. III, 66.

diuini

diuini & humani iuris, fuit commisſum, quo ſingula regni deliquia rectius noſcerentur, detegerentur, ac tollerentur. Conſtat enim regni curam ab Eccleſia Chriſtianos Imperatores nunquam ſeparaſſe, maxime vero Francicos, qui plures hanc in rem conſtitutiones capitulares emiſerunt, vbi *diuinam auctoritatem* & *humanam ordinationem* pro ſummæ poteſtatis amplitudine demonſtrant, ac Miſſis ſuis non tam ſecularium quam eccleſiaſticarum rerum viſitationem commendant. Ad hos igitur vt propius deueniam primum noto, pari eos cenſendos eſſe dignatione ac muneris honore cum illuſtribus ac primi ordinis comitibus, quos ſuperius perſuimus. Atque hi quidem asſumebantur in curarum partes, non ſolo regis arbitrio, ſed ſimul ordinum regni conſenſu, quorum commendatione, an nobili genere orti, quæ ſua & maiorum in commune bonum eſſent merita, quem hactenus ordinem duxerint, an maturæ virtutis, pii, iuſti, ſobrii exiſterent, quibus inſtructi naturæ fortunæque bonis, eligebantur. Neceſſaria certe cura in Imperio, qua compages eius velut neruo continetur firmisſimo. Aliter longe res ſe habebat in Orientis imperio, vbi princeps dignitates in aula ſupremas, quibus modo voluit, non tam conferebat, quam auferebat, quandocunque ſibi viſum eſſet. Alexander quidem Seuerus, teſte Lampridio, Senatores, aut alios etiam ſuo deſtinatos obſequio, non niſi de ſummorum in Palatio virorum conſilio ſuffragioque ex plenaria poteſtate conſtituebat, ſæpius dicendo, *magnum eum eſſe oportere, qui Senatorem faceret.* Verum hoc vnius erat exemplum Alexandri, qui nimia prædeceſſorum largita-

in Alex. n. 19. p. 910.

te, an prodigalitate, permotus, aulicum contraxit ministerium, ac tot in ſingulis voluit officiis eſſe homines, quot neceſſitas poſtularet; pariter vt dignitates caperent digni, non veſtitores, non pictores aut palatini minores alii, qui quidem in ſinu principis, nequaquam vero illi eſſent, quorum conſiliis vti, ac præcipua publicæ rei momenta procurare liceret.

ib. v. 41.

Si quidquam igitur in Francorum imperio laude dignum, prudentia fuerit in miniſtris tanta cum cura legendis, qui ad negotia in reipub. vſum gerenda non magis natura, quam inſtitutione & experientia facti eſſent idonei. Inque horum numero primus eſt *Comes Palatii*; qui ſiue munus & honorem, ſiue nomen ſpectes, pro trina Regum Francicorum familia, tot mutationibus fuit obnoxius, quam alius ex aulæ primoribus fere nullus. Merouingicis adhuc rerum potientibus ſimillimus fuiſſe videtur Romanorum *Comiti* ſiue *Caſtrenſi S. Palatii*, de quo titulus in Codice Juſtiniani habetur. Vbi quod videam doctiſſimos JCtorum a ſe inuicem diſſidere, quosdam etiam cum Jac. Cuiacio titulum plane immutatum velle, atque conſtituere *de Officio Comitis S. Patrimonii*, rogaui ſententiam viri doctrina, iudicio ſingularique rerum ac iuris prudentia ſummi, Jo. Schilteri, qui ſic ſtatuit. Non dubito adſerere, rubricam *de Officio Comitis S. Palatii* rectius legi; quoniam lectionem hanc & Florentina auctoritas & ratio defendit. Reſcribitur enim hoc titulo ad Comites rerum priuatarum per Occidentem, Mineruium & Vrſacium, de his, quæ ad Palatinorum curam & Rationalium officia deinceps iterum debeant reuerti, ſcilicet exactio rerum priuatarum

lib. I. tit. XXXIV.

tit. cit.

&

& canonum emphyteuticariorum. Porro vt Rationalium & Palatinorum cura fuit exactio rerum priuatarum: ita quoque hi erant sub dispositione Comitis S. Palatii, siue Castrensis S. Palatii. a) Et sicut Comes S. Palatii partim fuit sub dispositione illustris Præfecti S. Cubiculi, vt arguit Jac. Gothofredus: b) ita proximius fuisse videtur sub dispositione Comitis rerum priuatarum, qui Palatiorum curam præcipue gerebat, & pari ordine dignitatisque splendore cum Sacrarum largitionum comite illustris erat. Perezius hunc S. Palatii Comitem *Procuratori Diuinæ domus*, apud Lampridium, comparat. Ad nostros mores interpretarer einen Haußmarschalck/ adelichen Haußvogt/ de quo gentis suæ ac nobilium flos, Sekendorfius a) videndus.

a) l. 12. Cod. Th. de Palat. S. L.
b) Not. dign. p. 331.
Com. in h. t.
a) F. St. P. 3. c. 5. §. 27. 29.

Quod autem cum Comite Palatii Regum Merouingicorum fere conueniat, Gregorius Turonensis b), antiquitate & fide incomparabilis, egregie demonstrat, vbi commemorat, sub Childeberto Rege fuisse quendam domus regiæ Maiorem, Florentianum, & alium Palatii Comitem, Romulfum, quem descriptorem Rex in Pictauos miserit, ad censum a populo exigendum. Sunt, qui parem, aut dignitate eundem cum Romanorum Curopalata esse volunt, quo de superius quædam attulimus. Verum abutuntur voce, &, dum alieno cultui nimium sunt dediti, dignitates & officia confundunt. Cura Palatii temporibus Justiniani cœpit aliquanto illustrior esse & Imperatoriæ proxima, ex Corippi versiculo, *par exstans curis, solo diademate dispar*, cum Maioratu Domus in Francorum regno primæ familiæ partibus fere congruens omnibus. Hunc autem a Comitis

b) lib. IX. 30.
lib. I. de laudib9 Justini Jun.

p.m.6. Palatii honore ac munere differre, P. Pithoeus contra Aimoinum, egregium alias historiæ Francicæ scriptorem, ostendit, & in dignitatibus describendis rebusque formulariis ei non adeo fidendum docet, quod plus æquo sibi permiserit, accommodans æuo suo verba in primis genuina & simplicia veterum scriptorum, quibus ipse Latinitatem ostentando abusus sit; scripto Gallico, *Memoires des Comtes de Champagne & Brie.* Eum vulgo librum Pithoei *de Palatinis* adpellant. Freherus in sermonem latinum conuersum simul edidit cum Hub. Thomæ Leodii, aliorumque scriptis ad Historiam Palatinam & primam eius notitiam pertinentibus.

a) l.c.p.8. Quando tamen idem a) doctissimus vir scribit, nunquam reperiri, plures vno Maiores domus vna vice
b) Chifl. de Matrimon. Ansb. & Blit. testim. Sec. VIII. exstitisse, id multa adhuc indiget discretione, cum Hugo monachus, vetustissimæ notæ scriptor, qui Historiam suam ad annum vsque DCCCLV perduxit, exsertis prodat verbis, Regem Franciæ consueuisse regni sui negotia per Maiores domus, Dapiferum, Constabularium & Camerarium expedire. In aula quoque Græcorum vno plures fuisse Curopalatas, e Cedreno arguitur: μετὰ δὲ τὸν θάνατον Ἰουστινιανοῦ ἐκράτησεν ὁ ἀνεψιὸς αὐτοῦ Ἰουστῖνος, ὁ ἀπὸ κουροπαλάτων. * Hanc quidem supremi fastigii dignita-
de offic. Palatii & Eccl. CP. tem eiusque muneris rationem G. Codinus, cuius ætas incerta, sibi fatetur incognitam esse, quod, cum hæc scriberet, aut plane aut multum a pristino splendore defecerit:

* *Ita quidem legit in Glossario suo Meursius; cui locus alter ex Isaacio Comneno iungatur, vbi perinde sermo est* πληθυντικός. *In editione vero Fabrotti est,* Ἰουστῖνος ὁ κουροπαλάτης, *forte correctus ab illo, quod & alibi apud Cedrenum ita scribatur.*

cerit: ὁ κουροπαλάτης εἶχε μὲν εἰς τὸ παλαιὸν ὑπηρεσίαν, ἥτις ἐστὶν ἀνεπίγνωστος, νῦν δὲ οὐδεμίαν. In Officiis τοῦ παλατίου, quæ cum Jure Græco Romano prodiere, Curopalata XIX demum loco comparet, ſi quidem hæc eſt genuina τάξις. Vnde colligitur, quam non ſit Curopalatæ dignitas heic amplius cum prima inſtitutione comparanda. Certum eſt, in Francorum regno plures vno ſimul exſtitiſſe Maiores Domus, non in vno, ſed per diverſa palatia conſtitutos, qui Regis loco & nomine ſummam Imperii bellique adminiſtrarunt. Non iam Scriptoris Anonymi *de Maioribus domus*, ab Andrea du Chesne editi, non Eginharti aut aliorum teſtimonia conferam, quod res ſit luculentiſſima. *lib. II Novell. Impp.*

Poſtquam vero Merouingici Francorum Reges a maiorum virtute atque imperandi artibus non vna ratione fuerant digreſſi, ac inter regias curas & ſtudia cumprimis habuerant, morari domi, epulari luxurioſius, ludos ac feſtos agere dies, totoque vitæ tempore in voluptate eſſe, parem contra, aut ſuperiorem etiam ſibi iungere, Majorem domus, ad quem omnes regni curæ, in bello, iure ac ærario, pertinerent, non aliter euenire poterat, quam vt ea dignitate ambitioſius vtentes reges aliquando exiſterent. Pipinus certe, cognomine Brevis, commodam nactus occaſionem, qua graſſaretur ad votorum finem, Maioratum Domus in regium conuertit diadema, & ampliſſimam ejus jurisdictionem, variasque prærogatiuas, anno circiter DCCLIV, quo denuo vnctus eſt, ad Palatii comites transmiſit; quos plures etiam, ne nimia foret vnius potentia hinc inde ordinauit, nomine & officio Maiorum domus penitus abolito.

Atque ſic maior Comitum Palatii dignatio conſurgit, Maioratui domus prope par, niſi quod anguſtioribus paullo circumſcribatur limitibus, quæſturæ apud Romanos, maxime, a Conſtantini M. temporibus, ſimillima. * Quemadmodum enim huius præcipuum erat munus, non tam iis, qui palatinis deſtinati obſequiis, ſed & qui ex certis prouinciis ad eam prouocauerant, ius reddere, ſiue, vt Caſſidorus in eius formula habet, vnicuique *V Var. 4.* propria iura cuſtodire : ita Comitum pariter Palatii apud Francos cura & iurisdictio fuit, non litium modo in aula exortarum cauſſas cognoſcere & diiudicare, ſed earum quoque partium, quibus prouocatio ad ſummum tribunal conceſſa.

Nemo melius hæc nouit, aut deſcripſit exactius *Goldaſtg in Proleg. ad to. III Conſtit. Imper.* Hincmaro, Epiſcopo Rhemenſi, qui in epiſtola peculiari, ad Ludouicum Balbum itemque ad regni Proceres, anno DCCCLXXX data, de officiis, dignitatibus, actusq; publici & aulici contextu, qualis ætate ſua ſub Carolingis erat, grauiter egit atque Adhalardi, Caroli M. propin- *lib. V. Cap. 151.* qui, palatiique Comitis, & demum Corbeiæ Abbatis, librum

* Maiores Domus *a Pontifice quoque ex ordine Cleri & aliquando epiſcopali conſtituti, viri prudentes & rerum gerendarum peritia inſignes, vt Panuinius adpellat,* de Offic. Papæ, *quibus epiſcopii vel Patriarchii Lateranenſis cura & adminiſtratio committebatur in gubernanda domo, hoſpitibus ſuſcipiendis, & domeſticorum Pontificis cauſſis cognoſcendis, vt legitur* in epiſtola Gregorii ad Antonium Diaconum. *A quibusdam* Vicedomini *vocantur. Confer Bibliothecarium in vita Vigilii & Stephani III.*

librum ex parte conseruauit, quem *de Ordine Palatii reique publicæ dispositione*, sub Pipino & Carolo, ad memoriam & instructionem posterorum ediderat. cuius non nisi exiguum fragmentum apud se superfuisse Freherus [a]) testatur & serio dolet. Ita vero Hincmarus [b]): a)*Orig.Palat.part.II, 1.*
Comitis Palatii inter cetera pæne innumerabilia in,, hoc maxime sollicitudo erat, vt omnes contentiones,, legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis iudicium in-,, grediebantur palatium, iuste ac rationabiliter deter-,, minaret, seu peruerse iudicata ad æquitatis tramitem,, reduceret, vt & coram Deo propter iustitiam & coram,, hominibus propter legum obseruationem cunctis pla-,, ceret. Si quid vero tale esset, quod leges mundanæ,, hoc in suis definitionibus statutum non haberent, aut,, secundum gentilium consuetudinem crudelius esset,, sancitum, quam Christianitatis rectitudo vel sancta,, auctoritas merito non consentiret, hoc ad regis mode-,, rationem perduceretur: vt ipse cum his, qui vtram-,, que legem nossent, & Dei magis, quam humanarum,, legum statuta metuerent, ita decerneret, itaque statue-,, ret, vt vbi vtrumque seruari posset, vtrumque seruare-,, tur; sin autem lex sæculi merito comprimeretur, iusti-,, tia Dei conseruaretur.

b)*Ep.III,14. it. XIV. 19. 20.*

Singula propemodum, de quibus dicere instituimus, hac epistolæ parte absoluuntur. Prouocatione, si Comitum Prouincialium, maiorum simul minorumque, fides & æquitas desideraretur, si iustitia caussæ perpelleret, ad Comitem Palatii tanquam supremum iudicem, & ipsum adeo Regem, aditus dabatur. exemplo temperatissimi status, vbi priuatorum quorumlibet ciuium

uium lites, non impotentia centenarii, aut cæco alterius impetu, & iniqua ſententia, ſed ipſa Regis æquitate deciduntur. Nulla heic legum ſubtilitas, nec inconſtantia, nulla moles, aut in mole perplexitas inextricabilis; breuitas contra, ſimplicitas & perſpicuitas vbiuis obuia deprehenditur. Ac ſane mera commodi patrisfamilias in ſuos dixeris imperia, quibus non poteſt niſi pietate & obſequio mos geri. Auctoritatem iis magnam conciliabat duratio, qua ſimul factum, vt legum numerus non exiſteret maior, quam Francorum ingenia ferrent. Ipſæ Gentilium ſanctiones, honeſtati ac moribus hominum conformes, admittebantur. Si quæ tamen fidei religionique contraria, ſi mores inconditos ac barbariem adhuc quandam continerent, regia moderatione in æquius meliusve ſunt converſa. Non igitur hoc muneris erat Comitis Palatii, vti nec Quæſtoris Romani, qui cum aliis quibusdam ſubſcriptioni legis tantum adſtabat, ſed regiæ Maieſtati reſeruabatur, ad quam pariter cauſſæ potentiorum pertinebant, de quibus Comes Palatii non niſi Regis mandato cognoſcebat, interdum & officii prærogativa cum proceribus aliis, dignitate paribus, iudicabat. Exſtant hanc in rem hiſtoricorum teſtimonia, itemque Capitularia Imperatorum Francicorum, quæ, cum paſſim legantur, omitto, ne quorundam, vt hodie moroſa ſimul & delicata ſunt ingenia, iudicio ſiſtar, quaſi pinguia ſolum electorum capita confecerim.

Idem Adhalhardus, apud Hincmarum, Apocriſia-
l. c. cap. 19. 20. rium Comiti Palatii parem in Eccleſiaſtica iurisdictione facit. Atque hoc a temporibus Concilii Francofordien-

ſis

ſis obtinuerat, cuius canone VI ſancitum legimus, vt, ſi iudicio Epiſcopali controuerſia nequeat dirimi, ad Epiſcopum Metropolitanum adpelletur, & ſi neque iſtius velint ſententiæ partes adquieſcere, venirent cum litteris Metropolitani ad Palatium Regis, quo ſciret veritatem rei. Sed hiſce litibus diſcutiendis cum nec ipſe ſufficeret Rex, ſummum pariter magiſtratum conſtituit, qui ſuo loco iudicaret & cum Comite Palatii dignitate æquaretur. Sicut enim iſte de ſæcularibus cauſſis & iudiciis curam ſuſcepit: ita Apocriſiarius, quem & Capellanum, Palatii cuſtodem, Referendarium, & ſequioribus temporibus Archicapellanum, itemque Archicancellarium vocarunt, vndeque hodierni Sacri Imperii officiales primarii repetendi, de omnibus negotiis Eccleſiaſticis, vel etiam Eccleſiæ miniſtris Abbatibus, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, monachis & aliis clericis curam inſtanter habuit. Vterque hoc in primis operam dedit, vt neque Eccleſiaſtici, neque ſæculares Regi prius moleſti forent, quam vbi ſuorum cognitione ac iudicio cauſſæ fuerint ſuperiores. Walafr. Strabo, iam ſupra laudatus, eandem inſtituit comparationem, niſi quod Comitem Palatii cum Romanorum Præfecto Prætorio paria feciſſe exiſtimet. Quemadmodum, inquit, ſunt in Palatiis *Prætores* vel *Comites Palatii*, qui ſæcularium cauſſas ventilant: ita & illi, quos *ſummos Capellanos* Franci vocant, Clericorum cauſſas. *de reb. Eccl. cap. ult. cõſ. Hincm. ep. XIV. 19. 20.*

Quam vero iudiciorum rationem ſeruauit Comes Palatii, adſidentibus Epiſcopis & proceribus ius reddens, ac ſententias ſuas nomine regio inſcribens, eandem & Apocriſiarium tenuiſſe, credendum. Oſtendit hoc poſt

a) Not. ad Marculph. c. 25. l. 1. c. 22. Bignonium, a) Petrus de Marca, insigni opere, *de Concordia Sacerdotii & Imperii*, b) quique annotationem de dignitate ac munere Apocrisiarii in Palatio fecit ibidem Steph. Baluzius, c) Gallorum hodie doctissimus.

b) lib. IV. c. 7.

c) p. 219. edit. sec.

Elegans omnino & eruditum est summorum virorum institutum, quo Jurisdictionem Ecclesiasticam a saeculari normam accepisse ostendunt. Quae tamen in tantum postea fuit aucta, vt summae potestati prope formidabilis esset. Inde quoque auctoritas Archicapellani, siue Apocrisiarii, non fuit perpetua, cum paullatim imminueretur, ac tandem transiret in Comitis Palatii munus, quorsum presbyteri aliique sacri ordinis homines deinceps prouocabant, ac subsidium petebant. Interea tamen ornandae sacrae potestati, inque maius in dies producendae, adprime inseruiebat litterarum cultus, quem horribili secreto neq; auctum nimis, neque penitus intermissum cupiebant, solis tamen sibi vendicabant Episcopi, & Abbates, quo semper haberent, quos e suo coetu supremis Reip. muneribus, non tam Ecclesiasticis, quam saecularibus, admouerent, & denique his artibus ad sacrum illum potentatum optatius eniterentur. Plures illa aetate Imperatores, omnis fere doctrinae expertes, satis habebant, nosse nomen depingere vel scribere per simplices litterarum apices, siue μονογράμματα, quibus rescripta & sanctiones, sacro encausto addito, muniebant. Negotia hinc pleraque, si consiliis opus, & publicis litterarum instrumentis, per monachos, & sacri ordinis homines, ad haec aptos ante alios, expediebantur. Postquam tamen isti splendidae in aulis miseriae satis gnari & pertaesi, amplissimos honores cum

iucun-

iucunda illa felicitate riserunt, & rebus suis ad vota confirmatis, ex aula, velut ex Ægypto eiusque deliciis ad fratres & monasteria sunt reuersi, sicut ex illorum temporum historia passim obseruare licet. Quin Sacerdotii dignitas non aliter ac Romanorum Comitiua, inde a prima regum Franciæ familia, in certos ordines diuidebatur. Sidonius Ioannem Cabillonensem episcopum laudaturus, inter alia commemorat, quod in lectoris, Diaconi, & *secundi ordinis sacerdotis* gradu versatus, per singulos ordines stipendia fecerit. Non vacat adducere plura huius rei testimonia, quod vel vnicum hoc satis habeatur præstabile. *IV Ep. 25.*

De Palatinis aliis maioribus æque ac nonnullis minoribus, qui Carolingorum temporibus in ornamentum regni ac publicorum negotiorum curam adsumti, præclare agit epistola Hincmariana, aliquoties commendata, eamque in his consulere operæ pretium erit. Perfectam nobis dignitatum & publicorum munerum, quæ per id tempus obtinuerunt, notitiam haud dubie dedisset eruditorum decus, Io. Henricus Bœclerus, ni fata intercepissent acerbissima simul cum illo *Annotationes*, quas promisit in Hincmari epistolam factas. De Palatinis, quos ita vocarunt, minoribus, certissimum est, eorum tantum superesse nomina, ipsius vero muneris rationem, vti minus amplam & honorabilem, ita pæne ignotam esse, neque comparari posse cum vlla ex dignitatibus palatii Romani minoribus, quas exacte habemus descriptas. Sic Veltrarii, item Bersarii, Beuerarii, multique alii tempestate illa Principis obsequiis in Francorum aulis destinati, non minus nominum suo- *Sæc. IX, sub Lud. I. p. 63.*

rum, quam munerum exposcunt interpretes. In hac quidem rerum caligine, vtut habeam, quæ lucem adferre posse videantur; cum tamen parum huc faciant, & ne lectoris studia morer, abstineo, ductus exemplo sapientissimi scriptoris, qui primum Romanorum fedus cum Carthaginiensibus propositurus, τηλικαύτην διαφορὰν γεγονέναι τῆς διαλέκτου, παρὰ Ῥωμαίοις τῆς νῦν καὶ πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν, tantam, ait, veteris Linguæ Latinæ diuersitatem deprehendi ab illa, qua tunc sint vsi, vt vel peritissimi nonnulla ægre, etiam vbi animum attenderint, explanare possent. Reuertimur ad Comites Palatii, munus eorum, quale iam tertia Regum familia, sub Capetingis fuit, expositurus.

Polyb. III. p. 177.

Comitis palatii dignitas in Senescallum ab Hugone Capeto translata. Ejus origines & varii honores designati. Parum differt a Comite Scanziarum in palatio Regum Hispaniæ. Quomodo facta sit hæc prærogatiua in Francia Comiti Andegauensi hereditaria? Ejus muneris ratio apud Anglos.

Superius demonstrauimus, quomodo nimia potentia vnius, ad quem non vt ad ministrum & familiarem, Rex, conuiuiorum adparatibus magis, quam regni curis deditus, sed vt ad Imperii socium, cuncta principa-

lis

lis fortunæ, & sic belli ac pacis negotia retulerat, ipsum denique regnum ad illum delapsum sit, ac qua denique consilii ratione Maioris Domus præcipua dignitas in Comitem Palatii translata sit. Eandem rerum faciem obseruare est in extremis Carolingorum temporibus, vbi summa rerum penes Comites Palatii reuera fuit, simplicitate vel alia regum deprauata consuetudine, vt facillime inter hos daretur, qui maiora se auderet, ac per studia procerum viam regno faceret. Carolina igitur stirpe in Ludouico IV, Arnulphi filio, exstincta, Hugo Capetus, in cuius parentem, Hugonem Magnum, Comitiua Palatii hereditario iure translata fuit, Rex adpellatur. cui non aliter ac Pipino Caroloque M. nomen dignitatis, quo ad regnum ipsum emerserat, inuisum, & hinc ab Comite Palatii iurisdictionem omnem in Seneschallum traiecit.

Antiquum hoc in aula Francica ministerii genus, non pari tamen muneris amplitudine vbiuis censendum. Octauius Ferrarius, acri vir ingenio, summaque facundia, *in Originibus Linguæ Italicæ*, Siniscalcum siue Senescalchum, e Pithœi ad Legem Salicam Annotatis, custodem gregis vel armenti, primum significasse notat, postea vero præclaræ dignitatis vocem esse factam; non inusitata vocum vicissitudine, qua sæpissime contigit, vt quæ aliquando fuerunt in honore, mox abirent in contemtum, ac rursus alia e situ & squallore adsurgerent. Idem Seneschallo factum esse videmus. Scilicet a Caroli M. temporibus, & iam ante quoque proprium eius munus in eo potissimum legitur constitutum, vt regiam curaret mensam, œconomus, architriclinus, interdum

in Scalco. p. 263.

& bellici Ducis obiret munia, copias in hostem duceret, sicut de Autulpho quodam Sineschallo in vita Caroli M. habetur, quod cum exercitu in Britanniam missus sit. Eundem ex Aimoino *regiæ mensæ præpositum*, ex Reginone *Principem coquorum*, ex aliis vna voce *Dapiferum*, fuisse cognominatum patet. Non multum diuersus ab hoc fuisse videtur *Comes Scantiarum*, cuius frequens in antiquis Hispanorum dignitatibus nomen est. Luitprandus, numero CXXXI *Adversariorum*, quendam inter Palatinos Nicolaum recenset, Comitem Scantiarum,
p. 483. quem Laurentius Ramirez de Prado, primus libri hujus editor, per *Præfectum poculis*, apud Hispanos hodie *Copero mayor* dictum, exponit. Pantinus vero, *de Officiis*
c. V. p. 95. *Gothorum*, & Salazar de Mendoça, in *dignitatibus Hispanorum*, non tam poculis, quam vniuersis epulis Regis, quin ipsi domui regiæ, præfectum fuisse docent. Nomen hujus dignitatis multi ab Scanzia insula, alii ex Arabia deducunt, quos apud Ramirezium vide confutatos.

Qui rerum Franco Gallicarum peritissimi, Io. Tilius, a) Actuarius primum in Curia Parisiensi, deinceps Episcopus Meldensis, atque Petrus Pithœus b) Iureconsultus, Seneschallum cum *magno magistro Prætorii Gallici*, comparant, qui maximas in Parlamento caussas iudicat & a Rege caput est, absente rege dignitates confert, cui virgæ in Palatio Parisiensi, vt Rectoribus in Academiis clauæ, præferuntur. Sed videntur omnino habuisse in oculis tempora Capetingorum, quibus abolito Comitis Palatii honore ac munere, in vicem eius Seneschallus, quamuis immutata auctoritate & muneris ratione, substitutus est.

a) in Disquisit. de reb. Gall. lib. II. p. 162.
a) de Comit. Camp. & Briæ, p. 7.

Non

Non tamen fieri potuit aliter, quin eadem dignitas iam ſub Hugone Capeto & paullo poſt priſtinam iuris-dictionem reciperet, certe ampliſſimam. Hugo enim Rex factus, in nouo imperio ſtabiliendo clementiam in primis exercebat, & plurimos comites, qui ſub Carolingis ditiones regendas ad tempus acceperant, iam vero proprias ac hereditarias fecerant, vix inde mouere & ſibi adſerere illas audebat. Quin ad has etiam alias, vt regia liberalitas magis noſceretur ab omnibus, & venerationi eſſet, vel annuas, vel ad vitam datas Præfecturas fecit hereditarias, inque feudum donauit, quod eius exemplum ſucceſſores quoque fuerunt ſecuti. Sic Robertus Hugonis filius patri ſucceſſor datus Godefrido, ſiue Goffrido Griſagonellæ, de ſago cineritio dicto, Andegauorum comiti, propter auxiliationem contra Ottonem Imperatorem, conuocato generali Epiſcoporum, Comitum & Baronum concilio, obtulit atque confirmauit in hereditatem quidquid rex Lotharius in Epiſcopatibus Andegauiæ & Cenomaniæ habuerat, & ſi quæ plura vel ipſe vel ſucceſſores adquirere poſſent, eadem libertate, qua ipſe tenebat, illi commendauit. Cumque poſthæc Robertus Franciæ Rex in aliis quoque publicis malis, quæ ſibi ac regno imminebant, Goffridi fidem ac virtutem ſatis haberet cognitam, præter beneficia nuper exhibita, eidem atque ſucceſſoribus ſuis iure hereditario *Maioratum regni* & *regiæ domus dapiferatum* cunctorum adplauſu & elogiis largitus eſt. Memoriam hujus rei conſeruauit Fulco Hieroſolymitanus, Comes Andegauenſis, cui cum Ludouico Philippi Regis filio, ſuper hac donatione lis erat, & integram eius ex actis Lega-

Legationis ad Ludouicum historiam contexuit ipse Legatus Hugo de Cleeriis, quam *de Maioratu & Senescalcia Franciæ, Andegauorum Comitibus hereditaria* inscriptam Iac. Sirmondus ex antiquis S. Albini codicibus cum Goffridi Abbatis Vindocinensis epistolis, superius laudatis, in lucem protraxit.

a) Disquisit. dict. p. 165.
b) lib. d. p. 7.

Vt adeo lux inde afferatur iis, quæ Io. Tilius, maximorum virorum consensu, in Gallicis rebus fidus testis, a) quod regio iussu sumtuque ex Archiuis eas collegerit, obscure nec sine dubitatione proposuit. Petrus etiam Pithœus, b) non minore in patriis rebus peritia censendus, ex isto Hugonis Commentario intelligitur. Quando vero hoc ipsum repetit ex Roberto, abbate de monte S. Michaelis, quem & Chronici Sigeberti continuatorem existimat, duos Robertos, alterum de S. Michaele, de Normannia alterum, confundit, & omnino fallitur. Hic enim Robertus, alius plane, discernendus est a Montensi, qui duobus prope sæculis a priore floruit, Abbas Abrincensis vulgo de Normannia dictus, Chronici Sigeberti ad annum MCCX vsque continuator, vbi anno MCLXX nonnulla de Goffrido Grisagonella leguntur, quæ Roberto de monte S. Michaelis, pridem defuncto, non poterant esse cognita.

Quodnam vero munus supremi Franciæ Senescalli, siue Dapiferi, ejusque vicarii, in coronatione Regum Franciæ, copiisque contra hostem educendis, fuerit, cum nemo rectius descripserit Hugone de Cleeriis, iuuabit attulisse eius verba, maxime quod in nostro quoque imperio similia iam olim obtinuisse circa hoc officium obseruemus. Ille, inquit, qui Senescallus erit Franciæ,

comi-

comiti Andegauorum faciet hominium & talia ferui-„ tia. Si comes perrexerit ad curiam Domini Regis,„ Senefcallus præcipit Marefcallis Domini Regis, vt præ-„ parent & liberent hofpitia Comiti. Cum Comes ve-„ nerit, Senefcallus ibit ei obuiam & conducet ad fuum „ hofpitium. Tunc Senefcallus ibit dicere Regi, Co-„ mitem Andegauiæ veniffe. Si Comes ad Regem ire „ voluerit, Senefcallus ad curiam eum deducet, & de„ curia reducet ad fuum hofpitium. Si vero ad coro-„ namenta regis comes ire voluerit, Senefcallus præpa-„ rare & liberare faciet hofpitium, quod comes habet „ proprium & debitum. Cum autem die Coronæ fuæ „ ad menfas Rex difcubuerit, fcamnum pulcerrimum „ fulcro pallii aut tapeto coopertum Senefcallus præpa-„ rabit, ibique Comes quousque fercula veniant, fede-„ bit. Cum vero primum venerit ferculum comes fe „ defibulans e fcamno furget, & de manu Senefcalli fer-„ culum accipiens, ante Regem & Reginam adponet, & „ Senefcallo præcipiet, vt exinde per menfas feruiat; & „ Comes retro fedebit, donec alia veniant fercula, & „ quemadmodum fuper primo fecit, fimiliter faciet de „ aliis. Finita demum celebratione menfarum, comes „ equum adfcendet & ad fuum redibit hofpitium, Sene-„ fcallo comitante. Deinceps equus ille, quem Comes „ adduxerit in Curiam, dextrarius videlicet, coquo re-„ gis feudaliter dabitur. Pallium, quo in curia affibu-„ latus erat, difpenfatori dabitur, fcilicet poft prandia. „ Tunc panetarius mittet Comiti duos panes, atque vini „ fextarium & coquus fruftum carnis & vini hauftum. „ Hæc eft enim liberatio Senefcalli illo die. Hæc fercula „

"accipiet Senescallus comitis & dabit leprosis. Insuper
"cum Comes in exercitu Regis perrexerit, Senescallus
"Franciæ papilionem, centum militum capacem, ei
"præparabit,&sommarium ad illum portandum &chor-
"das & paxillos, & hominem equitantem ad conducen-
"dum, & duos homines pedites. Finito exercitu, Co-
"mes, vbi voluerit, Senescallo reddet papilionem: si
"non reddidit, non ideo minus in alio exercitu papilio-
"nem habebit. Comes cum in exercitu Regis fuerit,
"vel ierit, protutelam faciet ei, in reditu retutelam, &
"quidquid ei acciderit, siue bonum, siue malum ore
"Domini Regis inde non vituperabitur. Ego Hugo de
"Cleeriis vidi hæc seruitia reddere comiti Fulconi,Regi
"Hierusalem, in duobus exercitibus Aluerniæ, & in
"vno coronamento Bituri, &c.

Non modica, nec protrita, hac descriptione continentur, vtut asperior sit dictio & inficeta; quare non indigna videbantur, quæ proferrentur heic vberiora, vel in eorum gratiam, qui harum litterarum studio solent excitari. Publicum insuper præclaræque fidei testimonium hoc est, de Dapiferatu, munere solenni, quod in regni curia solebat tantum sustineri. Quod autem Palatii Comiti primum, deinceps loco illius Senescallo fuerit proprium, & ad hæc ad certam familiam, antiquitate prosapiæ, virtute ac rerum gestarum gloria illustrem, vel ante Ottonis Magni tempora fuerit delatum, non obscure arguit origines dignitatis excelsæ in nostro quoque Imperio adhuc vsitatæ. Substitutorum pariter, siue Subofficialium, quales in sacris & coronationibus Imperatorum consueuerunt Electoribus ministrare,

ſtrare, vetuſtatem agnoſcas inde ſimul ac donationum morem, qui apud nos demum, a Carolo IV, lege publica fuit ſtabilitus. Pertinere viſum eſt ad regiæ Maieſtatis gloriam, non domeſticis & quotidianis vti miniſtris, verum ad ſolennia ſacrorum & inaugurationum ſplendidius obeunda ſummorum adhibere virorum operam, quique opibus eſſent clariſſimi. Ante omnes autem Franciæ proceres, qui ſe non imperii tantum regii vinculo liberos, ſed dignitatis etiam, hereditario iure ad poſteros transmittendæ, compotes efficere conati ſunt, Andegauorum iſte Comes fuit, cuius multa in Francicis rebus memoria habetur. *Aur. B. tit. XX.*

Quando tamen Maioratus adhuc mentio fit, quem ſub prima Franciæ regum familia deſiiſſe diximus, omnino debet notari, hanc dignitatem prorſus aliam eſſe a priore Maiorum domus honore ac munere. *Ætate* Hugonis Capeti *Maior* tantum militare deſignat miniſterium, ac ſæpe ſtylo illius æui exprimitur per *Maiorem Regni* vel etiam *Ducem Galliæ*, quod Io. Tilius ex inſtrumento Abbatiæ Dionyſianæ confirmat, vbi Capeti parens, Hugo Magnus, a Richardo, Normanniæ Duce, *Dux & Princeps Galliæ* ſalutatur, penes quem, velut Imperatorem, ſuprema poteſtas a rege in reliquos duces erat. Idem ex relatione H. de Cleeriis poteſt oſtendi, quando *Maior* in exercitu Regis *protutelam* ac *retutelam* per Franciam facere, ſiue itum tutum reditumque præſtare tenetur. Et hanc in rem facit, quod *Maior* circa hæc tempora *magnus tutor*, itemque magnus defenſor regni a quibusdam dictus ſit. In noſtro imperio recepta loquendi conſuetudine *Conductor* audiret, cui *De Ducibus & Com. l.c. p. 154.*

maxime incumbit, ſecuritatem præſtare publicam, ac rerum neceſſariarum facultatem copiamque parare. Inter Bohemiæ ſcriptores antiquiſſimus, Cosmas Pragenſis, Comitem quendam Palatinum, Henrici III Imp. ætate illuſtrem, deſcribit, non tamen qui genus aut vnde domo, quod Wratislai, Bohemiæ Ducis, miſſis Romam legatis præſto fuerit, ac ſub conductu ſuo ſoſpites at intemeratos in patriam reſtituerit. Tantæ enim, porro ſcribit, poteſtatis hic erat Comes, quod vsque Romam per continuata loca proprias villas ſeu prædia, & per caſtella milites ſibi deuotos haberet; quique hinc ex Wratislai Ducis beneficio CL marcas argenti quotannis acciperet. Non dubito, quin ex Italiæ Palatinis fuerit, quos Imperatores tanquam conductores ſuos, & publicæ ſecuritatis per Italiam cuſtodes, ordinauerant. Simile dignitatis genus Caſtrucio Caſtracani, Vicario per Tuſciam, ex indulgentia Ludouici Bauari obtigiſſe, inferius videbimus.

lib. II Hiſt. Bob. p. 38.

Nic. Machiauell. in ejus vita. p. m. 17.

Notabile cum primis eſt, quod, ſi comes Andegauorum, ceu Seneſcallus, in Francia degeret ac iudicium faceret, aut ſententiam in cauſſis ad ſe delatis diceret, illa firma rataque obtinuerit non aliter ac ſi rex ipſe, cuius auctoritate iudicabat, pronunciaſſet. Si vero comite hoc abſente lis orta fuiſſet maior, nec adeo certo finiri iudicio poſſet in Francia, Rex Andegauorum Comitis, veluti Seneſcalli totius regni, operam requirebat, inque palatium vocabat, vt ſua prudentia moderaretur illi, ac diligentius cognita cauſſa ſententiam proferret. Arcanum iſtud videtur ſingulare, quo rex ipſe maieſtatem litigantium partibus nec obiicire, nec ſen-

ſententa in ſpeciem atrociore inuidiam accendere voluit, ſed alterius auctoritati, qua tuto niti atque litem æquisſime dirimere poterat, omnem iudicii actum commiſit. Vbi tamen Seneſcallus alia de cauſſa, ſiue negotio grauiori, ſiue dubia præpeditus valetudine, in palatium ipſe venire non poterat, acta partium ei transmiſſa fuerunt, vt in propria curia ſententiam ferret, quæ firma ſimiliter & valida, ac ſi ab ipſo rege prolata eſſet. Plura de hac dignitate, quomodo ſe vlterius in Francico habuerit Imperio, quibus ſubnixa iuribus, aut quibus obnoxia fuerit vicibus, non addam, quod hæc nimia cui videri queant.

Apud Anglos etiam hoc nomen illuſtre, & ingenti honorum dignatione cumulatum, quamvis ratio muneris a Franciæ Seneſcallo haut parum diuerſa fuerit. In hoc tamen ex aſſe conueniunt, quod non aliter ac Palatii comites in grauiſſimis cauſſis iudices dati ſemper fuerint. Sicut enim hic dignitatem, hereditario iure poſſidebat, & iurisdictione longe ampliore gaudebat: ita Seneſcallus Angliæ magiſtratus erat ſubitaneus, ac ſæpe in vnicum diem a Rege conſtitutus. Neque vni familiæ proprius erat ita, vt poſteri quoque, ſi occaſio dederit, quodam veluti iure vſurpare illum potuerint. Creatus autem ſemper fuit, cum e regni proceribus aliquis de noxa capitali in iudicium vocaretur. Sic magnus Angliæ Seneſcallus Comes Oxoniæ ab Henrico VII rege factus, cum infelix Warvvici Comes, Edvvardus Plantageniſta, primogenitus Ducis Clarentiæ, propter coniurationem, initam cum impuriſſimo nebulone Perkino ſeditiones in regno excitandi, & deponendi

nendi regem, in iudicium adduceretur, & atroci supplicio adficeretur. Fuit hic Edvvardus inclytæ stirpis vltimus, inde a temporibus Henrici II Regis Angliæ ingenti cum splendore ac gloria florentis, vti grauissimus testis Fr. Baconus de Verulamio hæc percenset. *Hist. Henr. VII. p. 323.* Tantum igitur interest inter Franciæ Senescallum & Angliæ, quod ille muneris perpetuo capax & heres, iste in certum modo tempus ejus particeps fiat, neque de grauioribus caussis omnibus, prouocatione, quam vocant, extrema ad se delatis iudicet, verum de capitali tantum, ac in primis læsæ maiestatis crimine, a Pari vel Comite, vel Duce, commisso. Quæritur de Parium iudicio, an sit exercendum ita, ne minor vnqnam fiat iudex maioris, aut saltem detur suffragium minori in iudicio maioris? Et referri sane meretur exemplum istud ad iudicium pariatus, quo Senescallus Comes de Comite vel Duce, ipse dignitate auctoritateque par sententiam ferebat. Verum posse a summa potestate constitui etiam minorem, qui maioris existat iudex, ambigi non debet, maxime si status Reipublicæ certis haud alligatus est formulis, quæ tale iudicium inhibeant. Sed longius digredior.

Germanorum Palantiæ, iudicia Palatina. Ius præfecti Comites, vt ius redderent, initio post Duces erant. Factis Imperii dignitatibus hereditariis, quomodo se habuerint? Palatinatus Boioariæ, Ca-

rinthiæ, Burgundiæ, ad Rhenum, Sueuiæ, Franconiæ, Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, Phireti, Kiburgi, Namurci, Rossilionis, Ceritaniæ, Zutphaniæ, &c.

A Francis denique, penes quos Palatii Comites desiisse sub Hugone Capeto diximus, ad Germanos transeundum. qui sicut hoc nominis iam sub Francorum imperio habuisse videntur, in locis nempe iudiciorum, a Carolo M. institutorum, ita dignitatem ejus semper retinuerunt. Nota est ex rerum monumentis antiquissima regni Germanici diuisio in Franconiam, Saxoniam, Boioariam Sueuiamque, in quarum singulis Imperatores sua habebant dicasteria, dignitatibus iam factis hereditariis, vernaculo sermone *Palzen*, itemque *Palanzen*, *Palantiæ* siue *Pfalzen*, a *Palatio* * pariter dicta, vbi Comites Imperii, siue Iudices, nomine Cæsaris ius reddebant, & non ciuitatibus modo, in quibus a summa potestate

* Palantias & Palatinos *Marcus Zuer. Boxhornius* in Historia Vniuersali, *ad an. DCCCCLXXXIV, vbi de Electorum origine pauca habet, a* Pfael, *siue vt Belgæ loquuntur,* Pael, Pal, *limite vel termino deducit, & illos, qui a Palatio dictos existimant Palatinos, in origine nominis haud dubie hallucinari vult. Sed hoc dandum est ingenio doctissimi viri, quo & iam in Originibus Gallicis innotuit, vbi studio linguæ Celticæ plura eleganter, sed ex incerta vocis origine promit. Quin hoc ipsum historia adversatur, vnde nunquam demonstrabitur,* Palatinos *fuisse* Comites limitaneos.

testate fora iuridica constituta erant, sed ipsis quoque Comitibus, siue Grauionibus, tot sæculis iam celebratum nomen *Palatinorum* indiderunt. Temporibus paullo antiquioribus alia hujus diuisionis ratio fuit, cum Franciæ loco positam a scriptoribus, & ipsa adeo celebri illa Fecialium quadrimembri Romani Imperii partitione, cuius hinc ætas incerta simul & auctoritas, * Lotharingiam legamus. Verum Francia Orientalis cum Lotharingiæ Ducatu fere coniungitur iam Otthonis M. ætate, & Conradum Sapientem, Franciæ Orientalis ac Lotharingiæ Ducem, a Witichindo, Dietmaro, aliisque designari, perquam vulgare est. Quin diuisionem supra proditam Imperatorum Saxonicorum ætate receptam, ac postea retentam fuisse, ostenduut Specula Saxonici pariter Sueuicique Iuris, quorum primordia circa confinia sæculi duodecimi, ac tertii Conringius retulit.

De Orig. Jur. Germ. c. XXX.

Neque tamen pari modo hæc Palatinorum Comitiua se habuit vbiuis, cum ab initio fuerit in Germania post Ducum dignitatem, mox vero cum ipso Ducatu coniuncta fuerit, vt postea docebimus. Munus eorum fere consistebat in iure reddendo, vt quondam Præfectorum Prætorio, quos & nomine tenus referunt, cum Prætorium pro Palatio sæpius acceptum legatur, & siue Comi-

* *Plerique initia eius ad Ottonem III, alii ad Carolum IV referunt. Ante postremum obtinuisse, patet. vide Apologiam* der Reichsvogteien. *cap. 18. p. 532. seqq. vbi, quamuis habeatur sine* αὐθεντίᾳ, *ab asperiore tamen quorundam sententia vindicatur.*

Comitem siue Præfectum Palatio, Prætoriove dicam, parum differat. Non tamen suo nutu cuncta peragebant sed ex adsessorum suffragiis & æquis sententiis pendebant. Respexit huc insignis doctrinæ probæque fidei vir, Nicolaus Cusanus, qui de prudenti Imperatorum ordinatione circa iudicia Palatina hæc tradit: Multis „ eiusmodi perquam sanis ordinationibus circum- „ spectissimi Imperatores pro conseruatione reipublicæ „ & Imperii sunt vsi, tam in ordinandis iudiciis Scabi- „ norum, qui dictatores existunt sententiarum, & ad hoc „ ex popularibus cum iuramento recte secundum con- „ scientiam & rationem iudicandi assumuntur, *ne in po- „ testate præsidentis esset ad nutum subiectos punire iuxta „ motum animi sui*, quam etiam in cunctis aliis negotia- „ tionibus, & teloniis, vbi singula tenebant ad publicam „ vtilitatem. Horum Iudiciorum *Comites Palatini* nominantur in Reformatione Theodorici Archiepiscopi Coloniensis, quam iussu Imperatoris Sigismundi Arnspergæ de Iudicio Westphalico in præsentia multorum Comitum, Baronum, Equitum, Iustitiariorum, Comitum Palatinorum & liberorum Scabinorum constituisse, ordinasse ac sanciuisse legitur. Iidem *Comites Palatini Judicii vetiti* non obscure signantur in Reformatione Friderici III, Francofurti facta, per *occultos iudices* & a liberis Scabinis curate discernuntur. Repetiit idem Friderici genitoris sui capitulum Maximilianus I, & quæ præterea ex vsu Reipub. videbantur, addidit Wormatiæ in Comitiis Anno MCCCCXCV. Vnicum hoc iudicium ex antiquis Germaniæ moribus superest, cuius primordia frustra vel ad Carolum M, vel ad Friderum III

III de Concor. Cathol. c. 28.

Goldast. t. 2. Const. Imp. ad an. 1495. conf. Recess. Imp. Mogunt. edit. an. eod.

referuntur, qui non iudicium ipsum, sed humaniorem iudicandi modum instituerunt.

Nec incognita esse possunt, quæ de Comitibus Palatinis tempore Saxonicorum Imperatorum & postea, Io. Auentinus, pluribus officii partibus adsignatis tradit: "Comites Palatini vicem Cæsaris præsidendo senatui principali fungebantur. Fidem Imperatoris implorantibus aderant, iusque reddebant, fiscum Augusti, prædia Salica, reditus regios procurabant, Cæsareum censum exigebant. Nihil citra eorum auctoritatem Ducibus aut decernere, aut statuere licebat. Patet non vna ratione, hosce Comites plurimum differre a Comitibus Palatii, quales in Francorum imperio modo vidimus. In illo iuris custodia præsertim fuit demandata Comitibus Palatii: heic Palatinum præter iurisdictionem etiam fiscum curasse regium, & quæ redibant aliunde, diserte legitur.

IV. Ann. Boic. p. m. 297.

Antiquam de officio comitis Palatini ordinationem inter imperiales Constitutiones Melchior Goldastus exhibet. Sed vndenam acceperit illam, aut cuius Imperatoris vel publici conuentus auctoritate nitatur, plane reticet, vt adeo fides eius in promiscuo sit habenda. Temporibus interregni tricennalis, quo nihil poterat euenire Imperio Germanico magis exitiabile, infert, & pleraque ex vetusta Francici Imperii formula, qualis erat sub primordiis Capetingorum, miscet. Comes ibi Palatinus ex officii dignitate primam in electione vocem habere dicitur, tutor regis investis, Comitiorum auctor ac præses, supremus in bello Capitaneus, motuum in Imperio turbarumque compositor, controversiarum

Tom. III. p. 403.

ſiarum inter imperium & regem moderator, regis tam ſimplicis quam negligentis cuſtos, bonorum imperii alienatorum vindex, omnium ſine prætextu iurium poſſeſſionariorum aut actuum potentionariorum iudex, denique vacante imperio vel rege abſente perpetuus vicarius, ampliſſimo iure ſalutatur. quæ ſingula ſicut æui, ita & moris legisve ſunt ſequioris. A prima enim inſtitutione huius muneris, & magiſtratus Cæſarei, per Germaniam, conſtat ei certas quasdam fuiſſe terras attributas, modicas tamen, vt illorum temporum frugalitate conſueuerat, quibus ſuſtentaretur & officium pro dignitate adminiſtraretur.

Cum vero deinceps Palatii comitiua non amplius ad tempus concederetur, aut ex principis arbitratu reuocaretur, ſed nexu feudali proceribus Imperii collata in axiomatis tam excelſi faſtigium eueheretur, fieri non potuit aliter quin opibus principum cum libertate auctis Palatinatus inter ſummas Imperii dignitates exſplendeſceret. Ac mira certe temporibus illis rerum in Germania facies erat, dum omnes, qui officiorum ac magiſtratuum prærogatiua eminebant, eorum nomina in proprii iuris poteſtatem, ac poſſeſſionem hereditariam vertere cœperunt, ditiones amplas vel exemtionibus, vel bello aliisque titulis adquiſiuerunt; ſecuti exemplum procerum in Imperio Francico, qui Caroli Simplicis ſiue negligentia, ſiue indulgentia, quod ei nec virium ſatis nec induſtriæ foret ad regiæ dignitatis iura priſtinamque amplitudinem adſerendam, ditiones, præfecturas, quas hactenus obtinuerant, aut etiam vi ſuperiorum temporum occupauerant, non retinere ſolum, ſed tanquam proprium

priuatumque dominium possidere, & sic ad posteros transferre statuerunt. Conditio temporum, quibus turbida & occidua videbantur omnia, non parum iuuabat interritos audacia sua; potentia & opes quibus hunc in diem inualuerant, summæ potestati formidabiles erant. Factum est inde, vt, quæ posthac dignitates eis deferebantur, iuris fere perpetui & hereditarii essent, ac in seros vsque nepotes descenderent. Ne tamen sine omni vinculo essent principes, aut libertate iam concessa ac iuribus, supremæ dignitatis æmulis, abuterentur, inque subiectos superbi & crudeles existerent, prudenti Imperatoris consilio iungebantur iis Comites Palatini, qui ius ex præscripta formula ac potestate Cæsaris legislatoria dicebant. Sed neque hæc in Ducatibus ratio iudicandi fuit diuturna, cum vel clementia Imperatorum, vel rebus Imperii non aliter ferentibus, Palatinatus mox fuerint in ipsos Principes deuoluti, & hactenus etiam temporaria dignitas in perpetuam sit conuersa.

Cum lætissimis Otthonis, e rebus gestis vere Magni, auspiciis imperium administrari cœpisset, inter præcipuas Heroicæ virtutis operas erat, pacis imponere morem parcere subiectis, & debellare superbos. Vngarorum tunc gens Imperio nunquam satis fida, aut amica, variis in Germaniam factis incursionibus maius belli periculum intentabat. Sed Ottho prius intestinos sedare motus e re putabat, quos Arnulfi Bauariæ Ducis filii suscitauerant, quam in externum hostem proficisceretur. Eos autem nimia turgentes audacia superbiaque facile deuicit, ac dignitatem *Boioariæ Palatinatus*,

quam

quam ab Imperatore habebant, magno rerum suarum incremento, iis abrogans in fratres Arnulfum & Hermannum cum Landgrauiatu transtulit, qui posteris suis Scyrensibus, ab inclyto castello sic dictis, reliquerunt vsque ad Otthonem Wittelspachium, a quo peruenit ad Ortenburgicos. Ita quidem descripsit Io. Auentinus a), multis præclaræ fidei documentis ad ea peruestiganda instructus. Paullo aliter hæc exhibet Mel. Goldastus insigni opere, *de Regno Bohemiæ*, b) quem huc forte adduxit doctissimus vir, ac de patriæ rebus cum primis bonum nomen meritus, Nic Cisnerus, c) *in vita Friderici II.*

a) IV Annal. Boic. p. 310. & V. p. 372.
b) lib. IV c. 10. p. 501.
c) p. m. 143.

Sub imperio quoque Saxonum celebres fuerunt comites Goriciæ, siue, vt Lazius voluit Noriciæ, a veteri Norea, litteris primordialibus Slauicæ pronuntiationis vitio commutatis. qui potentia meritisque in Imperium digni videbantur, vt *Palatini Carinthiæ* constituerentur. Et sane Otthonis M. æuo ingens huic familiæ gloria, cui tantum Imperator honorem habuit, vt ei Luitgardim, vnicam filiam, per matrimonium Cuononis, Meraniæ Ducis, ex virtute ac rebus gestis clarissimi, copularet. Erant autem Göriciæ comites veluti caput & communis stipes, vnde Meraniæ Duces atque Tyrolenses comites propagati. Tho. Reinesius, sæculi huius & doctorum virorum ornamentum, quod in Matricula, cura Friderici III Imperatoris facta, Meraniæ Ducem legeret, eius origenes antiquitate prope abolitas, aut falso traditas, maiori cum industria scrutatus ab iisdem Carinthiæ Palatinis repetiit; cuius eruditissimam sententiam ac aliorum communem Io. Conr. Dieterichius in Otthone M. proposuit, quæque videbantur intricatiora studiose discussit.

XII de Rep. Rom. Sect. VI. c. II.
II Variar. c. XVI.
p. 7. seqq.

De Duce Meraniæ, Iſtriæ pariter & Dalmatiæ, incerti ſunt ſcriptores an in Franconia, ſiue vt Phil. Melanchthon in diſſertatiuncula de S. Eliſabetha, manu exarata, definit, in tractu illo Variſcorum **am Böhmer Waldt und Frankenland**/ qui tempore Friderici Barbaroſſæ *Ducatus Meran* adhuc ſit adpellatus, poſſeſſiones vnquam habuerit. Vix ambigerem propter luculenta tot aliorum teſtimonia, quæ Ducem hunc ampliſſimarum ditionum Dominum per ſucceſſiones & affinitates, itemque donationes Imperatorum, effectum eſſe demonſtrant. Quas vero terras in tractu Variſcorum & Franconiæ habebat vltimus Meraniæ Dux, Otto, Plaſſenburgi anno MCCXLIIX inſidiis interfectus, ad eius adfinem, Fridericum II, Noribergenſem Burggravium, qui Eliſabetham, ſororem Ottonis matrimonio ſecum iunxerat, fuerunt deuolutæ. De prima ſede, & vndenam Duces Meraniæ vocentur, cum primis diſquiritur; vbi, quod ad noſtrum diſſerendi modum parum faciat, itidem breuiores erimus. Proximum eſſe vero videtur ſic dictos ab oppido non ignobili, Meran, ad Atheſin ſito, cum reliquo tractu ad Sacratiſſimi Imperatoris ditiones hereditarias hodie pertinens. *Lazius l. c.*

Notabile habetur, ex eadem Göricenſium domo Othonem I, Berchtoldi II filium, felicitate matrimonii, in quod comitiſſam Amertallenſem duxerat, ſucceſſione bonisque lætum, monaſterium Lankheimenſe in Franconia noſtra excitaſſe primum & multis opibus exornaſſe. *Laz. l. c. p. 1025. Reineſ. l. c.* Idem in matrimonio quoque habuit Beatricem, filiam Ottonis Biguntini & Burgundiæ Comitis, Friderici I Imperatoris ex Beatrice Burgunda filii, vnde Otto II,

Mera-

Meraniæ Dux prognatus. qui ratione matris *Palatinum Burgundiæ* se scripsit, & Alsam sororem Comiti Chalonensi collocauit, a qua posteriores Burgundiæ Comites processerunt, qui affinitate iuncti Barbantinis Comitatum his quoq; cum Palatina dignitate fato iam omnes functi reliquerunt. Henricus, siue Hezilo, * Ottonis II Imp. frater patruelis, quem primo nominare loco debuissem, *Bauariæ Palatinus*, itidem *Carnorum* secundum nonnullos, Henrici II Imp. beneficio factus esse legitur. Henricus iste Comes, Hermanni Palatini filius, insuper habita propinquitate, qua regiæ stirpi coniungebatur, Ottonis III sororem Mathildin accepit in in matrimonium, quod, auctore Dithmaro, multis displicuit. *lib. IV. p. 47.* Cum vero legaliter emendari non posset, ,, tulit hoc Otto patienter, dans Ezelino quamplurima, ,, ne vilesceret innata sibi a summis parentibus gloria. ,, Idem Hezilo Palatinus, in regio Ottonis III conuiuio, Quedlinburgi Paschalibus feriis, Pincernæ munere fun-

* *Multi hanc vocem esse cognomentum volunt, &* Henricum Hezilonem *coniunctim scribunt. Sed præter morem illorum temporum, quibus fere inualuit, Germanica nomina miris producere modis, atque contrahere. Sic idem Henricus non tantum Hezilo, sed* Ezo *quoque &* Ezelinus *dicitur. Simili ratione apud veteres Germaniæ Scriptores passim legitur* Gezo, *siue* Giso, *item* Gozelinus, *pro* Godefridus, *vel quod alii volunt* Giselbertus *aut* Gilbertus, Berno *pro* Bernardus, Benno *pro* Benedictus, Bucco *pro* Burkardus, Eppo *siue* Euke *pro* Eberardo, *&c.*

functus, vti Conradus Dux Fanconiæ Camerarii, Dux Bauariæ Henricus Dapiferi, Bernardus Saxo Mareſchalli, notante eodem Dithmaro.

l.c.1.36.

l.c.p. 1024. Lazius ait, Henricum II Imperatorem, Slauorum domitorem, oppidum illi Salfeldam in Thüringia donaſſe, vbi quoque filia eius Rihicza, Meſconis, Poloniæ Ducis coniux, ſepulta ſit. Martinus Cromerus, & ex hoc auctor Salfeldographiæ, hactenus ineditæ, ita rem

lib. II. cap. vlt. & III. cap. 1.

,, proponunt: Caſtrum Sorabicum circa ann. DCCXC
,, Slauorum ſiue Henetorum Rex Dragouitus, circa an-
,, num vero MXXXIV ac ſequentes aliquot Rixa, Eren-
,, fridi Palatini Rheni filia, Miccislai Polonorum Regis
,, coniux, poſſedere. Sed in his, præter Ditmari fidem & Wipponis presbyteri, nihil temere admittendum exiſtimo. Plures Hezilonem *Rheni Palatinum* denominant, quibus tamen Adelboldus, Epiſcopus Traiectenſis, Henrico Sancto Imp. a conſiliis, verus horum temporum teſtis, contradicit. Alii Franconiæ Palatinum fuiſſe volunt; in quorum opinione Goldaſtus nihil deſiderat, ſi comitatus, Vohburgenſis & Cambienſis, quorum partes Egra & Elenbogium fuere, Franconiæ adnumerentur; quem in libro *de Regno Bohemiæ*, omnium ſuorum operum hauddubie præſtantiſſimo, conſule, vbi has ditiones Hezilonem poſſediſſe, egregia documentorum fide oſtendit. Chriſtophorus etiam Gevvoldus in *Epiſtola Monitoria* ad Marcum Freherum inter alia, quæ ſua nituntur vi, ex antiquioribus docet, olim publico ſcribendi genere inualuiſſe, vt Bauariæ Duces adpellarentur quoque *Franconiæ Comites*. Nobilis eſt Boioariæ diuiſio reſpectu Danubii, in *Nortgoiam* ſiue contractius *Norcam*, & *Su-*

lib. II. c. 4. p. 132.

p. m. 483.

der-

dergoiam, quarum illa, definitore M. Velſero, antiquiſ- *III Rer.*
ſima poſt Boiohemum ſedes, olim Francis contributa, *Boic. p. 165.*
ac ſubiecta, & Palatinatus duplici argumento dicta, *ſeqq.*
quod Aquiloni obuerſa, qui Germanis Nortus eſt, quodque ſub Palatinis Boiis principibus, poſtea exorta dignitatis ſpecie, habita; hæc, a Danubio ad Italiam quondam plagam extendens, nomine ſuo obſoleuit. Et a Nortgoia, quæ Francis terra finitima, & quondam ſubdita, *Comites Franconiæ Palatinos* audiiſſe antiquos Boioariæ Duces, vero ſimile admodum videtur.

Ex vetuſtis hiſce moribus, & dignitatibus in publico receptis, cumque poſteris in varia capita diuiſis, manaſſe arbitror, quidquid Palatini cognomenti ſuis inſeruere titulis glorioſiſſimi Imperatores, e domo Auſtriaca. Maximilianus I, in conſtitutione contra blaſphemos, Wormatiæ anno MCCCCXCV edita, *Palatinus* *Goldaſt. To.*
comes Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, Namurtii, & Zut- *II Conſt.*
phaniæ dictus. Eoſdem adhibet titulos in *Reformatione* *Imp. ad An.*
liberorum Scabinorum iudicii vetiti in Weſtualia. Caro- *1495.*
lus vero V ampliori huius dignitatis honore ſe *Comitem Palatinum Hannoniæ, Holandiæ, Selandiæ, Phireti, Kiburgi, Namurci, Roſſilionis, Ceritaniæ, & Zutphaniæ* pragmatico ſtylo efferri voluit, in edicto, *vt fratrum ſororumque li-* *Idem l.c. ad*
beri cum patruo vel auunculo, in defuncti patrui vel auun- *an. 1521.*
culi hereditatem in ſtirpes ſuccedant. Nempe diuiſis herediis atque maiorum ditionibus, dignitatis ac publici muneris nomina manent, & a prima ſede in alias terras quacunque ratione adquiſitas tranſeunt, vtut ſæpius nec veſtigium in iis noſtri amplius iuris habeatur. Sic qui primum *Carinthiæ Palatini* vocabantur, ſtirpe in tot

ramos deinceps explicata, *Bauaricos, Sueuicos, Crainbürgenses, Scyrenses, Wittelspachios, Ortenbergicos*, forte *Tybingenses*, &, quos ante diximus, *Palatinos* ediderunt, dignitate hac in tantum aucta, vt omnium pæne votis in tituli honorem adsumeretur.

De Rudolpho, Bauariæ Duce Palatinoque ad Rhenum, Ludouici filio, qui imperialis officii ratione ad Rhenum etiam habitabat, ab excessu Rudolphi Habspurgici Imp. vicarius Imperii, ex illorum temporum monumentis refert Jo. Auentinus, siue Abusiensis, ita rectius a patria sua dicendus; quod in bello contra Augustanos ejus agnati, Otto, Stephanus, atque Ludouicus, inferioris Bauariæ Duces, ab eo defecerint, postulantes, vt titulo *Bauariæ Ducis* abstineret, soloque *Palatini ad Rhenum* contentus adquiesceret. Sed Ludouicus, parens Rudolphi, auctoritate pariter & opibus in Imperio potens, hac de re a filio certior factus Monachium venit & agnatis ad postulata respondit, ditiones quidem esse diuisas, non autem dignitates ac publica munera, ideoque se *Bauariæ Ducis & Palatini ad Rhenum* titulo honoribusque posthac etiam vsurum. An Palatini ad Rhenum antiquiores Bauariæ haberi debeant, aut forte cum illis exorti sint, inter doctissimos viros aliquando disceptabatur. Certum est, & vntrinque concessum, circa annum MCCXX per matrimonium Ottonis, Ludouici Bauariæ Ducis filii cum Agnete, Henrici vltimi Palatini ad Rhenum filia, Palatinatum Rhenensem cum Bauariæ Ducatu coaluisse. Et iam Friderici Barbarossæ ætate, *Conradum* quendam, *Palatinum ad Rhenum*, castrum Staleccense incoluisse, dignitate & potentia illustrem, credi

lib. VII de fam. Scyr. p. 382. edit. Cisn.

Gewoldus annum habet MCCXV, *de Septemv. cap. X.*

par

par est. Quod autem Güntheri, monachi Elnonensis, Belgæ, * auctoritas, qua circa eandem tempestatem Hermannus,

—— Sacræ comes inclytus aulæ,

Cuius erat tumido tellus circumflua Rheno,

adseritur, a Gevvoldo non vno loco tentatur, minuiturve, historiæ legi adversatur. Sed quare hæc vberius persequar? Exstant contraria scripta magnorum hominum, & doctrina, & perspicacitate de veterum rebus iudicandi, Marqu. Freheri, & Christoph. Gevvoldi, qui sapienti disceptatione, citra obtrectationem omnia fere, præter fidem nihil admittere sunt conati; vnde omnis de Palatinis ad Rhenum, deque iis, qui eundem in Bauaria honorem gessere, controuersia per multa rerum argumenta deducitur. Juxta hæc non sine argumenti hujus insigni notitia legentur, quæ pro caussa Palatina

* *Ita Güntherum Poetam cognominaui, auctoritate Bern. a Mallinkrot,* de Archicancellariis S. Romani Imperii, *in Othone IV. Jac. Gretserus,* Tom. III de Cruce, lib. I, 27 *eum Berisiensem monachum ordinis Cystertiensis in Alsatia adpellat & cum Gunthero, scriptore captæ Constantinopoleos a Flandris & Venetis, eundem statuit, quod professio, ætas, stylus, & alia tam exacte conueniant. Editus est inter alios antea incognitos ab H. Canisio, Tomo V* antiquarum Lectionum. *Freherus* Not. in Andl. p. 134. *inter scriptores, qui Constantinopoleos post Niceæ & Trapezuntii imperium euersum, lamentabilem obsidionem & excidium descripserunt, refert librum singularem* Ligurini, *per quem hauddubie Guntherum, Ligurini belli a Friderico I gesti, auctorem intelligit,*

poſt ea ſunt vulgata, quæque pro Gevvoldo Nicolaus Burgundus vtcunque egit.

Saxonici Palatinatus antiquiſſima habetur memoria in Comitibus Goſeccenſibus; a quibus ad alios peruenit, Comites Somerſenburgenſes, Henricum Leonem, Saxoniæ Bauariæque Ducem, Landgrauios Thüringiæ, ac tandem ad Marchiones Miſniæ.

Succeſſu temporum demonſtratur, & ex antiqua Imperii Germanici diuiſione in duos ſupremos Palatinatus ſiue iudicia, ſummæ poteſtatis vicaria, Sueuiæ Saxoniæque, vltro patet, illum ſuperiorem tenuiſſe locum, Comitem nempe Palatinum ad Rhenum, cui de communi aliorum conſenſu reliqui Palatini Bauariæ iuxta Franconiæque fuere connexi. Qui Germanicæ antiquitatis in primis peritus, & illuſtre hinc nomen adeptus eſt, Melchior Goldaſtus, *in Præfatione Conſtitutionum Imper.* partito rem conſignat & ſic deſcribit. Iſt zu wiſſen/daß das Römiſche Reich von den Teutſchen Käyſern in zwey Haupt-Reich abgetheilet worden/ in das Italieniſche und Germaniſche. Das Germaniſche ward wiederum in drey Reich geſondert/ das Teutſche/ Wälliſche und Windiſche. Hernach dieſe unter zwey hohe Pfallentzen partirt/ Sachſen und Schwaben. Zu Schwaben/das auch Francken

wird

wird genant/ waren die Wällische/ das ist Gaulische Stände gezogen/ dadurch Niederland/ Lothringen/ Burgund/ und das Arelatische Reich; zu Sachsen die Windische/ oder Slavische/ dadurch Böheim/ Mehren/ Slesien/ Polen/ Littau/ Liefland und Preussen ward verstanden. Quamdiu itaque hæc bimembris Imperii durauit diuiſio, iura etiam ſuprema vel a Saxoniæ Palatino, vel Rhenenſi petebantur, tanquam iis, qui cuiuslibet cauſſam ad ſe delatam auctoritate Cæſarea, ac ſecundum antiqua gentis ſuæ iura cognoſcerent atque expedirent. In primis poſt Fridericorum Auguſtorum tempora ingens hinc in Imperium emolumentum redundabat. quod Itali, iuris doctores magno tunc agmine in Germaniam ſe effundentes, & publica in aulis Imperatorum munera ambientes, non vna ratione infirmarunt. Poſtremo cum propter continuos finium lites facilius dirimendas, & alia iura inter principes controuerſa minuenda, Maximiliani I Imper. prudentia hæc Imperii diuiſio augeretur, & Germania primum in ſex partes, quas adpellant Circulos, mox in decem diſpeſceretur, ac præterea norma iudicandi maximam partem ad ius Iuſtinianeum exigeretur, inſtituto ſummo tribunali Spiræ, Specula illa Sueuiæ Saxoniæque in iudiciis adhiberi deſiere; niſi quod in Saxonia, moris antiqui retinentiſſima, Juſtiniani Corpus legum ſerius receptum, aut legibus Saxonum patriis varie temperatum fuerit. Jura inſuper particularia, ſtatuta & vetuſtas conſuetudines Helueticorum, Griſonum, Valleſiorum, Rhætorum, Allobrogum, Burgundionū & maxime Sueuorum, e Speculo Sueuico, tanquam fonte corrivari debere, perquam vulgatæ eſt notitiæ.

Antequam ad alios Palatinatus perueniamus, ipſum *Saxoniæ Palatinatum*, quoad licuerit, ex origine ſua cognoſcendum dabimus. Jam ſupra docuimus, Imperatores Saxonicos, & ante illos, Francicos quoque per prouincias ordinaſſe *iudices palatinos*, qui ſuo loco ac nomine iuſtitiam adminiſtrauerint, cauſſas fiſcales, patrimoniales, aut alia quacunque ratione ad Imperatoris ærarium pertinentes, * egerint. Cum vero, ceu quondam poteſtates Romanorum prouinciales, in palatiis habitarent, & mallos ibi ordinarios, ſiue iudicia inſtituerent, inde nomen hæſit *Comitum Palatinorum, Vicedominorum, Vicariorum*, ita diuerſis temporibus cognominatorum. quales & in Saxonia fuiſſe, nemo erit, qui refragetur. Fabricius quidem *in Originibus Saxonicis* lib. 1. ſcriptum reliquit, a Carolo M. *Albionem*, ſiue, vt productiore adpellandus eſt voce, *Adelwigum*, Edelhardi filium, primum in Saxonia *Comitem Palatinum* eſſe conſtitutum. Verum dubia res eſt ac perturbata, vbi non facile ſtatuere quidquam datur, niſi euidentiora habeamꝰ argumenta. Plures certe ad illam ſequiores ætatis potius

* *Ex his erant prædia, dicta regia, item ærarii publici vectigalia, æs militare, Cenſus viritim dari conſuetus, quem eius aui ſcriptores* regium ſubſidium, ſupplementum, *ac vernaculo ſermone* ſteuram, Kenigſteuram *adpellant. Eam* Lehmannus lib. II, 44 Chronici Spirenſis *indiſtincte ac promiſcue interpretatur* Königszoll. *Videtur hoc regium ſubſidium progreſſu temporis in Imperio per vocem* Reichssteuer *denotatum fuiſſe, ceu memorabile ejus exemplum habetur* in fundamentis von Reichsvogteien/ p. 67. litt. SS.

tius referent credulitatem, qua nihil omnino receptum, nisi cuius vel a primis Romæ initiis, vel a Cæsaris, Constantini aut Caroli M temporibus repetenda esset origo. Et quamuis non inficiari liceat, ab istis maximarum rerum censeri momenta; singula tamen in Republica ignorata auspicia tribuere illis, esset ex quadam gentium simplicitate consecrare origines, & poeticis Heroicorum temporum somniis indormire.

Fabricio consentit Petrus Albinus, de historia Saxonica præclarissime meritus, vtut eius plurima contexta & perfecta inter secretiora hactenus adseruentur, & dictum Albionem Bardevvici Christianorum sacris initiatum, *primum Saxoniæ Palatinum* a Carolo creatum, gloriaque rerum gestarum Wittekindo Magno haut inferiorem fuisse scribit. Sed cum nitatur stemmatum libro, antiquo sane annalium genere, non tamen ejusdem fidei, ac præterea Torneamentorum compilatione G. Rixneri, Heroldi Cæsarei, cui plurimum vbiuis tribuit, & sine discrimine admittit omnia; rem non accurate, vti debebat, persequitur. In eodem Torneamentorum libro Rixneriano duo *Saxoniæ Palatini* adhuc nominantur, *Arnoldus* & *Burkardus*: non autem, quo loco, qua stirpe sint oriundi, additur; vt adeo res maneat obscurissima, & sine errore non facile quid adferatur. Maiore certitudinis ac veritatis luce collustrantur, quæ de Palatinis tempore Saxonicorum Imperatorum proferuntur institutis, quorum antiquissima memoria seruatur in familia Comitum Goseccensium, ex linea Witikindea Wethinensi deriuanda; vbi, secundum Albinum, hæc dignitas annis centum triginta & amplius

De famil. Witik. in Progymnas. f. 104.

loc. cit. f. 105.

man-

mansit, ab anno nimirum MXLII vsque ad Lotharii Saxonis imperium, qui Palatinatus honore Dietericum, Dedonis Rochlicii filium, qui & ipse Comitatum Sommerseburgicum tenuit, dignatus est. Ex hac familia, in amplam diffusa propaginem, & dignitate iam fere hereditaria, prodiere plures isthoc titulo ac honore clari, *Palatini Brenenses, Schiplicenses, Orlamündani*, aliique. sed intricatior horum est historia, nec adeo patet, cuius Imperatoris auspiciis aut beneficio, quove temporis interuallo cœperint.

Luculenta alias res est, dignitates cohæsisse cum ditionibus, interdum etiam ad posteros velut heredes transiisse, non tamen ita, quin Imperator illas, vbi quid contra mores ac publicas euenisset leges, reuocare & in præmium aliis dare posset. Et quidem ex vetusta regni Germanici diuisione in quatuor prouincias, inter quas præcipua fere Saxonia fuit, & huius rursum in septem feuda regalia distributione constat, Palatinatum primas tulisse cum Ducatu, nec nisi summis principibus, & amore in Imperium inclytis concessum fuisse. Sic etiam videtur non hanc tantum vicariam Palatinorum dignitatem istis temporibus obtinuisse, verum & honorariam quandam, in aulis Imperatorum ab officii ratione adquisitam; quam tamen posteros in titulis, & nudis nominibus hærentem, fere aspernatos esse scimus. Nobilium familiæ plures e Baronibus etiam atque Comitibus, Druchsessiorum, Mareschallorum ac Schenkiorum aut aliis dignitatum nominibus celebres, non nisi hinc suæ gentis originem ducere possunt, certissimo argumento, prosatorem istud cognomentum in aula

Spec. Sax. lib.III, 62.

prin-

principis meruisse, eiusque memoriam posteris tradidisse.

De Goseccensibus, ita cognominatis a loco, Naumburgum inter ac Weissenfelsam prope Salam sito, Paulus Langius ex litteris & monumentis, ad quæ prouocat, inque primis Chronico monasterii Goseccensis, posteritati sequentia consecrauit: Henrici III Imp. tempestate effulsit Comes Fridericus fama ferente huius nominis primus, de nobilissima antiquorum Saxonum & Francorum prosapia ortus. Huius vxor Agna, procerum de Wimare filia, quæ genuit ei tres Albertum episcopum Bremensem, Dedonem & Fridericum Comites Palatinos Saxoniæ & Vdam filiam. Post obitum parentum Dedo & Fridericus, Deo fideles & deuoti, castro Gosek subuerso, templum eximium eius loco, erigentes, monachicam vitam Burghardi Halberstadensis episcopi consilio ibi instituerunt, Bennonem quendam religiosum virum in primum abbatem præficientes. Non aduersatur rationi temporum, si quis arbitretur, Fridericum hunc patrem, Henrici II Imp. rebus interfuisse gerendis. Sic enim Dithmarus de conuentu Henrici habito Merseburgi, deque singulari fide Esiconis comitis Merseburgensis, cui tum quoque vrbes Alstetum & Dornburgum cum adpertinentibus erant subditæ, refert, quod inter alios Duces ac Marchiones *Fridericus Comes Palatinus* comparuerit. Idemque hauddubie fuit Comes Palatinus, qui iussu Henrici, mouentis contra Hardvvigum, Italiæ turbonem, per bannum regalem interdixit commilitonibus fugam, ac strenue pugnantibus præmia pollicitus est, narrante

Chron. Citiz. p. 773. in Eppone VI Præs. Ciz.

lib. V. p. 55.

lib.VI p.61. it.VII p.90. Dithmaro, huius ætatis teſte veraciſſimo. In celebri eiusdem Imperatoris expeditione, contra Boleslaum Boemum, Burkardus quidam *Comes Palatinus*, atque mox nomine ſimplici tantum *Comes* adpellatur, cuius familia habetur ignota; niſi Bernhardus intelligatur, ac Burkardi loco ſcribi debeat, Eſiconis, Comitis Merſeburgenſis frater, cui propter virtutem & merita Imperator hunc ſeruauerit honorem, vt Palatinum in aula ſua conſtitueret, atque comitem ſibi perpetuum eſſe vellet.

Tale enim in Palatiis Imperatorum munus prudenti atque illuſtri viro datum fuiſſe, ad normam fere Palatii Francici, qui de cauſſis ad ſummum tribunal delatis iudicauerit, indubium eſt. De Franconiæ Duce, ad ann.938. ſeq. Eberhardo, conſtat ex Sigeberti Chronologia, quod *Palatii Comes* dicatur. qui idem in Conſecratione Ottonis I Imp. *Dapiferi* munere functus, vt Witichindus habet. Annal.2. Quæ ſi vndique ſibi conſtant, patet, officia hæc Palatina temporaria fuiſſe, & hinc minime ſimilitudinē eorum probari poſſe, qualia hodienum perdurant. Tentauit ſimile quid Lehmannus in Chronico Spirenſi, ſed ab huius In reb.Sæc. X.p.283. ſtudii cultiſſimo Doctore, Io. Henr. Bœclero erudite examinatus & confutatus eſt. Reformauit idem dignitatis genus, & ſuis deſcripſit limitibus Fridericus II Imp. conſtitutione, quæ manu exarata in Muſeo magnifici viri, Jo. Schilteri, Iurisconſulti, Conſiliarii Saxo Jenenſis, Patroni de me præclariſſime meriti, legitur, vnde hæc accepi: artic. von des Reichs Hofrichter. Wir ſetzen/daß des Reichs Hof hab einen Hofrichter/ der ein freyer Mann ſey/ der ſoll an dem Amt zum mynſten ein Jahr beleiben/ ob er ſich recht oder wohl behaltet/ der ſoll alle Tag zu Gericht ſitzen/

an

an dem Sontag/ und an die grossen Feyertag/ und soll auch allen Lewten richten/ die Jhm clagent/ und von allen Lewten/ an Fürsten und an andere Hochlewt/ wo es get an deren Leib/ an Recht/ oder ihre Ehre/ oder an ander Sach/ das wollen wir selb richten. Er sol nyemant zu acht tun/ noch aus der acht lassen/ denn das wollen wir selb tun und wollen niemand gestatten/ daß er sich damit überlade. Munefesta est ratio huius muneris, & diuersitas, cumprimis in illo, quod talis iudex Palatinus ad tempus, & annuum spatium datus, noster autem Palatinatus in certis ditionibus fundatus & hereditarius fuerit. Si cui mansisset iste titulus integer, non tamen propterea perpetuus erat, & in honoris ac muneris gesti memoriam per vitam saltem durabat.

Sed reuertendum ad *Comites Palatinos Goseccenses*; qui primi fuerunt omnium ab Imperatoribus Saxonicis, tanta dignitate in Saxonia honestati, vt exemplo aliorum magistratuum eam cum terris, vnde viuebant, proprio haberent iure, & felici vsurpatione posteris relinquerent. A Goseccensibus certissimum est, Palatinatum vel sanguinis propinquitate adquisitum, vel Cæsarum beneficio confirmatum, peruenisse quoque ad comites Somersenburgenses. Horum nomen & familia sub Ottonibus in Saxonia maxime clara, quippe Bervvardus Sumerseburgensis, vir in diuinis & humanis solertissimus, vt Lambertus Schafnaburgensis eum adpellat, in Ottonis III aula diu Cancellarii munere fungebatur, tandem pertæsus palatinæ dignitatis, moreque tunc solenni, vitæ reliquum Deo dicauit, & in Cathedra Hil-

ad an. 992. conf. Mallinkrot de Archicanc. p.m. 55.

desiensi tertium decimum inter Episcopos locum occupauit. In agnatum eius, Dietericum, vt supra vidimus ex Albino, beneficio Imperatoris Lotharii Comitiua hæc translata est, & in eius posteris ingenti familiæ Somersenburgensis honore perstitit. Sed fides habenda magis monacho Pegauiensi, qui Comitis Palatini de Somersenburg sub Henrico V meminit, cui sicut & aliis in Saxonia principibus, ob vectigal auare imperatum, nec solutum, Imperator dignitates abrogauerit, atque aliis placere sibi studentibus gratiose concesserit. Vt igitur primordia Palatinatus Comitum Somersenburgensium non a Lothario Saxone, sed iam ante ceperint. Aut statuendum, dignitatem ablatam Dieterico Rochlicensi ab Henrici V successore Lothario Imperatore confirmatam esse? Neque digredietur longius, qui comitem, Pegauiensi nominatum, Fridericum Seniorem de Somersenburg dixerit, virum illa tempestate strenuum, multisque factis inclytum. Hic leui prætextu concitatus, & aliorum ope subnixus, Friderici III Palatini Goseccensis, a Ludouico Saltatore Thüringiæ Landgrauio anno MLXV peremti, filium, adfinitate iunctum, infesta manu impetiit, paternaque priuare dignitate conatus est, quam deinceps tamen eius posteri, & affines Orlamündani pariter sibi vendicauerunt. De Sigefrido, *Comite Palatino Orlamundano* idem Pegauiensis commemorat, quod cum Ludouico III, adhuc Thüringiæ Comite, & Viperto, Lusatiæ Marchione, fedus contra Henricum V inierit.

in vita Vip. ad an. 1115.

ad an. 1114.

Turbulentus hinc temporum status merito cognoscendus, quo cuilibet satis virium habenti sub libertatis

&

& recti ſpecie licebat alterius ditiones inuadere, & tamdiu populari prædarique, donec ius ſibi ſuum videbatur redditum. Palatinis iudiciis, ſiue Cæſarea auctoritate conſtitutis cauſſas committi ſuas ægre ferebant, & hinc tanta contentione de Palatinatus honore contendebant. Nec principes & Imperii ordines tunc aliter iudicari fere cupiebant, niſi bello, cui omnem cauſſæ iuſtitiam tribuebant, & ex euentu obſeruabant, vetuſto gentis more ſi victi fuiſſent, iniuſte ſe rem geſſiſſe, ſi viciſſent, enſem iuſte terminaſſe litem. Erant quidem iudicia Prouincialia ſuprema poteſtate firmata quorſum procerum etiam cauſſæ deferri poterant, dicta *quattuor ſedilia*, die vier Stüle/ quaſi conſeſſus iudiciales, quod ex more Francici Imperii quatter in anno, in hieme, *Januario*, in vere, *Aprili*, in æſtate *Iulio*, in auctumno, *Octobri*, a *miſſis* inſtituerentur. Sed hæc Principum inter ſe cauſſas non exaudiebant, neque de iis iudicare poterant, quippe ad ſolos prouinciales ordinata.

Adparet certe probarique facile eſſet, niſi prolixum nimis foret, hujus Comitiuæ honorem apud Somerſenburgenſes vel quoad titulum ſaltem manſiſſe, donec Henricus Leo, & ditionum & dignitatum amplitudine celſiſſimus, Dux Bauariæ Saxoniæque maiore vi ac poteſtate ſibi eam adquiſierit. Præterquam enim, quod omni Somerſenburgica ſtirpe in Alberto extincta heres exiſteret, cum Palatinatu etiam terras omnes accepit, & illas contra Wichmannum, Archiepiſcopum Magdeburgenſem alienis infelicius inhiantem, profanaque ſacris miſcentem, ſtrenue adſeruit. Cum vero nec ampliſſimis bonis & prærogatiuis adquieſceret aut iis ex voto

Imperatoris & ordinum Imperii vteretur, Fridericus I Imperator omnibus eum possessionibus & annexis honoribus in magno Ordinum Imperii conuentu exuit, atque Saxoniæ Palatinatum in Hermannum [a] Thüringiæ Landgrauium, quem Dodechinus [b] aliquoties, omisso Landgrauiatus titulo, Comitem Palatinum simpliciter appellat. Præter alia heic notari debet, duo præcipua Saxoniæ feuda regalia [c], Ducatum cum Palatinatu in Henrico Leone coniuncta exstitisse, quæ iam separata denuo, & Palatinatus Hermanno Landgrauio, Bernhardo vero Ascanio, Alberti Vrsi filio, Ducatus Saxoniæ, in Comitiis Herbipolitanis, anno MCCLXXX, solenni ritu legeque beneficiaria concessus est. Ex optimæ fidei documentis, & solido iudicio sunt, quæ circa hæc tempora Conradus Sam. Schuzfleischius, in Academia Wittebergensi historiarum professor inclytus, amicus noster, ad vitam Alberti Animosi, Saxoniæ Ducis, annotauit, quæque legi merentur.

a) Auct. de Landgr. Thur. cap. 25.
b) Append. ad Mar. Scot. an. 1155. seq.
c) ita vocat. Spec. Sax. lib. III, 62.

Hic vero Palatinatus honor penes Hermanni Landgrauii Thüringiæ filios mansit, & maxime Henricum, natu minimum, donec ad Vlmam ex ictu sagittæ occumberet, cuius nulla proles, vti nec fratrum eius Ludouici, & Conradi, qui ordinis Teutonici magister in Porussia, anno MCCLIII, mortuus est. Atque hæc vltima fuit progenies, stirpis a Carolo M. huc vsque propagatæ, & felici memoria conseruatæ, quam primus in has terras attulit sub Conrado II Imperatore Ludouicus Barbatus Caroli Lotharingiæ Ducis, ab Hugone Capeto regno Franciæ exclusi filius, cui Henricus III Imperator, non tam ea, quæ a Conrado Salico ipsi donata fuerant, confirma-

Blondell. Assert. plen. Geneal. Franc. T. 2. p. 33. 34.

firmauit, ſed magnam partem agri circa ſiluam Loibam, cum villulis ſiluaticis, Altinberga & Reinherisbrunno, aliisque a Günthero quodam & Biſone, liberis in Thüringia viris, redemtis prædiis, hereditario iure conceſſit: ſicut in litteris Imperatoris Henrici hæc pluribus, vna cum primis limitibus Landgrauiatus Thüringici, in tam amplas poſtea ditiones prolati, deſcribuntur. Sed ex fratrum modo dictorum ſorore, Gutta, nepos Henricus, Marchio Miſniæ illuſtris, ab aliis munificus cognominatus, incertos caſus & dubios rerum euentus præſentiens, exſpectatiuas de ſucceſſione in duos principatus, Thüringiæ Landgrauiam & Commatiam Palatii Saxoniæ, inque omnia alia feuda Henrici auunculi ſui, a Friderico II Imp. petiit ac impetrauit.

Eas, quod videam a Melch. Goldaſto falſo tribui Alberto II Aſcanio, producam integras, ſicut e muſeo viri prudentia & rerum gerendatum dexteritate excellentiſſimi, Jac. Henrici Heydenreichii, conſiliarii quondam in aula Saxo Gothana Conſiſtoriique Præſidis, amice communicatas accepi. Fridericus Dei gratia Ro-„ manorum Imperator, ſemper Auguſtus, Hieroſolymæ „ & Siciliæ Rex, dilecto Principi et Conſangnineo ſuo „ Henrico Marchioni Miſnenſi, gratiam ſuam & omne „ bonum. Tunc imperialis excellentiæ firmiſſimo ro-„ bore firmatur imperium; tunc decus extollitur Cæſa-„ reæ Maieſtatis, cum infidelibus pro perfidia pœnam „ retribuit, & pro fide fidelibus præmia liberaliter elar-„ gitur. Amor, qui virtutis tunc maxime creſcit ſub-„ ditis & proximis, cum pro ſeruitiis exhibitis beneficia „ recipiuntur, in præſenti & de die in diem remuneran-„

tur

"tur de futuris. Hac itaque consideratione præmuniti
"qui Romani fræna moderamur imperii, ac attenden-
"tes puram fidem & deuotionem sinceram, quam ad ex-
"cellentiam nostram hactenus gessisti, nec non & grata
"valde & fidelia seruitia, quæ nostro culmini exhibes
"incessanter & inantea exhibere poteris ampliora; con-
"siderantes etiam auunculi tui Henrici Landgrauii Thü-
"ringiæ, Comitis Palatini Saxoniæ, dilecti consangui-
"nei nostri, Procuratoris Germaniæ, dilecti filii nostri
"Conradi, Romanorum in Regem electi, petitionem,
"quam ad nos etiam per suas litteras, & per Theodori-
"cum de Rodanstet, Camerarium suum, fecit, cuius
"iustis precibus inclinati, & quod TE speciali gratia pro-
"sequi voluimus, & fauore, litteris præsentibus prote-
"stamur, & notum esse volumus vniuersis, quod Tibi
"post mortem auunculi Tui, Henrici, Landgrauii Thü-
"ringiæ, duos principatus suos, videlicet Landgrauiam
"Thüringiæ, & Commatiam Palatii Saxoniæ, & omnia
"alia feoda, quæ nobis & ab imperio tenentur, cum ipso-
"rum pertinentiis, iure contulimus feodali. Tali ta-
"men forma, vt si sine herede filio, quod Deus auertat,
"ipsum præmori contigerit, nostra concessio stabilis
"perseueret, ne inter heredes tunc, cum de patris sui
"Hermanni felicis recordationis primogenita sis geni-
"tus, lites & seditiones oriantur, & vt etiam sic tuis præ-
"sentibus respondeamus seruitiis, & Imperio seruire
"tenearis in futuro. Ad huius autem nostræ conces-
"sionis memoriam ac stabilem firmitatem præsens scri-
"ptum fieri, & Maiestatis nostræ sigillo iussimus com-
"muniri. Datum Beneuenti, anno Domini MCCXLII,
vlti-

vltimo Junii, primæ indictionis. Non erit heic prætermittendus insignis honor, Palatinatui fere connexus, *Procuratio*, siue *Vicariatus* Imperii, quem ab illo doctissimi quidam ceu disparatum seiungunt. Num perite satis & ex vniuersali sententia, non dicam. Qui Fridericorum I & II tempore dictus est *Procurator*, in regno Francico tunc *Protutor*, *Protector*, postea vero in Imperio nostro *Locumtenens* itemque *Vicarius* adpellabatur. In monumento, quod Augustæ Vindelicorum Fridericus III, Elector Saxoniæ, cognomento Sapiens, in æde S. Mariæ, Ottonum Imperatorum memoriæ consecrauit, isthæc subscriptio visitur: FRIDERICVS III DVX SAXONIAE PRINCEPS ELECTOR COMES PROVINCIALIS TVRINGIAE MARCHIO MISNIAE ET SACRI ROM. IMP. LOCVMTENENS GENERALIS PROGENITORIBVS DVLCISS. FACIVNDVM CVRAVIT. SALVT. ANN. M. D. XIII. V. ID. MAII.

Chytr. Delic. Itin. p. 372.

Ab excessu igitur Henrici Landgrauii, anno MCCXLIIX iam supra designato, Marchio Misniæ Henricus munificus in terras & dignitates auunculi sui plenissimo iure successit. Exoriebatur quidem ingens lis, causamque faciebat dubiam Sophia, Ludouici VI e sancta Elisabetha filia, Henrico Brabantiæ Duci nupta, quæ auxilio quorundam Principum nixa auitas in Thüringia pariter & Hassia sibi ditiones bello vindicabat. Quoniam vero temporum malignitas, qua ferale post Friderici obitum cœperat interregnum, tuta parum suadebat, amicabili transactione factum est, vt Sophiæ Brabantinæ Hassia cederet, Thüringia vero, ditio cohærens Misniæ, cum Palatinatu Henrico Marchioni relin-

queretur. Quam igitur dignitatem acceperant Misniæ Marchiones, eandem constanter retinuerunt, sicut videre licet in quamplurimis litteris & instrumentis publicis, ea tempestate editis, ita tamen, vt a portione Landgrauiatus Thüringiaci nunquam separarent. Sic Henricus illustris, in quem hæ ditiones primum erant hereditate imperialique concessione deuolutæ, inter filios viuus possessionum diuisionem instituens, Alberto Thüringiam cum Saxoniæ Palatinatu, Dieterico Lusatiam cum Marchia Landspergensi distribuit, Misnia sibi retenta, ad annum vsque LXXXVIII sæculi decimi tertii, quo gravissima senecta & insigni terrarum accessione felix obiit. Adhibuit eodem anno *Thuringorum Landgravii & Saxoniæ Comitis Palatini* titulum Albertus in litteris inuestituræ super quibusdam bonis, ab Episcopo Numburgensi Brunone collatis, KL Februarii: & iam anno MCCLXV, in litteris Isenaci ad Præpositum & Conuentum in Capellendorf datis, inque aliis quas vidimus plures.

Ad Albertum II Ascanium, adhuc Saxoniæ Ducem, beneficio Rudolphi Habspurgici, Imperatoris, multi Palatinatũ pervenisse volunt. Sed honorarius forte titulus fuit, inde ab antiquo Brenensium Comitatu, eoque tempore sub Alberti potestate & ditione, Palatinatusque aliquando herede, adsumtus. Quo tamen Ascaniæ stirpis principes fere abstinuere vel ob Misniæ Marchiones, iam & Thüringiæ Landgrauios, qui hunc sibi honorem iure vindicabant, vel alios etiam Imperii principes, quorum siue inuidia, siue æmulatio huius tituli scriptione excitari potuisset. Nec pauci hinc fuerunt, qui

Schurzfl. l. c

qui duplicem Palatinatum, alterum Thüringiæ, Saxoniæ alterum ſtatuerunt, cum inſigne eius duplex Aquila non vltimum ſcuti Saxonici decus hodienum conſtituat, & Saxonici Palatinatus aquila in alueo cæruleo, Thuringiaci vero in nigro, vtraque aurea, illa cum corona, hæc ſine illa conſpiciatur. Verum iſta colorum diuerſitas vix tanti habenda, vt Imperialis officii rationem aut variet, aut multiplicet. Egregia ſunt, quæ hac de re Ant. Dadinus Alteſerra, Jureconſultus Gallus diſſerit, ſe- *III de Duc.* quioris æui hoc eſſe inuentum, certos inſignibus colo- *& Com.* res & metalla vana ſuperſtitione dicare, atque ſcrupulo- *Prov. c. 53.* ſam de his artem inſtituere. Non depretiandæ Heraldicæ ſcientiæ ita ſcribit, aut conuicium illi faciendæ, ſed in minutis toties occupatæ, aut præter neceſſitatem ſua præcepta cumulanti, frenum iniicit. Ipſe pientiſſimi nominis Theologus, Phil. Jacobus Spenerus, Saxonicæ *Sect. I. §. 13.* domus inſignia, verbis Fecialium enuncians, & Com- *14. ſeqq.* mentario hiſtorico illuſtrans, ſub Palatinatu Saxonico contineri Thüringiacum, aut male ab illo diſtingui, fatetur. Qui a Palatiis argumentantur, & Thuringiacum Alſteti, Saxonicum Magdeburgi vel Schartouiæ conſtitutum aiunt, atque hinc diuerſitatem duplicis Palatinatus oſtendere conantur, litem magis confuſam, quam diremtam relinquunt. Vtrobique ſane Palatia fuiſſe, in quibus Cæſares ius dixere, vel per alios reddi voluere, certiſſimum eſt. Non tamen inde conſequitur, quod duo quoque diuerſi Comites, Palatina dignitate illu- *lib. III art.* ſtres, iis a Cæſaribus fuerint præfecti. Sic Speculum *62. conf.* Saxonici Iuris quinque recenſet Palantias, *Gronam*, ſiue *Meib. de* Gruonaham, in ripa Viſurgis occidentali, *Werlitzium*, *Irminſ. cap.* *13.*

siue Werlaham, Werlam, *Goslariam*, *Walbusam*, *Alstetum*, omnes in Saxonia sitas, vbi Rex solennibus feriis, quas in harum vna vtplurimum celebrabat, legitimis curiis præsidebat. Nunquam vero legitur, quinque Saxoniæ Palatinos fuisse pari vi potestateque constitutos. Vt igitur hæ Palantiæ non ad hos pertineant, sed a Cæsarum, qui sæpius frequentarunt eas, habitatione ac splendore ita denominentur, quales per Germaniam plures fuisse, e Reinesii commentatione liquet.

Caroli IV Imperatoris ætate Lauchstetensem Palantiam siue Palatinatum, voce generalius accepta, innotuisse per has terras, & in litteris inuestituræ Friderico strenuo, Landgrauio Thüringiæ, Marchioni Misniæ, Terræ Australis ac Landisbergæ cessisse, per illa Caroli IV verba demonstratur: Der Bite gewerten wir ihn und verliehen öffentlich und ehrlich als gewöhnlich ist den Fürsten zu leihen / dieselbe Fürstenthüm / der Landgrafschafft zu Thüringen / der Marggrafschafft zu Meissen / des Osterlandes und zu Landisberg / die Grafschafft zu Orlamünde / die Pfaltzgrafschafft zu Lauchstete / und Herrschafft des Landes zu Plyßen und andere / wo sie die haben und wie sie genennet seyn / mit Bergwercken / Rechten / mit allen Würden und Ehren die dazu gehören / und verleihen ihn die auch an diesem Brief mit unser Königlichen Gewalt / mit Uhrkund des Briefs versiegelt mit unsern Insiegel / der geben ist zu Budißin nach Christi Geburt MCCCL, des nechsten Sonnabents nach unser Frauen Tag Lichtwie / in vierten Jahr unsers Reichs. An per hunc Palatinatum significatur iuris-

ris-

risdictio & imperium, quod pro more illius æui speciali lege concessum erat Misniæ marchionibus Lauchsteti? Videturq; sic accipi in litteris Friderici Sapientis, Saxoniæ Electoris, quibus Brunoni, nobili Domino de Querfurt, retrouenditionis pacto Alstetum an. MCCCCLXXXVI tradit cum omnibus eo pertinentibus, ausgenommen der Pfaltzgrafschafft/ nemlich dem Gerichte/biß über die Helmen/uf dem Thamme &c. ceu verba illarum habent, & Iurisdictionis huius terminos amplius designant.

Perdurauit itaque Saxoniæ Palatinatus in Landgrauiorum Thüringiæ Marchionumque Misniæ familia, & publico stylo semper vsurpatus est, vsq; dum iisdem etiam ab Imperatore Sigismundo Saxoniæ Ducatus cum celsissima Electoratus atque Archimarescallatus Imperii dignitate, Noribergæ anno MCCCCXXX, tribueretur. Fridericus bellicosus primus tanti muneris capax factus est, eius autem fratres Sigismundus, Wilhelmus, & Henricus Marchionatum Misniæ, Landgrauiatum Thüringiæ, Palatinatum Saxoniæ, & reliquos principatus, Comitatus, ditionesq; cum prærogatiuis & iuribus in feuda ibidem acceperunt, sicut iam ante illos pater eorum, & patruus Wilhelmus, hæc bona possederant, & administrauerant. Quibus iterum manifestum est, Palatinatum Saxoniæ non cum Ducatu & aliis supremis in Imperio officiis ad Marchiones Misniæ demum peruenisse; sed disertis Imperatoris verbis dici, eum cum reliquis bonis & terris in feudũ concedi, sicut patrĩ, patruo, maioribusque concessus antea fuerat. Litteras huius inuestituræ exhibent Albinus, *in Chronico Misnico*, a) & Hortlederus, *de caussis belli Germanici*, b) quas Fridericus III Impera-

a) *tit. XVI.*
b) *lib. IV ad num. 9. p. 236.*

tor contra omnem aliorum ſenſum ac impetum ratas habuit, & Græciæ anno MCCCCLVI, XVI regni, IV Imperii, confirmauit. Honor iſte ac titulus, quamuis publico ſcribendi genere poſtea omiſſus, in conceſſionibus tamen & inueſtituris hactenus factis inter alia iura sereniſſimæ domus Saxonicæ & prærogatiuas ab Imperatoribus repetitus ſemper impetratus fuit.

Quomodo Palatinatus dignitas ad alios extra Romanũ Imperium peruenerit, inprimis ad Anglos. Troiæ Comites, mox Campaniæ & Burgundiæ, Palatini ſunt a Imperatoribus creati.

Inſignem eorum, quos vel in aulis Imperatorum palatina dignitate fulgentes, vel in Imperio eadem vſos eſſe vicaria, huc vſque recenſuimus, numerum augent & explent alii, per vicina regna ſimili honore illuſtres, quos ob argumenti amplitudinem, ſi non exacte deſcripſiſſe, ſaltem attigiſſe iuuabit. Venerabile ſemper exteris Imperii nomen, & eius auctoritas adeo excelſa, vt cuperent dignitates hinc in ſe deriuari, aut ad eius exemplum honores ipſi ſumerent. Admodum vetuſta *Normanniæ & Britanniæ Palatinorum* habetur memoria, ac origines eorum a multis perquiſitæ ſolertius, neque tamen certo definitæ, an ab Imperatore Romano ducendæ, an a quodam Normanniæ duce, qui ſua virtute & maiore potentatus libertate fretus Palatinatum ex Imperii

perii

perii more instituerit. Etenim antiquus Gallici iuris auctor, apud Petr. Pithoeum, istam dignitatis prærogatiuam tradens, inter alia hoc eius profert eximium ius, quod Palatinus quondam iudicia pariter & comitia, stipatus comitibus & vasallis, in palatio suo potuerit habuere. Atque ex hac caussa Normanniæ Britanniæque Duci & Flandriæ Comiti honores Palatinos tribuit, & addit prœterea, quod in illis terræ partibus palatia soli habuerint. Qua sententia, si fuerit standum, alia patet antiqua huius dignitatis significatio, libertas & ingens principis potestas, quæ cum Guilielmo I Normanniæ Duce, hauddubie in Angliam est translata. Ad hunc enim referunt auspicia *Palatinatus Cestriæ*, quando eum Hugoni cuidam Lupo cognominato, viceComitis Abrincensis in Normannia filio, iure hereditario Palatinum Cestriæ Comitatum aiunt primum concessisse. Postquam vero stirps istorum Comitum, egregia tot virtutum exemplis, nec minus prosapiæ vetustate clara, dispositu supremi Numinis desiisset, Palatinatus cum omnibus prærogatiuis & adiunctis honoribus ad regiam domum est reuersus, e qua primogenitus, Walliæ Princeps, eam per Camerarium, iudicem specialem, aliosue administrat, quos ex Anglicanis monumentis Jo. Christoph. Becmannus designat, & insuper Dunelmensem Episcopatum, Ducatum Lancastrensem, itemque Comitatum Pembrocensem & Eliensem tractum, Palatinatus titulo passim honestari ostendit.

De Comit. Camp. p. m. 17.

Cambd. Brit. p. 488.

Notit. dign. Differt. IX. c. 2. n. 5.

Huic si non ætate, loci tamen propinquitate videtur esse proximus *Campaniæ Palatinus Comes*, quem Andreas du Chesne, antiquitatum Francicarum cumprimis

mis

De Franc. vrbib. cap. 1. in Campan. mis peritus, ab Imperatore Romano Henrico III honorem iſtum accepiſſe docet. Neq; prorſus a vero hoc putauit alienum ante Chesneum Pithoeus, ſumma doctrina & fide vir, qui licet non exertis veterum teſtimoniis demonſtrare id poſſet, ad hanc tamen ſe perductū eſſe opinionem ſcribit auctoritate Hermanni Contracti, æqualis *l. c. p. m. 17.* horum temporum ſcriptoris, qui ad an. MLIIII ſequen„ tia habet: Henricus Imp. Moguntiæ Paſchale feſtum „ celebrauit, vbi Theobaldus Ottonis ad eum de Galliis „ venit & miles eius effectus eſt, auxilium ſuum illi pol„ licitus. Nulla certe in hoc loco Palatini mentio, ſed obſequii, & cultus, quo illa tempeſtate Imperatoriam maieſtatem exteri venerabantur, & auxilium inde vel ſperabant in rebus dubiis, vel ſuas vires conſociabant, ſi publica mala coegiſſent & ſupremæ poteſtati viſum ita fuiſſet. Alii hunc titulum Campaniæ Comites a Rege Franciæ accepiſſe autumant. Sed qui nunquam Comites hoc inſcripſit titulo, & magis ad vſurpationem illius indignatus eſt, neque honorem contuliſſe, debet exiſtimari.

Primus inter Campanos Palatinum ſe ſcripſiſſe legitur Theobaldus Magnus, quem, teſte Pithoeo, Suge- *l. c.* rius Abbas S. Dionyſii hoc titulo nominat, prius etiam quam Troiæ aut Campaniæ dominus factus eſſet. Hos enim comitatus Theobaldus iam extrema ſenecta, poſt obitum Hugonis auunculi ſui, adquiſiuit, cum antea Chartres, Bleſenſem & Meldenſem tantum haberet. Vt adeo honor iſte primas in Troiæ comitatu radices egerit, & hinc in Campaniam fuerit propagatus. Poſthæc igitur tempora frequentior Palatinatus Campaniæ mentio,

tio, & qui publicis instrumentis, qua editis, qua ineditis instructi sunt, huius rei memoriam exactissime tenent. Varia tamen est huius tituli scriptura, sicut ostendit e chartis antiquis Io. Iacobus Chifletius, quas apud Nic. Camuzatium Tricassinum se vidisse memorat, vbi Henricus, Campaniæ comes, *Trecensis* siue Troyensis, *Comes Palatinus*, an. M C LXXX inscribitur, & Theobaldus an. MCCXXIV, item Henricus alter, anno MCCLXXIII, *Campaniæ & Briæ Comes Palatinus* adpellatur. Ac notabile est, hunc titulum Campanos maxime vsurpasse cum publici Franciæ regis hostes essent, vt exinde non præter rem inferatur, vel ab Imperatore Romano firmandis rebus Palatinatum pro terris suis accepisse Troiæ comites, vel propria auctoritate sumtum & conniuente illo retinuisse. Qui singulari industria hoc argumentum persequitur, nobis aliquoties laudatus, P. Pithoeus ICtus, hoc probat exemplo Philippi Flandriæ comitis, qui cuiusdam transactionis iniquitate motus, ad quam inuitus erat pertractus, excussa Philippi Galliæ Regis veneratione, Henrico Friderici Barbarossæ filio, Imperatori se subiecerit, eique hominium fecerit. Patet hinc Imperii maiestas, qua contra fas oppressis iustitia, & contra vim auxilium quondam præstabatur. Neque tamen summa Imperatorum clementia sic in fidem ac tutelam eos accepit, quin illustres honores & alia iura tribueret. Illa ipsa Palatinatus iura, suprema iudicia, & pro rerum statu Comitia habendi, Reges Galliæ, postquam anno MCCCXXXV Campaniæ comitatus permutatione sibi accreuisset, pari fere auctoritate cum suis Parlamentis retinuerunt, vti constat

XIII Vind. Hisp. p. 125.

l. c. p. 16.

ſtat e Philippi Pulchri conſtitutionibus, in quibus *Iours de Troyes* vocat. Cum vero ſuperioritati Regiæ hac ratione non omni ex parte conſuleretur, Palatini honores & ſimiles tituli fuerunt abrogati. De iis, qui Palatinos Campaniæ iam Caroli M temporibus inter Pares fuiſſe, & hinc nomen adeptos volunt, dicere nihil attinet, quod falſitatis dudum ſit conuicta relatio, fabulæ haud abſimilis.

Ab hiſce primas ferunt *comites Palatini Burgundiæ,* quorum iam ſupra mentio facta, cum Maximiliani I & Caroli V, auguſtiſſimorum Imperatorum, titulos e publicis eorum monumentis exhiberemus. Animus eſt vlterius progredi, & quia cum Palatinis Campaniæ non tam ſanguinis propinquitate coniuncti, quam non adeo longo diſterminati ſunt interuallo, ex incorruptæ hiſtoriæ lege paullo altius repetere. Communis eſt opinio, Fridericum I Imperatorem, in matrimonium ducta anno MCLVII Beatrice * Reginhaldi, ſiue Reinoldi III, Burgundiæ Comitis vnica filia, non Imperii ſolum fines egregie protuliſſe, ſed rempublicam vndique ruentem firmaſſe, & cum primis Burgundiæ terras Imperio reſtitutas, fidelibus viris ac ſibi caris adminiſtrandas commisſiſſe. Ab hoc igitur inter alia recens inſtituta Palatinum, ſiue Vicarium Imperialem, in Burgundia fuiſſe ordinatum ſcribunt, qui ſingula curauerit profana, ſicut Archiepiſcopus Viennenſis, ab eodem conſtitutus ſacri Palatii Archicancellarius, & ſupremus Notariorum, illa quæ ad religionem pertinebant. Morti

Jo. Boſco in Antiqu. Viennenſibus.

* *Dodechinus in Append. Mar. Scot. ad hunc annum male vocat* Agnetem.

ti enim proximus iam Fridericus Imperator Otthonem filium, e Beatrice natum, in Burgundiæ Comitatu heredem instituit, non sine ingenti nominis honore, vt *Rex Arelatensis* vocaretur, teste Ottone Frisingensi Episcopo. Alii simpliciter eum scribunt *Regentem* in Arelatensi regno, quem titulum Andreas du Chesne, insigni opere, *Histoire des Roys, Ducs, & Comtes de Bourgongne & d'Arles*, ex diuersis monumentis hactenus ineditis, chartis & Chronicis concinnato, interpretatur *Vicarium generalem Imperatoris in regno Arelatensi*, & *primarium Comitem*, qui dicatur alias *Palatinus*. Neque male pro temporum illorum conditione, qua consueuerat fere, vt deuictis, vel alia ratione Imperio subditis prouinciis ab Imperatoribus *Vicarii*, *Locumtenentes*, *Protectores*, cum potestate atque variis iuribus præficerentur, qui omnes communi Palatinorum nomine veniunt. In Arelatensi quidem Regno Vicariatus iste, a Friderico institutus, diu obtinuit, & ab Imperatoribus Germaniæ semper concessus & confirmatus est. Anno MCCCLXXIII Carolus IV Bohemus Imperii Vicariatum in regno Arelatensi & Delphinate terra, contulit Carolo VI, primogenito Franciæ regis filio, qui in litteris *Locumtenens Imperatoris & Vicarius generalis audit*, fratribus Sanmarthanis a) contestantibus, & nobili quadam virgine, Christina Pisana, cuius opera in bibliotheca regia Bruxellensi seruantur, vnde quædam in Vindiciis Hispanicis profert Chifletius. b) Per Vicariatum istum in regno Arelatensi, a Carolo IV, Imperatore datum Carolo VI, finium Gallicanorum scriptores grandi concludunt hiatu, vniuersa in illud iura Imperii cessasse, quos Conringius,

liure IV. chap. XXII. p. 535.

a) VIII Hist. Gen. Franc. c. 4.

b) cap. XIII.

summa fide & iudicio in hoc argumento versatus, examinat & grauiter confutat. c)

c) XXIV. de finib.

Grauis autem Otthoni, Burgundiæ heredi, lis exorta contra Stephanum, Comitem Viennensem, qui titulum Comitis Burgundiæ cum aliis honoribus, sine tamen Palatini nomine, vsurpauerat. Idem exigebat a Comite Matisconensi homagium, contra ius Ottonis, quod sibi relictum a patre fuerat. Hinc iudex intercessit & disceptator Henricus VI Imperator, Ottonis Burgundiæ Palatini frater, qui vtriusque caussa cognita hanc tulit sententiam, feuda controuersa, Matisconense & Pouillense, ad Burgundiam spectare eiusque Vicarium siue Palatinum. Recensuit hæc e documentis fide plenis Chesneus in scripto laudato. Videturque inde datam esse ansam Ottoni Burgundo mutandi suæ ditionis insignia, & pro alba aquila, vetusto Palatinatus ornamento, in rubro clypeo, aureum in coeruleo campo leonem collocandi. Filiam natu maiorem Beatricem Ottoni I, siue Magno, Meraniæ Duci despondit, e qua Otto II propagatus, qui Burgundiæ Comes & Palatinus factus, nouos genti suæ cum terris Burgundiæ honores adquisiuit, & felici rerum suarum incremento ad posteros transmisit. Atque ab istis Palatinus honor ad *Comites Alboni* fortasse peruenit, qui hoc titulo nomen suum proscripsere vsque ad Humbertum III, vltimum suæ stirpis, ita dictum, quod ab Imperio penderet. Idem fuit Delphinatus Comes, vnde certis ille rationibus ad Galliæ reges peruenit, quorum primogeniti vicariam in regno Arelatensi dignitatem, sicut exemplo Caroli VI supra ostensum, a Cæsaribus habuerunt. Neque tamen

p. 539.

Chesn. lib. IV. cap. 78. ad an. 1335.

hanc

hanc ita consequebantur, quasi perpetui possessores & eius heredes. Cum Ruperti Palatini Imperatoris diploma sit admodum memorabile, quo profecturus in Italiam, & reipublicæ de idoneo prospecturus administratore, insuper habito Delphino, tunc male sibi conciliato, filium suum *Vicarium Imperii in Germania, Gallia & regno Arelatensi* constituit. Primus hoc edidit e Gestis sub Rege Ruperto & Ludouico Vicario, quæ in bibliotheca Palatina quondam exstabant, Marqu. Freherus *Notis in Andloum*, vbi quoque vicariatus dignitatem cum veterum Francorum Maioratu Domus siue Præfectura aut comitiua Palatii similia habuisse docet. Neque tamen in singulis adeo conspicua fuit similitudo, vt non plurimum intercederet discriminis. In contentionem hæc misit Conringius, & differentiam vtriusque præclare ostendit in *Censura diplomatis Ludouiciani*. Quod autem Burgundia iam sæculo sexto sub Childeberto, Theodorico & Merouingicis a Maioribus domus ad similitudinem Franciæ, Austrasiæque fuerit administrata, per ætates ostendit nominatus toties Andreas du Chesne. Quando *Lotharingiæ* Duces se *Palatinos* scripsisse legimus, non aliter existimandum, quam tales ab Imperatoribus etiam creatos esse. Et superius vidimus e communi Germanici Imperii diuisione, quod Cæsareum tribunal siue Palatinatus in Lotharingia quoque fuerit, ac quomodo illius loco scriptores Franciam deinceps adhibuerint. Cumque omnibus eminentior tandem esse coepisset Palatinus ad Rhenum, ac reliqui, Sueuicus siue Tubingensis, Bauaricus & Franconicus, per diuer-

lib. II, 10. p. 199. edit. Norib.

cap. XI. p. 203.

ſas Imperii vices,atque Cæſarum conſtitutiones huc pertinerent, Lotharingici titulus plane deſiit.

Poloniæ Palatinos a Saxonicis Imperatoribus ordinatos eſſe, probabile videtur. Hungarici pariter ac Italici Palatinatus origo & officii ratio.

Magna Palatini honoris prærogatiua ſub Germanicis Imperatoribus adparet ex eo, quod per vicina Poloniæ Hungariæque regna non ab iis tantum inſtitutus ad tempus, verum in hanc quoque ætatem conſtanti nominis memoria ſeruetur, luculento ſatis argumento, Imperii maieſtatem ibi fuiſſe inſignem, cultam ſemper & comiter obſeruatam. Iura, quæ habuit Imperium in illa, quæque ingentia iis beneficia contulit, non commemorabo, quod ſingularis doctiſſimorum pateſcat virorum induſtria, & germanus caudor, quo ſingula litteris conſecrarunt. Jam curam mihi ſtudiumque dat argumentum, in quo hactenus occupor, Polonorum iuxta Hungarorumque Palatinatus, a prima inſtitutione ad hæc tempora deducendus. Atque vt ab illis faciamus initium, ratio poſtulat ordinis, quod Poloni ab Otthonis magni æuo Imperio fuerint multis modis obſtricti, Hungari vero ſerius acceſſerint. Quo vero tempore, aut a quo ſint Imperatore inſtituti, vix poteſt certa ſententia firmari. Noſtri dignam memoria rem neglexerunt, aut ſi qui forte notarunt, non amplius exſtant. Domeſti-

mestici Polonorum scriptores vti semper discedunt a se inuicem, maxime in rebus Germaniæ Imperium attingentibus, ita heic quoque varia tradunt & incerta. In his igitur, si coniecturæ probabili, nec veritati prorsus contrariæ indulgamus, donec a doctis compertiora percipiamus, veniam omnino merebimur.

Manifestum est, Misiconem Poloniæ Ducem, a Gerone Lusatiæ marchione Ottonis I ætate victum & *Dithm. l. 2.* Imperio subiectum, eundemque Christianæ religionis *p. 18. & 22.* dogmatibus ad mitiores mores perductum Imperio fidelem ac deuotum fuisse. Post baptismum susceptum nomen mutauit & Miecislaus adpellatus est, diuturno principatu felix, atque Germaniæ principibus affinitate coniunctus. Sub Ottonis II imperio celebria sunt Co- *Lambert.* mitia Vinariæ * habita, quorsum & Poloniæ Dux voca- *Schafn. ad* tus est, itemque Danus & Bohemus: qui vero nec ipsi *an. 975.* nec per legatos comparuere, iis tanquam rebellibus, illatum est bellum. E chronico Hildesheimensi certum *an. 986.* redditur quod Mieceslaus Ottoni III in Slauos proficiscenti cum valida manu præsto fuerit, camelum, in Germania nondum visum, & alia xenia vetustissimorum Scytharum more obtulerit, seque ipsum potestati eius subiecerit. Cum vero Otto sepulcro S. Adelberti martyris excitus in Poloniam venisset, Archiepiscopatum Gnesnensem ordinauit eidemque Colbergensem, Cracouiensem & Vratislauiensem episcopos addidit, teste *l. IV, p. 43.* Dith-

* *Georg. Fabricius* in Reb. Mem. Sax. *lib. II ad eundem annum pro* Vinaria *ponit* Wismariam, *ciuitatem maritimam. Sed perperam. Vide Goldastum* II de R. B. cap. 3.

Dithmaro. qui de Ottone III hoc quoque notabile tradit, quod antiquam Romanorum consuetudinem, magna ex parte neglectam aut ignoratam suis voluerit temporibus restitutam, & sic eum multa fecisse, quæ diuersi secus acceperint. In statu Germaniæ cum plura reformauerit, ipsum Poloniæ Ducem regia dignitate decorarit, quin de sententia Polonorum & ingenio, vel magistratum quendam iam ab antiquo gerentes, vel prudentes & ortu nobiles viros alios iustitiæ custodes, ac simul iuris, quod Imperator in Polonia habebat, arbitros constituerit, fere indubium est. Exemplo Germania fuit, vbi tunc Palatini ducibus proximi leges Imperatoriæ Maiestatis obseruabant, res fiscalinas curabant, & caussas ad se delatas e potestate vicaria sibi concessa sine vlteriore prouocatione terminabant. Misiconis filius, Bolislaus, fide & obsequio erga Imperium patre suo inferior, ab Henrico II Sancto cognominato, vi coactus pacem petiit, & feriis Pentecostalibus Merseburgi celebratis interfuit, vbi manibus adplicatis miles ab Imperatore efficitur, & sacramento præstito Regi ad templum pergenti armiger habetur. Quæ cuncta ius Imperatoris Romani in Poloniam demonstrant, & dignitates ab Imperio illuc esse deductas egregie testantur. Conradum III Sueuum *Poloniæ Palatinos* confirmasse Goldastus annotat, ad antiquam de Comitis Palatini officio ordinationem. Vt proinde vero simillimum sit, Poloniæ Palatinos ad Imperii normam a Saxonicis Imperatoribus esse institutos.

Dithm. p. 11.

Tom. III Const. Imp. p. 403.

Martinus Cromerus, inter omnes Historiæ Polonicæ conditores, ingenio, iudicio, & eloquii venustate

præ-

præſtantiſſimus, Palatinorum patriæ ſuæ origines reconditas admodum & vetuſtas commemorat. Non enim quis olim fuerit ſtatus, aut interior publicæ rei forma, reſpicit, ſed recentiori æuo cuncta accommodans dignitatum ac titulorum nomina ſemper eadem habet, atque ex hodierno more prima quæque deſcribit. Poſt Lechi obitum, auſpicatiſſimi Slauorum in Sarmatia Ducis, interregnum & Comitia Polonorum Gneſnæ fuiſſe habita prodit, quibus omnium conſenſione decretum ſit, ne reipublicæ cura vel ad vnum, vel ad omnes amplius deferretur, quod ille facile declinaret ad tyrannidem, iſti vero pari gaudentes dignitate in ſententiis varii ſemper & diſſentientes magno communis boni detrimento futuri eſſent. Conueniſſe igitur, vt duodecim e procerum numero potentes & ſpectati viri legerentur, qui Poloniæ, in totidem Palatinatus diuiſæ præeſſent, & hos *Palatinos*, ſiue vernaculo ſermone *Waieuodas*, duces belli & copiarum, audiuiſſe, ac poſtea ſub regibus etiam manſiſſe, quamuis poteſtate ac iurisdictione reſtrictiore. Si tempori attendimus, facta eſt hæc Polonicæ reipublicæ forma ſæculo ſexto, ſeptimoque adhuc durauit, vsque ad Craci principatum. Quo certe nomen Palatini inauditum Polonis, perpetuo belli ſtudio ferocibus, nec aulicis dignitatibus aut ciuilibus adeo adſuetis. Equidem non negandum, talem apud illos in actu publico ſiue honorem, ſiue magiſtratum inſtitui potuiſſe, qui reipublicæ in pace iuxta & in bello ſummam habuerit, & docente Cromero, leges exemplo Lacedæmoniorum, non tam in tabulis, quam animis ſcriptas, ad ſingulorum vſum direxerit. Hunc tamen magiſtratum ab initio ſta-

lib. ii p. 19.

tim Palatinatus honorem, & iam sæculo VI prætulisse, nunquam euincetur, quod sub isthac muneris ratione neque apud Romanos, neque Gothos, Francos, aut alias gentes cultiores, quas hactenus percensuimus, fuisse legatur, sed ordinationis sit multo recentioris.

Omnino igitur dicendum, cœpisse tunc, quando iisdem iuribus & honoribus est in Imperio Romano receptus, nempe sub Ottonibus in Saxonia, quos & alias Polonis dignitates dedisse, & ad Christiana sacra perductis mores cultiores illis induisse modo docuimus. Accedit in primis, quod Poloni magnam partem a Palatinatu Saxonico, tanquam supremo tribunali, leges petierint, & ad eius iudicari sententiam voluerint, quod alibi satis superque declaratum. Erant autem, & sunt hodienum Palatini per Poloniæ regnum senatores, quos in dubiis, maxime profanis, consulere solet rex, & sententiis eorum adquiescere. De Bolislao memoriæ proditum, quod variis bellis ex voto gestis, & regni sui limitibus prolatis, reliquum vitæ tempus quieti & constituendæ domi reipublicæ dederit, duodecim vsus consiliariis, quos e tota Polonia probatissimos, & annis iudicioque graues elegerit, mensæ suæ adhibuerit, illorum voluntate ac sensu iudicia exercuerit. Facile noscitur, per istos signari Palatinos regni. qui tamen non eodem semper numero constituti, sed pro finium amplitudine vel angustiis plures paucioresve fuerunt. Numerum hodiernorum, ordinem ac munus e nouissime edita *Republica Poloniæ* Christophori Hartknochii, rara industria, ex diuersæ gentis ac æui scriptoribus, domesticis constitutionibus ac iuribus aliis facta, cognosces.

Crom. lib. II. p. 44.

lib. II cap. 3. p. 3. 30.

Vn-

Vngarorum quoque regnum Imperatoris beneficio Palatinæ dignitatis factum est particeps. Gens hæc vel infesta Imperio, vel subacta non diu fida, Christianæ fidei obluctata adhuc ætate Henrici II, Slauorum domitoris, per cuius sororium Stephanum I, regem Vngarorum, ad baptismum adducitur. Videbatur sic facta mitior, & eiurata mentis ferocitate tranquillius victura. Per legatos ab Henrico Imperatore pacem impetrauerat, & perpetuum cum illo fedus percusserat: *Auentin. lib. V p. 512.* qui huius amicitiæ vinculum magis confirmaturus vna cum serore Gisala quasdam Boiorum colonias dotis nomine Stephano, Regi a se effecto, tradit. Sed neque hac ratione Vngari penitus emendati, sub Conrado Salico, qui federis fructu & amicitiæ cum illis frui, quam vrbium excidia, vastationes agrorum, cædes suorum vel exspectare vel pati, semper studebat, agmine facto Noricum inuadunt. Sed palantes, & populabundi passim *Herman. Contr. an. 1030.* per agros facile victi, ac domum redire coacti, pacem denuo petierunt & rupti federis integritatem impetrarunt. Non tamen poterant secunda læti fortuna quiescere, qui bello solum dediti, sibi semper similes, Henrico III imperante populationum pleni Germaniam se oppugnaturos minitantur. Ad hæc Stephano succedentem Petrum regem per insidias deiecerant solio, in eius locum Ouone, animi indole ac spe rerum gerendarum ferocissimo, electo. Verum Henrici Imperatoris indignatio & iusta in Vngaros ira hunc apparatum, & consilii vim superauit, cum parua manu ad Rabinissæ ripam ita coerceret illos, vt sine clade nec manere, nec progredi possent. Ouoni igitur suppliciter oranti, & *Auent. l. c. Wippo in vita Conradi.*

æquas rationes ineunti pacem dedit Imperator, regione recepta & in fidem alii commissa. Quo tamen & Ouo perfidia reliquis non esset posterior, spretis pacti articulis omnibus delectum inter suos habuit, ac nouo bello Henricum lacessiuit. Vltimus hic erat Vngarorum conatus, funestus adeo, vt Imperator quocunque faceret iter, victor esset, ipsamque Albam regiam, Vngariæ caput ac sedem regni, signis suis intraret.

Facta est hinc totius Vngariæ renouata facies & publici status mutatio. Episcopi, proceres, ciuitates ac omnis populus ad Henricum Imperatorem conuertebantur, eum salutabant Regem, consilium accommodantes libenter ac tanquam bono euentui morem gerebant, inque eius verba iurabant, mandata capessebant. Prima statim cura fuit, exulem regem Petrum iis conciliare, in regnum restituere, Boioariorum iure ac legibus donare, *Palatinum* insuper dare, qui suo loco præesset, contra iniquitatem populo iustitiam præstaret, vectigal Imperatori debitum exigeret, atque iura eius alia diligenti cura obseruaret. Describunt hæc Sigebertus Gemblacensis, Hermannus Contractus, qui temporibus fere suppares, & hos secutus Io. Auentinus. cui se frustra Hungarici scriptores opponunt, immaturo & suspecto affectu moti. In opere tripartito juris, * quod Ste-

* *Io. Sambucus Viennæ Austriæ fecit imprimi anno M D LXXXI, & Rudolpho Imperatori consecrauit, vbi Stephani huius industriam describit, quod non aliter atque Tribonianus Romanum ius per annos mille & quadringentos confusum, ita hic consuetudines & articulos Pannonicos per CCCLX annos fere negle-*

Stephanus Werbewczius, curiæ regiæ protonotarius, Vladislai Hungariæ & Bohemiæ regis iussu, ex regni consuetudinibus, Romanique & Canonici iuris interpretibus anno M D XIV concinnauit, *Palatinus* stylo Francico *magnus Seneschallus*, itemque Romano *Præfectus Palatii* vel *Prætorii* audit. Sicut autem in Polonia Palatini erant ordinati maximarum rerum iudices, & totius regni a principis excessu gubernatores domi bellique: ita & in Hungaria omnis profanorum cura, quamuis vnus esset, penes Palatinum, vti sacrorum penes Archiepiscopum, fuit. Et a prima quidem huius magistratus institutione, quod Cæsaris esset vicarius, manauit tam ampla iurium potestas, quam regni proceres, tanquam rei suæ cumprimis accommodam, omni studio hactenus conseruarunt. Qui regnorum in Europa & principatuum statum, ac veram animorum picturam contemplatione seria nobis exhibuit Io. Barclaius, Palatina-

neglectos in ordinem redegerit, comprobatos a Rege & ordinibus dederit legendos & tractandos: & quidem sermone Latino, ob archiuorum sacrorum, litium vetustarum auctoritatem, atque Gallicorum, vnde hæc mutuo sumta & deportata, terminorum receptam hærentemque in animis & subactam prorsus opinionem. Ipse Collector in epistola ad Lectorem Magistrum Stephanum de Werbewcz personalis præsentiæ regiæ Maiestatis Locumtenentem *se adpellat, & in hac opera* συνεργοῦντας *regiæ sedis iudiciariæ adsessores iuratos & protonotarios laudat. Erat autem* Personalis *siue* Locumtenens *inter judices ordinarios curiæ Regiæ postremus, iuxta Palatinum, Judicem Curiæ atque Cancellarium, Regis vices sustinens.*

tus Vngarici mentionem iniecit sequentem. Nihil ex se decernere, sed obstare Regi potest, quidquam publicum sancienti: cui postquam suo suffragio intercessit, infirmum est, quod deinde statuitur. Hunc plurimi colunt, ceu libertatis vindicem, oppositumque Regibus, vt olim Tribunatus consulibus Romanis potestatis modum fecit. Scias inde magnos gentis animos, ac nimium tumentes, dura aut soluta pati non posse imperia, nisi, quod in prouinciis illis cernas, quas Turcæ inuaserunt, acri cogantur metu, premente spem omnem libertatis.

IV Satyr. c. 8.

Veriora magis dici non poterant, quæque vim huius magistratus & ingenium gentis, cui inseruit, luculentius proderent. Pretium fuerit operæ, quo singula recte cognoscantur, ex publicis Vngarici regni decretis proferre vberiora. Aliquoties iam signauimus antiquam de Palatini officio & auctoritate ordinationem, quam Goldastus cum Imperialibus exhibet constitutionibus, & a Matthia Coruino Rege & Vngariæ Ordinibus anno MCCCCLXII renouatam esse scribit. Vellem & addidisset, quis Imperatorum primus eam promulgarit olim, aut legis efficaciam tribuerit. Inter decreta certe & constitutiones regni Vngariæ, quas Antistes Nitriensis Zacharias Mossoczi Tirnauiæ anno MDLXXXIII edidit, habetur integra, & anno MCCCCLXXXV, quo Emericus de Zapolya Palatinus fuit consensu regnicolarum a Matthia electus, in celebri conuentu publicata dicitur. Choppinus a) Jureconsultus Gallus eius potiora capita saltem delibauit, & ex hoc Io. Limnæus b). Quamuis & superius pleraque propter argumenti affinitatem

Tom. III p. 403.

a) de Dom. Gall. lib. III. t. 5. num. 4.
b) IV Jur. p. 4. n. 38.

tatem e ſingulis articulis recitauerimus, non tamen arbitramur nimium fore, ſi quæ in rem faciunt præſentem, breuibus heic etiam repetamus. Nicolaus Telegdinus, Quinqueeccleſienſis Epiſcopus in *Enchiridio Decretorum & Conſtitutionum Vngariæ*, cum tripartito Iuris opere a Sambuco publicæ lucis facto, Palatini officium ex eadem antiqua lege & ordinatione tranſcripſit. Palatinũ Rex cum conſilio regni eligit, qui in electione regis „ primam habet. Regis in ætate tenera conſtituti tutor „ eſt, duranteque principis pupillari ætate ei obedire de- „ bent omnes: interim Rex eſt e rege non exiſtente. Eſt „ etiam in generali expeditione ſupremus Capitaneus, „ ſeditiones regnicolarum ſedare debet, & in his punire „ ſontes. Rege & Regno diſſidentibus, mediator eſſe „ debet ad pacem conſtituendam. Regis ignari, aut ſim- „ plicis defectum ſupplet in reſpondendo oratoribus. Si „ rex alicuius bona illicite confert, debet apud eum in- „ tercedere pro termino ad diſcutiendum, donationis „ conditionem aſſignando. Iudicat omnes cauſſas, & de „ oneribus iudiciorum coram eo emerſis Rex non debet „ diſponere. Regis abſentis vicem gerit. Eſt iudex Co- „ manorum,* a quibus accipit ter mille aureos annua- „ tim. Dalmatiam iudicat, in qua habet certas inſulas. „ Iudicat quidem omnes cauſſas, ſed ſententiam capita- „ lem, aut amiſſionis poſſeſſionum, ſine conſcientia Re- „ gis, fol. 54. 55.

* *Sunt Comani Tartari, Valachis vicini. Cumanos quoque vocant, & cum Moldauis coniungunt. A Ladislai III temporibus, qui anno 1276 pacauit eos, Hungariæ ſubiecti & tributarii facti ſunt.*

„ gis, contra nobiles non pronuntiat. In iudiciaria ex-
„ peditione poteſt cauſſas violentiarum, ſub ipſa expedi-
„ tione commiſſarum, videre. Non raro contigit, vt viuo vel etiam defuncto Palatino Locumtenens Palatinalis ſiue Propalatinus eligeretur, qui cauſſas pariter iudicabat, & ſuum rurſus vicegerentem & Protonotarium habebat. Fiebat hæc electio vtplurimum in Comitiis particularibus, litteris ad omnes regni comitatus, quos Spanſchafften adpellant, datis vt eius adminiſtrationem pari conſenſu ratam & acceptam eſſe vellent, donec in conuentu generali per ſuffragia omnium ſciſceretur Palatinus & confirmaretur. Plura qui noſſe deſiderat, Codicem decretorum Tirnauienſem euoluat, quo ad annum M DLXXVIII, ſiue Rudolphum Imperatorem, Vngariæ & Boemiæ Regem, ordine ſingula diſponuntur deque Palatini munere ac aliis eius functionibus variæ Regum ordinationes habentur.

Italiæ Palatini primum ex hactenus allatis merebantur locum, quod apud illos hæc dignitas orta, & innumeris pæne modis mutata hodienum a Palatio Lateranenſi Romano in eximium honoris decus concedatur, maxime vero quod Imperii ius in vrbem intemeratum exinde poſſit argui. Quando ſit ab Imperatoribus *Italiæ Palatinatus* conſtitutus, non eſt adeo liquidum. Antiquiſſimum eſſe, & iam ante Francorum in Italia principatum cum Exarchatu in plurimis facere paria, non falſo putatur. Poſtquam vero Pipinus atque Carolus Longobardorum potentia vndique arctata fractaque domini eſſent Italiæ, non poterant aliter, quin eos ordinarent magiſtratus, qui vicaria iurisdictione fungerentur,

tur, & partes ſibi commiſſas fideliter adminiſtrarent. Saxonici Imperatores Francorum mores & exemplum ſecuti, maiore tamen clementiæ fama, Duces, Comites ac alia feuda regalia, inter quæ Palatinatus cumprimis eminebat, per Italiam leguntur inſtituiſſe. Neque ab his diuerſa voluerunt ſucceſſores in Imperio reliqui. Vereor, ſi hæc teſtibus ex illo æuo demonſtrare conarer, ne ſint qui criminantes omnem me conuerſurum puluiſculum exprobrent.

Imperii Romani diuiſionem ſupra dedi, in Teutonicum & Lombardicum, ſiue Italicum, in quorum vtroque Vicarii fuerunt Palatinive a Cæſaribus præfecti. De illis vidimus, ſuperſunt *Italiæ Palatini*. Qui tamen non ſemper hoc nomen habuerunt, ſed *Vicarii generales*, *Capitanei*, *Cattanei*, *Vicecomites* fere vocantur. Fridericus II Imperator in Italiam profecturus Henricum, Angliæ regis filium, in Sicilia Vicarium reliquit, facto in ſolenni curia generali mandato vniuerſis regni fidelibus, vt eidem velut imagini perſonæ Imperatoriæ reuerenter intenderent & obſequerentur. Sed hic ad mediocre ſpatium ſumtus præerat, donec Imperator rediret, & a Vicariis per Thuſciam Lombardiamque hoc ipſo diſtinguebatur, quod iſti perpetui eſſent. Palatinum, ſedem in caſtro Imperiali Lunello habentem, Güntherus poeta deſcribit, de Papia ciuitate loquens. *Adſpice, quam turpi Lunelli nobile caſtrum atque Palatini ſedem fidosque penates verterit illa dolo, comitem ciuesque vocabat perfida* ---- Pergit in Papienſium inſidiis & dolis recenſendis, quibus Lunellum ceperint, & quo denique modo Palatinus dimiſſus aulam Imperatoris ſecutus ſit:

Freher. ad Andl. II, 10. Strauch. de Oppign. rer. Imp. c. X.

P. de Vin. III. Ep. 21.

III Belli Ligur. ab init.

Et nunc ille comes consors & regius aulæ , ille potens princeps, sub quo Romana securis Italiæ punire reos de more vetusto debuit. Vnde non obscuris patet indiciis antiquitas Palatini in Italia, & suprema gladii potestas, a Cæsare data. Quod autem Palatini cum Vicariis generalibus Fridericorum ætate fuerint iidem, docetur rescripto *de commissione Vicariæ cum potestate gladii*, quam cum aliis Friderici II constitutionibus, eius Cancellarius, Petrus de Vineis , magna vir prudentia, nobis conseruauit.

lib. V Ep. 1. Quæ huc pertinent, velut compendio facto recitabo. De tua prouidentia & fidelitate confisi, te de latere nostro sumtum, de palatio nostro missum, generalem Vicarium, a Papia inferius in Lombardia, velut conscientiæ nostræ conscium, pro conseruatione pacis & concordiæ, specialiter destinamus, vt vices nostras vniuersaliter geras ibidem. Nec sola vicarii potestate volumus te contentum esse, licet hoc nomine censearis, sed præterea Præsidatus officium adiicimus, concedentes tibi merum & purum imperium, gladiique potestatem. Quam & Palatino Italiæ commissam fuisse Güntherus aiebat. Hæc autem sequentibus contenta erat, vt in facinorosos animaduerteret, Prouinciam a maleficis integram præstaret , eos perquisitos aut captos puniret, itinera & publicas vias a prædonibus obsessas purgaret; criminales & ciuiles quæstiones audiret, cognosceret, decideret, banna mulctasque imponeret, vbi expediret; decreta super transactione alimentorum, alienatione ecclesiasticarum rerum & tuitione minorum petita secundum iustitiam interponeret, curatores daret, in integrum restitueret, adpellationes a sententiis ordinario-

rum

rum iudicum & eorum omnium, qui iurisdictionem ab Imperio habent, susciperet, aliave. Pleraque cum Palatini officio, vberius huc vsque deducto conueniunt, atque excellentiam eius egregie demonstrant. Quod autem Vicarius a Capitaneo non multum sit diuersus ex Petri de Vineis indicatione, qui styli curiæ suo tempore hauddubie fuit peritissimus, ostenditur. Epistola CXXVI libri V hanc inscriptionem præfert: *Fidelibus nostris Thusciæ, vt obediant Capitaneo, quem mittimus.* Quæ in litteris ipsis declarantur: *Martinum de Ebulo ad partes Thusciæ loco & vice nostra destinamus.* Est idem Martinus, quem antea dixerat *Vicarium generalem in* *lib. II, ep. 10.* *Ducatu Spoletano.* Pandulphus de Fasanella sæpius alias *Vicarius in partibus S. Imperii generalis*, epistola tamen LXXX libri V *Capitaneus in Thuscia*, item simpliciter *Vicarius in Thuscia*, postquam vero cum aliis Imperatoris domesticis & alumnis in domini necem coniurationem fecerat *proditor* quoque dicitur. Eodem libro Thomas de Marino epistola XLVI *Sacri Imperii in Romangia Vicarius generalis*, mox epistola CXXVII *Capitaneus generalis*; Sardiniæ Rex Henricus *S. Imperii in Romaniola Vicarius generalis*, alibi *S. Imperii in partibus Italiæ Legatus generalis audit.* Generalibus vicariis adhuc suberant alii, minore iurisdictionis vi ac potestate constituti, ceu patet exemplo Bulgari, Juris Romani Bononiæ Doctoris, quem propter insignem doctrinam, & prudentiæ laudem, Fridericus I Imperator ciuitati Bononiensi Vicarium dedit, teste Guid. Pancirolo, *de claris Legum In-* *lib. II, 26.* *terpretibus*. Cuius muneris hæc fuit ratio, vt adpellationum caussas, quæ summam librarum XXV Bononien-

sium excederent, vi transactionis in pace Constantiæ
Pancir. l. c. factæ iudicaret Tanta vero æquitate Bulgarus in hoc magistratu ius dixit, vt eius sententiæ de ambiguo iure probatæ in vniuersa Italia vim legis habuerint, exemplo Crassi, quem contra receptas in iure opiniones & ipsum ius scriptum multa pro bono & æquo dixisse Cicero
De claris orat. scribit. Dignitatum istarum, sicut aliarum in Germania, memoria per Italiam hodienum manifesta est in quibusdam familiis, quæ nomen ab illis retinuerunt,
In Orig. Lingu. Ital. in Valuass. item Comt. tradente Octauio Ferrario, qui simul & de clarissimo gentis suæ lumine, Marchione Vercellino Maria, memorat, quod Vicecomitum originem a Desiderio Longobardorum rege, serie nusquam interrupta duxerit, & hanc irrefragabili veterum monumentorum fide ostenderit.

Post Friderici II tempora, quibus manu quasi regia cuncta gerebantur, potentibus voluntas pro ratione, ac vis pro iure erat, Pontifex cum aliis in Italia suis quoque rebus studebant, & iura Imperii multis modis vsurpabant. Circa generales Vicarios & minores alios, quin mutatio sic facta sit, nemo potest ambigere. Guelforum factio, tunc opibus valida, consiliis & fatali rerum successu Pontificis sacerrima studia prouehebat, Imperii contra maiestatem vndique atterebat, & concidebat. Magistratus, dignitates aliaque priuilegia concedendi penes vnum summum Pontificem esse volebat, & contra Gibellinos, qui fideles Imperio per Italiam deuotique mansere, strenua armorum vi contendebat. Vicarios Imperii Pontifex, quod Imperator nullus esset, suprema potestate vrbibus Italiæ imposuit, de sensu & ingenio

genio

genio ſuo electos, quæque hinc iura ſequuntur alia conceſſit, legitimis reſtituere natalibus, emancipare, manu mittere, tutores, curatores dare, tabelliones & magiſtratus alios conſtituere. Et hoc ius non male ſumſiſſe videbatur, reddendum ſi Imperator a principibus Germaniæ factus eſſet. Verum quod magnum inde hierarchiæ incrementum accederet, omni arte ac vi retinere conabatur, Rudolpho Imperatore vel aliis in nouo principatu negotiis & bellis diſtento, vel ad tempus conniuente, vsque dum Ludouicus Bauarus Imperii maieſtatem omni ope ac vi reſtitueret. Indolem huius & heroici ſanguinis auſa ſentiebat Apoſtolica ſedes, atque hinc electionem eius indignabunda accipiebat. Ioannes XXII non ſine diuturna Cardinalium altercatione modo datus erat Pontifex orbi, cui per id tempus Auenione degenti Cæſar miſſis oratoribus electionem nunciauit, & ſolennem Imperii poſtulauit inaugurationem. Ludouicus diſplicuit Ioanni, & repulſus eſt, maxime quod ius ab anteceſſoribus Papis vſurpatum in Italia vindicaſſet Imperio, & vicarios vrbibus dediſſet, antequam confirmatus eſſet. Inde noua lis & mox ingens bellum, cuius euentu docuit Imperator, quam nulla Pontificis iura inuaſiſſet, ſed iniuſte poſſeſſa repetiiſſet. Anno demum quarto decimo ab electione ſua Romam ingreſſus, & poſtulata inauguratione confirmatus eſt. Non poterat iuſtiſſima hæc Ludouici Imperatoris iurium Imperii aſſertio Pontificiis grata accidere, quam propterea paſſim criminantur, & non ſermone magis, quam affectu admodum turbido traducunt. Egit poſt alios Pontificis cauſſam Bzouius, e coetu Dominicano-

rum, impudico, audaci ac ſæpius rudi ſtylo res cum gloria geſtas a Ludouico Bauaro deſcribens, quem graui pragmaticave ſcriptura confutauit atque iniuriarum poſtulauit Io. Georgius Hervvartus, Præſes Suabæ & inclytorum Bauariæ ordinum Cancellarius, demonſtrans quod diuæ memoriæ Imperatorem, Ludouicum IV, contra ius, fas, æquum, verum in mendoſiſſimis annalibus inſectatus grauiſſimis calumniis onerarit.

In Ludouico defenſo, Monachii 1618.

Inter quam plurima vero bene conſtituta tota Italia referri debet inſignis prærogatiua, qua Caſtrucium Caſtracanem, nobili familia apud Lucenſes ortum, ob præclara merita dignatus eſt. Primo ducem ipſum patriæ ciuitatis Lucenſis fecerat, & hinc Piſtorienſis, Volaterranæ & Epiſcopatus Lunenſis, attributis ei duobus etiam Piſanorum caſtris, Sartana & Rotina, itemque monte Caroli & Petra Sancta, ſicut Io. Villanus Florentinus a) teſtatur, mox Romæ Palatii Lateranenſis Comitem, vicarium & Senatorem, vt idem ſcribit. b) Iouius addit Imperialis aquilæ vexilliferum quoque creatum eſſe: cum vero neque Villanus, neque Corius, fere contemporanei ſcriptores, eius dignitatis meminerint, Hervvartus in dubiis habuit. Sed res eſt luculenta ex litteris Imperatoris iam producendis. Qui vitam eius dedit Nicolaus Machiauellus, Caſtrucium per omnem Thuſciam *Vicarium Imperii* nominat, & tanta inſuper fuiſſe virtute commemorat, vt Philippum Macedonem & Scipionem Romanum, quibus nulla ex parte inferior, procul dubio ſuperaſſet, ſi ipſi loco Lucenſium vel Macedonia vel Roma patria obtigiſſet. Alius etiam, rerum a Caſtrucio geſtarum ſcriptor, ab Aldo Manutio editus,

a) Hiſt. ſui temp. cap. 38. & 47.
b) c. 56. prope fin.

p. 12. edit. Conring.

editus, diploma Ludouici Imperatoris inſerit, quo Comitatum Sacri Palatii Lateranenſis ab vſurpatione Pontificis adſertum & Imperio vindicatum Caſtrucio concedit. Inde fortaſſis accepit Goldaſtus, qui tomo I Conſtitutionum Imperialium ad annum MCCCXXVIII exhibet, quod cum huc pertineat, adſcribemus integrum.

Conf. Freb. II. Orig. Palat. cap. I. Not. ad And. II, 6.

„ Ludouicus Dei gratia Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, illuſtri Caſtrucio Duci Lucano, Sacri Lateranenſis Palatii Comiti & Romani Imperii vexillifero, ſuo & Imperii fideli dilecto gratiam & omne bonum. Dignum eſt & Maieſtati Imperiali proprium, vt ſicut quotidie fidelium augetur ſubſtantia & deuotio, ita eis Imperiale culmen augeat dignitatis priuilegia & honores. Sane experientia docente nouit Imperialis Maieſtas maximam fidem, deuotionem & conſtantiam tuam, & ante & poſt collatos a nobis tibi honores, vltra ceteros fideles Imperii de bono in melius quotidie profeciſſe. Vt igitur præmiſſorum contemplatione ad ampliores dignitatum apices per Imperiale culmen tua deuotio attollatur, de conſilio & aſſenſu procerum noſtræ Imperialis aulæ, tibi & ſucceſſoribus tuis ex te natis & naſcituris per lineam maſculinam in perpetuum, Comitatum ſacri Lateranenſis Palatii (quem ad fiſcum noſtrum & Sacrum Romanum Imperium iuſtis & legitimis cauſſis deuolutum & adplicatum pronuntiamus & declaramus, & ad omnem dubietatem tollendam deuoluimus & adplicamus) damus, concedimus & donamus, & ex certa ſcientia & plenitudine poteſtatis: & te & prædictos ſucceſſores tuos in perpetuum eligimus, conſtituimus, præficimus &

„ creamus comitem & Comites ipsius sacri palatii Late-
„ ranensis, vosque de Comitatu prædicto inuestimus &
„ infeudamus, tanquam veros fideles Imperii & vasallos:
„ dantes & concedentes, & tribuentes tibi & eis, omnes
„ & singulos honores, & omnia & singula priuilegia, &
„ emolumenta, quos & quæ Comites prædicti sacri Pa-
„ latii habent & habuerunt quoquo tempore, de tem-
„ pore, de consuetudine vel etiam de iure. Decla-
„ rantes & nunc per hoc nostræ Serenitatis indultum ti-
„ bi & prædictis successoribus tuis ex prædicta Comita-
„ tus dignitate competere ius assistendi perpetuo bene-
„ dictioni, sacræ vnctioni & coronationi successorum
„ nostrorum Principum Romanorum, & omnibus &
„ singulis ipsius coronationis solennitatibus: & præci-
„ pue sociandi & deducendi ipsos Romanos Principes,
„ tempore coronationis fiendæ de eis, ad sacram vn-
„ ctionem de ipsis faciendam, & eosdem Romanos Im-
„ peratores successores nostros tenendi & iuuandi in ipsa
„ sacra vnctione & actu ipsius, & eadem vnctione per-
„ fecta, eos reducendi & sociandi ad altare & thala-
„ mum, prout & quoties principes expediunt redire.
„ Item ius leuandi & tenendi Imperiale diadema, de no-
„ stro & successorum nostrorum Romanorum princi-
„ pum capite, tempore quo Imperialis coronationis so-
„ lennia celebrantur & etiam quocunque alio tempore,
„ quoties publice ipsum diadema expedierit eleuare de
„ capite nostro & successorum nostrorum Romanorum
„ Principũ reponi. Quæ omnia & singula supra scripta va-
„ lere & tenere volumus, & iubemus ex certa scientia de
„ plenitudine potestatis, iure aliquo non obstante. Nulli
ergo

ergo omnino hominum liceat hanc noſtram paginam „
in aliquo violare; vel ei auſu temerario contraire. Si „
quis vero hoc attentare præſumſerit, grauem indigna- „
tionem noſtram ſe nouerit incurriſſe. In cuius rei te- „
ſtimonium præſentes conſcribi & ſigilli Maieſtatis no- „
ſtræ robore, cum annotatione teſtium ſubſcriptorum „
iuſſimus communiri: Rudolphi Ducis Bauariæ, Princi- „
pis & patrui noſtri cariſſimi, Henrici Ducis Brunſui- „
cenſis, Ludouici Ducis de Tek, Hermanni de Linthel- „
berg Cancellarii noſtri, Alberti dicti Symiel de Lin- „
thelberg, Mareſcalli noſtri, Meinhardi Comitis de „
Hortenburg, Ottonis Comitis de Corlamende, Ioan- „
nis Comitis de Claramonte, Conradi Comitis de „
Truchendingen, Conradi de Zoluſelberg, nec non „
nobilium virorum Iacobi de Columna, Sciaræ & Ia- „
cobi de Sabellis, Senatorum Vrbis. Datum Romæ, „
XIV die menſis Martii, indictione II, anno M „
CCCXXVIII, regni noſtri XIV, imperii primo. AEquis-
ſimum hoc Maieſtatis Imperatoriæ factum eſt, in media
Roma præfectum vrbi dare, qualem hactenus reproba-
uerat in vicinis opidis Pontifex, & hoc ſui iuris eſſe ſta-
tuerat. Dolendum vero Caſtrucio defuncto nullum
extitiſſe ſuorum, qui tanta prudentia tamque rara felici-
tate muneri huic præeſſet. Paulus enim Guinigius Me-
diolanenſis, quem ob paterna in ſe beneficia loco filii
habebat, & heredem dignitatum pariter ditionumque
relinquebat, ſicut virtute inferior, ita & fortuna fuit,
quod haut multo poſt obitum Caſtruci Piſtorienſium
& Piſanorũ dominio exciderit, Lucenſes vero ægre con-
tinuerit, idque ſaltem in pronepotem ſuum Paulum
 trans-

Machiav. l. c. transmiserit. Qualis aut e qua familia natus Comes ille Palatii Lateranensis & primicerius Iudicum Romanorum fuerit, qui Fridericum III ex præscripta muneris formula hinc inde deduxit, quemque P. de Andlò totum regiæ vnctionis actum describens indigitat, non adparet. lib. II, 6. Pontifices certe, quo semper fuerunt animo erga Imperium eiusque iura, non destiterunt optime constituta abolere, sibique contra fas & pium vel arrogare plurima vel quomodocunque adquisita aliis elargiri, qui se totis opibus consecrarent illis ac deuouerent. Factum est inde, vt, quod siue emendicatione, siue alio prætextu se possessores Palatii Lateranensis ferrent, ab eodem Comites denominatos, non aliter ac Imperatores crearent. Sed hi maiore vi suo connixi iure in memoriam pristini dominii Comitiuam Lateranensis Palatii hodieque conferunt, inuicto argumento, Cæsarum auctoritatem potestatemve Romæ insignem adhuc esse. Ac licet istorum Comitum officium in diplomate Ludouici fere absoluatur ministerio in solenni & Imperiali inauguratione obeundo, quale & Mediolani Cottarum familia habuit, vt regiæ coronationis processioni interesset, & Imperatorem a latere iuuaret: reliquum tamen Vicarii siue præfecti munus huic annexum subintelligendum venit, quod ex Friderici II constitutione supra designatum est, quodque vlterius iam persequemur.

Freher. l. c. p. 173.

Palatii Lateranensis, Sacri Consistorii Imperialis, aulæ Palatiique Cæsarei Comites, a quibus creentur? Palatium Aquisgranense cur & Lateranense vocetur.

Interiora palatinæ dignitatis ac velut penetralia ingresſi conſiſtimus tandem in illa parte, qua extrema licet attingere ſimul & circumſpicere, qua definant reliqua. Plurium reprehenſiones ac ſæuum procul dubio ſentiemus vituperium, quaſi nimia, aliena, vel pauciora minusve digna iſto argumento ſcripſerimus. Verum nec omitti poterant illa, propter cohærentem rerum nexum, nec ſuppetebant hæc iam præſtantiora. Fatemur inde, multa breuius dici, plurima loco exhiberi alio commodius potuiſſe, ſi nacta fuiſſent conditorem ætate grauiorem & iudicio, nec minus a lectione & documentis inſtructiorem. Satis habemus, per hanc exercitationem pretium tempori poſuiſſe, virium inſuper feciſſe periculum, & inprimis doctis huc inuitantibus morem geſſiſſe. Quæ ſuperſunt igitur perficiemus, & quales *Palatini Cæſarei, Palatii Lateranenſis, ſacri Conſiſtorii Imperialis, aulæ Palatiique Cæſarei Comites*, des Reichs-Hofgrafen/Keyſerliche HofPfaltzgrafen/ aut quibus elogiorum vocabulis veniunt aliis, ab origine ſua, muneris dignitate ac variis iuribus cenſeri debeant, exequemur. Quæ horum ſit differentia & diuerſitas a ceteris hactenus deſcriptis facile adparebit lecturo.

Iam antea vidimus, quæ poteſtas fuerit & ordinatio Palatinorum in Italia, Vicariorum generalium ac minorum etiam, qui hunc magiſtratum ex ſingulari conceſſione geſſerunt, quæque fuerit Imperatorum in hoc iure ſibi vindicando maieſtas. Ex his ipſis poſtea dignitate, qua nihil eſt inconſtantius in ſtatu publico, ex parte vel mutata, vel aucta, Comitiua Palatii Cæſarei videtur enata, vt qui prius vicarii, vicecomites, vicedomini

essent, iam Comites Palatini, sacri Consistorii Imperialis Comites ac Senatores, itemque Palatini simpliciter, aut æqualibus titulis adpellarentur. Non vna tamen ratione hoc ita euenit. Ante Ludouici Bauari tempestatem vix legas eiusmodi Comites ab Imperatoribus fuisse creatos, qui tutores atque curatores dederint, qui maioribus æque ac minoribus, quibus vniuersa iura succurrunt, caussa cognita restitutionis in integrum beneficium impertiuerint, tabelliones creauerint, aut alia vice ac nomine Cæsarum in republica peregerint, cum hæc ad Vicarios pertinuerint. Hoc autem adhuc imperante, & Romæ cum gloria & supremo dominio commorante, Castrucium Lucanum Ducem Lateranensis Palatii Comitem fecisse, & mox celebrem Forestariorum gentem de Bergamo, anno M CCCXXX, eadem dignitate honestasse nouimus, cum exemtione & immunitate omnium onerum. Quæ igitur iura siue priuilegia deinceps Palatii Cæsarei comitibus sunt collata, vicariatui per Italiam tempore Fridericorum, & postea quoque competiisse palam est. Iure enim ciuili Romanorum per doctores Italos, & maxime Bononienses summo studio exculto, inque forum recepto, factum est, vt moribus antiquis adoptiones, arrogationes, emancipationes, manumissiones fierent, natalibus restitueretur, venia concederetur ætatis, notarii publica auctoritate constituerentur vel ab Imperatoribus ipsis, vti formulæ fere omnium horum, quas Petrus de Vineis habet, testantur, vel a vicariis per Italiam, qui potestatem hanc ab Imperatoribus acceperant, cuiusque rei constitutionem supra recitauimus.

lib. V & VI.

Cum

Cum vero ſanctæ ſedis Apoſtolicæ artibus ac depravatis aliorum ſtudiis ius inſtituendi vicarios cœpiſſet eſſe iurisdictionis contentioſæ, & Pontifex non deſiſteret ad malorum finem graſſari, Imperatores tandem pertæſi rei tot incommodis obnoxiæ reſeruarunt ſibi de poteſtatis plenitudine, ut de Palatio Lateranenſi Comites crearent, qui pari cum vicariis iure gauderent, & ſingulis mandatæ iurisdictionis partibus cum illis fungerentur. Patebit hoc cuiuis munera comparanti, ac quænam vtriusque iura fuerint in contentionem mittenti. Qui primus tanto dignus honore repertus Caſtrucius, vti noſcitur ex eius diplomate, tantum habuit, vt ſolenni coronationis Romanæ ritui intereſſet, ac Imperatori ſeruiret. Sed cum vicarius Imperii per Thuſciam iam audiret, & dictis iuribus per excellentiam frueretur, non opus erat illa denuo ſignare. Aut dicendum, Comitatum iſtum iam ante obtinuiſſe, vti pariter ex diplomate colligi poſſe videtur, vel tanquam Præfecturam vrbis Romanæ æquam ſemper habuiſſe vim & poteſtatem cum vicariis, vnde reliquis Comitibus deinceps nomen & munus conſtiterit. Nec diu erat, quod Imperator iſtos Comitiuæ honores tribuerat, cum Papa quoque ſiue æmulatione, qua ſæcularibus nunquam non incubabat, ſiue ſacro prætextu alio hoc ius occuparet, atque comites inde magno prouentu in terras Europæ mitteret. Quin obſederat tunc ſacer iſte horror animos quorumdam adeo, vt perſuadere conarentur orbi, iuxta machinam ſpiritualem Pontifici commiſſum eſſe omnem honorum theſaurum, neque dignitatem exiſtere vllam, qua ſpiritualem, qua ſæcularem, cui non præſi-

Barbar. Phil. *in tr. de offic. Praet.* Piso Soacius *de Rom. & Venet. magistr. comp.*

deat ille. Sed hi erunt, qui aliena viuunt quadra, homines inepti & somniis oppressi, de quibus verendum ne post aliquot dies desinant in deliria. Manifestum quippe est, comitum a Pontifice missorum in Imperio nullam esse rationem habitam, nec haberi debere: in Gallia vero quendam Io. Nauarrum, Pontificis auctoritate notarios creantem ac natalibus restituentem maiestatis esse damnatum a curia Tholosana, e Bened. tradente Io. Limnaeo.

l. c.

Aliter se res habet cum Imperatore Romano, qui iure nixus inconcusso, virtuteque supremae potestatis, ex more antiquo, suo ac totius Imperii nomine priuilegia, immunitates, dignitates comitibus aulae palatiique sui per vniuersas Imperii terras concedit: ita tamen vt huius concessionis litterae siue diplomata vim & legitimam adipiscantur confirmationem, si ex Imperiali Cancellaria soluta prius ordinaria taxa, quam vocant, impetrentur. Neque vero dignitatis huius praerogatiua aliis, nisi illustribus ac vel parentum & maiorum, vel propriae virtutis laude inclytis viris ab initio concessa fuit hodieque conceditur. Locus ab omni labe sit immunis in quo dii habitant: ita & illi, qui tot egregiis actibus maiestatis Imperatoriae vicem sustinent, eximii sint oportet, tanti muneris capaces, omni honorum genere digni. Exempla dedit ipse huius Comitiuae vel auctor, vel restaurator, Ludouicus Bauarus, in Duce Lucano, Forestariorum familia, & Bertoldo Comite Hennebergensi, cui Palatii Lateranensis comitiuam ob praeclara in se merita & Imperium, cuius in Franconia vicarius aliquandiu fuit, largiebatur, vt & ipse & eius posteri, singuli

Spangenb. in Chron. Hen. lib. V. p. 189.

dum

dum viuerent, XXV bastardos legitimare, & V notarios creare possent. An & qui tempore interregni, vel Cæsare absente, præsunt Imperio Vicarii hanc potestatem habeant, vt Comites tales creent, minus videtur dubii, quod in Constitutionibus super hoc officio factis, Ruperti maxime & Sigismundi Imperatorum, quas legimus, omnia iura summæ potestati reseruata, & Palatinis alias concessa, plenissima potestate illis dentur, & præterea mandetur singulis Imperii ordinibus, vt officialibus, quos loco sui ordinauerint, intendant realiter & cum effectu. Quæ non possunt alio trahi, quam vt iis, qui munus in republica siue a Cæsare, siue vicariis generalibus habent sibi commissum, quos inter fuerunt vtique vicarii minores, ac his æquales in plerisque mandatæ iurisdictionis partibus Comites Palatini Cæsarei, fidem adhiberent & munere suo fungentibus nusquam impedimento essent. Exinde mansit hauddubie Palatino ad Rhenum eximia facultas non solum creandi nobiles, sed comites etiam, quam Freherus diuersis actibus comprobatam, extra controuersiam esse scribit. Quando vero abhinc deriuatam vlterius arbitratur in Comites Palatinos Cæsareos potestatem insignia dandi, plebeios nobilitandi, & alias iudicis partes exequendi, non refragatur sententiæ, qua statuimus, Vicarios generales, quo pluribus forent vsui, & honestis gratificarentur desideriis, alios ordinasse, qui Cæsarea auctoritate concessas in publico exercerent actus, atque dignis tribuerent præmia, vbi honor imperii ac necessitas postulasset.

Freher. ad Andl. II, 10. it. I Orig. Palat. c. 16. Gold. tom. 1. Const. ad annn 1401. 1434.

Not. in Andl. II, 11.

Et quis posse dubitaret tanta principes auctoritate, personam repræsentantes Imperatoriam, hanc e regali

gali munificentia dignitatem non conferre, cum longe inferiores eam habeant communicatam, & Comitiuæ honore plurimis dato poteſtatem eius hactenus demonſtrarint. Carolus IV Imperator Ioanni Amadi Patauino, in ſanctiore Conſiſtorio ſuo Senatori, ob incomparabiles animi dotes & eminentem conſilii vim, quo multa tunc in Imperio feliciter gerebantur, Pragæ anno M CCCLXIII, die III KL Iunii, Comitiuam Palatii Lateranenſis nouo exemplo dedit, ut non iudicialia ſolum impertiret beneficia, manumitteret, emanciparet, adoptaret, arrogaret, tutores, curatores, iudices ordinarios inſtitueret, ſed ſummam quoque clementiam Imperatoris cum aliis communiraret, dignitates in quouis ſtatu ac vitæ genere elargiretur, ciues Romanos, milites armatæ militiæ, Doctores crearet, Capitaneos, Valuaſores, Comites Palatinos efficeret. Exemplum hoc memorabile pertinet ad largitatem Caroli, qua ſæpe proceſſit ad ſumma, quave donare conſueuit inuſitata, non ſine nominis gloria, cui plurimum hauddubie acceſſiſſet, ſi modum ei feciſſet. Non conſtat, ſimile quid obtigiſſe vlli, vel ab eodem, vel ſucceſſoribus, qui dignitatis huius amplitudinem veris momentis æſtimantes eam varie diſpenſarunt. Neq; ſolus Ioannes de Amadis beneficium ita conſecutus eſt, vt cum eius vita terminaretur, ſed hoc omni familiæ maſculæ datum, vsque dum floreret, & capacia tantæ dignitatis ingenia proferret. Debent ei honores & iura Comitiuæ in Germania noſtra doctrina & ingenii monumentis clari, *Paulus Meliſſus* Francus, conſiliarius in aula electorali Palatina, & *Bernhardus Prætorius* Haſſus, in republica Norimber-

genſi

gensi Syndicus. qui concessi diplomatis vi, ac primæ constitutionis contemplatione, non vulgato more se *Comites Palatinos* tantum, sed *cives* insuper *Romanos, equites* aut etiam *milites armatæ militiæ* scripserunt. Prætorius in epistola ad Ianum Gruterum data, quam Chr. Arnoldus, selectissimæ vir eruditionis, cuiusque examussim docentis ætatem gratus recordabor, nuper edidit, sui per Italiam repetiti meminit itineris, & palatinæ pariter dignitatis, quam se ab eodem, a quo Melissus, impetrasse ait. Ferrandus is erat de Amadis, Imperialis vicarius, qui, vt verba diplomatis habent, per fidem Philippi Hassiæ Landgrauii, S. Cæsareæ Majestatis totiusque Romani Imperii nomine atque auctoritate, Bern. Prætorium & *ciuem Romanum, & militem armatæ militiæ, & comitem Palatinum* fecit, creauit, Patauii anno MDC VIII, die XIX Augusti. Inter præcipua huius actus momenta notabilis est *fides & commendatio Philippi Landgrauii*, qualis ab Imperii principe, siue summæ auctoritatis viro alio semper requiritur, vt deinceps videbimus: item *ciuitatis Romanæ donatio*, quam per vicarium suum Imperator largitur, luculento signo dominii, quod illi competit in vrbem Romam, ac tandem ipsius *concessionis confirmatio*, vel ab Imperatore, vel eius vicario facta. Sic enim porro scribit Prætorius ad Gruterum. Ne quis curiosulis nasutulisve cauillandi locus esset confirmationem eius dignitatis ab serenissimo Domino Administratore, ante biennium, durante interregno, cum Imperialem repræsentaret maiestatem, impetraui. Quam eiusdem firmitatis & roboris esse iudico, ac si ab ipsomet Imperatore profecta esset. Sane ante annum Vi-

Annotat. ad Memor. Fürer.

„ ennæ a secretis aliquot S. Maiestatis consiliariis eadem
„ vltro mihi offerebatur. Verum modeste recusaui &
„ gratias egi, quod illa iam ante huius & illius beneficio
gauderem. Pari cum Amadeis iure fruitur, quod ad potestatem creandi Comites Palatinos attinet, illustrissima Comitum Ortenburgensium familia, cui Carolus V id dedit, anno M D XXV, die XXI Martii, testante Io. Limnæo.

l.c. n.48.

Aliam adhuc iniit rationem, qua Comites Palatini Cæsarei fiant, Dom. Arumæus, quæstionem publica dissertatione proponens, an, qui per XX annos in Academiis ius ciuile docuerint, Comitis Palatini titulum adsumere possint? Argumenta non defuerunt, quibus doctoribus academicis tot aristas & frigidas hiemes perferentibus, ius interpretando, disputando, scribendo, iudicando, consulendo, & negotia reipublicæ tractando, eximium honorem assereret. Extantiora videntur esse sequentia, quod Imperatores augusti, Theodosius atque Valentinianus *lege vnica Codicis de Professoribus* hanc dignitatem statuant omnibus, qvi in vrbe CPtana Grammaticam, Philosophiam & Iurisprudentiam XX annis docuerunt: quodq; postea legem eandem Imperatores Germani aliis academiis accommodarint. De Patauina testis est Tiberius Decianus, ex authentico Friderici III priuilegio, anno M CCCC LII, die XXIII Ianuarii dato allegans, quod sicut de iure communi, qui legisset publice & docuisset ius vel canonicum vel ciuile per XX annos comes efficiatur, pari ratione qui legisset in studio Patauino per annos XVI saltē comes habeatur, & omnib9 gaudeat iurib9, quib9 alias gaudent, qui per XX annos

volum. II Discurs. IV.

vol. III Cons. XXXVIII, n. 31. conf. Menochium, c. LXVIII Quæst. iud. n. 54.

nos docuerunt. De Perusina testimonium Bartoli producitur, quod Theodosii & Valentiniani lex ciuitatis Perusinæ studio data sit æque ac ciuitati CPtanæ. Quando igitur in priuilegiis reliquarum academiarum, vti fere concipi solent, Perusinæ Patauinæque nomina legantur, & ad instar illarum concedantur iura, tunc ait Arumæus per ineuitabilem confici sequelam, Professores viginti annorum munere defunctos Palatinæ dignitatis participes fieri, & hunc titulum Palatini comitis adsumere posse exemplo Patauinorum ac Perusinorum, qui iure hoc perfruantur. *in d. l. vn.*

Verum plura in hac quæstione sunt internoscenda. Comites Palatinos iuribus præditos ac priuilegiis, qualia ex parte hactenus innuimus, minime fieri doctores academicos, manifestum est, quod neque in lege vna illa, nec omni Iustiniani codice honor ita legatur constitutus, sed legis ac moris sit multo recentioris. Primi ordinis comitiua ab Imperatoribus intelligitur, quam in titulum fere ac honoris incrementum datam fuisse, supra diximus. Occasio vero, qua moti sint, vt hanc Professoribus Constantinopolitanis dignitatem, exuicariis æqualem, statuerent, ex antiquissimo more capta, honestis viris & de republica præclare meritis domi militiæq; vacationem & ab officio dimissionẽ concedendi. Quinctilianus publicam scholam primus aperiens Romæ, & e fisco salarium nactus iam sub Vespasianis vacationis meminit & quietis impetratæ post viginti annos, quos iuuenibus erudiendis impenderit. Hanc postea semper acceptam, & a Constantini M temporibus Comitiuæ honoribus auctam esse, non sinit nos dubitare lex modo dicta, *Proœm. Instit. Orat.*

cta, qua sex tum CPtanæ vrbis professoribus, & in futurum omnibus, hæc decreta fuit dignitas, cui similem in Galliis quoque obtinere nouimus. Vt igitur Comitiua lege Theodosii iunioris & Valentiniani post vicena stipendia conferenda diuersissima sit ab illa, quam comites Palatini hodie sustinent auctoritate cæsarea, & ex illius concessione varios in republica actus exercent, quorum nec a Theodosio, nec in repetitis atque academiis in Germania Italiave datis priuilegiis vlla mentio facta est. Adhæc scopo distinguuntur vtriusque dignitatis possessores, cum illi comitiuam in vacationem & otium, hi vero propter certas iurisdictionis partes & ampla negotia suscipiant. Illis nuda conceditur dignitas, his cum dignitate munus in republica obeundum.

Non potest cuiquam dubium amplius esse, Comites Palatinos ita creari & nomen habere a Palatio Lateranensi Romano, quod Ludouicus Bauarus Imperio restituit, & a quo successores eius dignitatem Comitiuæ in hanc vsq; tempestatem intemerato iure impertiuerunt. Nulla certe admiratione dignum, ab memoria rei, quæ sub alius manu est, titulum tribui, quod hoc ipso possessioni alterius occurratur, & caussæ iustitia vindicetur. Magnus alias & scriptionis & ingenii laude Io. Limnæus, omnem circa hæc enatam difficultatem, & fluctuantes doctissimorum virorum opiniones arbitratur se superasse, legens in additionis I Ansegisi capitularium Ludouici Pii epigraphe, palatium Aquisgranense vocari quoque domum *Lateranis*. Concludit inde Comitiuam Palatii ab hoc, quod in ditione ac potestate sit Imperii, non a Romano concedi, cuius tantum nomen superstet. Verum

IV, 4. n. 44.

rum adparet abunde ſatis omnis huius tituli ratio, & archiſolii Aquisgranenſis denominatio, non duratura, aut ex publico ſcribendi genere recepta, ſed encomiaſtica, antiqui ſplendoris Romani æmula, cuius apud Gothos & Francos veſtigia paſſim obueniunt. Aquisgranenſem regiam vocant Lateranenſem ex imitatione Romani Laterani, ſicut vrbem ipſam Aquisgranum eius æui ſcriptores *Romam nouam* dixere, & Auguſtam Treuirorum *Romam ſecundam.* Quin Ludouici Bauari tempore, & antea quoque Aguisgranum non amplius Roma noua, nec palatium eius domus Lateranis legitur adpellata, ſed nomine tantum ſuo ac ſimplici ſemper venit. Nulla igitur memoria eius adpellationis extante, aut a ſcriptoribus frequentata, neque dignitatis hinc denominandæ ratio fuit. Cum vero ſacri quoque conſiſtorii comites, conſiſtorianos, aulæ palatiique Cæſarei comites & aliis nominibus ſcribi videmus, non exiſtimandum, quaſi diuerſi honores a ſe inuicem ſint, ſed ex antiquo reipublicæ ſtatu ſumtos vſurpantium conſuetudine inualuiſſe.

Quibus Imperator Comitiuæ Palatii ſui dignitatem concedat, & quibus moueatur cauſſis? Integris collegiis, familiis, Principibus, comitibus, viris genere, doctrina, virtuteque nobilibus aliis.

In tranſitu modo vidimus illos, quibus palatii Cæſarei comitiua digne concedatur, eſt iam vt maiore cura circa eandem rem verſemur, & cauſſas quibus Imperatoria maieſtas huc adducatur, diligentius conquiramus.

Præcipua in ipſo principe eſt, eaque potentiſſima, clementia virtus vere regia, quam cum aliis tum facit communem, quando ſuam nouit facultatem iuxta & dignitatem accipientium, virtuteque præditos tantum fouet ac promouet. Si humana ſapientia munere ſuo fungitur vſpiam, non poteſt præcellentiora dare ſui documenta, quam in tot clementiæ principalis ac liberalitatis ſpeciebus. Quæ heic obtingunt fulgentiſſimum de ſe præbent ſplendorem, non aliter ac ipſa palatia ſita in montium cacuminibus, omnibus obuia transeuntibus. Contra quæ negantur petentibus, ex diverſa ratione ſæpe neglectum inducunt, honorem ſæpius. In dignitate comitiuæ palatinæ concedenda, qualem princeps viam inſiſtat, docemur diplomatum formulis, quarum plures paſſim videre eſt, indeque iudicandum de cauſſis impulſiuis. Eminent ante reliquas, gentis nobilitas, ſiue honeſta & clara naſcendi conditio, vitæ integritas, ſpectata in moribus probitas, varia & præclara merita, eximiæ mentis & ingenii dotes, conſilii copia, rerum vſus & experientia, a quibus omnibus Imperio domuique auguſtæ decus & incrementum ſperari queat. Neque alias virtutes in honoribus tribuendis Imperatores vnqvam reſpexerunt. Alexander Seuerus hanc apud poſteros gloriam, certe inſignem, merebatur, quod aulam ſuam & vniuerſum comitatum ita ſeruauerit integrum, vt nullus vilior aut etiam de leui ſuſpectus macula miniſterio palatino adhiberi poſſet. Conſtantinus Magnus, quamuis plura recens inuenta in aula ſua habuerit, & ſingulis benignus eſſe ſtuduerit, non alios tamen ad domeſtica munia paſſus eſt adſumi, quam virtute ac generis magnitudine nobiles,

biles, in rerum actu iam versatos, negotia sibi commissa curæ habentes, totos ad vsum se componentes. Vbi heic parum peccatur, morbi a capite in reliquum corpus reipublicæ diffunduntur periculosissimi, non tantum qui auctoritatem summæ potestatis imminuunt, sed aliis quoque non una ratione obsunt.

In exemplum proponi, & cumprimis notari debent verba Rudolphi II, quæ in diplomate Reusneriano habentur. Nos benigno Dei beneficio in Imperiali dignitate constituti, nihil prius aut antiquius ducimus, quam præclara antecessorum nostrorum instituta ac vestigia cum in aliis, tum vero hac ipsa in re, constanter imitari, ac bonos quoque viros, quos præter natalium decus maiorumque merita, spectata vitæ morumque probitas, tum vero continua in sacrum Romanum Imperium & in nos sinceræ fidei & obseruantiæ deuotio commendatos & gratiosos reddit, fauore iugiter complecti, adeoque commodis & ornamentis eorum augendis quauis occasione clementer annuere, certum perspectumq; habentes, id non minus ad Rempublicam fouendam, quam ad Imperatoriæ maiestatis splendorem magis illustrandum pertinere, si vel ea ratione honestæ cupiditatis igniculis, alias mortalium animis a natura tributis, fomitem addiderimus, ac virtutis decus perpetuo nostræ beneficentiæ pignore, posteritatis memoriæ commendatum, immortalitatis beneficio reliquerimus.

Adiungitur his potior clementiæ principalis scopus, vt & alii huius dignitatis concessione ad egregia facta stimulentur, quem inter omnes cultiores gentes tot præmiorum generibus ac largitionibus obseruatum

fuisse

fuiſſe legimus. Merita parentum vel propria quoque celebrantur, ſi quis eorum fructum & commoda non ſuo magis, quam alieno nomine ſentit. Omnes laudis trahimur ſtudio, & optimus quisque gloria ducitur. Præſentiſſima pericula cur mortales adirent, perpetuisque laboribus fatigarentur, niſi præmium iſtis vera laus aliquando reſponderet, & caducam æui huius fugacitatem grata apud poſteros memoria ſolaretur. Quare æquiſſimam hanc munificentiæ Imperatoriæ particulam rite æſtimemus, cum hinc & ſuus meritis honor, & aliis ad res bene gerendas calcar detur. Rurſum vero merita non ſunt eiusdem generis, alia belli, alia pacis artibus propria habentur. Vtraque Comitiuæ Palatii Cæſarei dignitate honeſtantur, & exemplum ſupra fuit allatum inſignis in bello fidei & conſtantiæ, nec minore virtute a Ludouico Bauaro remuneratum. Simile præmium Amando Gartnero de Grub, ordinis militiæ ſanctæ equiti, propter ingentia pericula in bellis ac turbis Auſtriacis ſuperata, Ferdinandus II Pragæ anno M DC XXVIII, die XV Maii, reddidit diplomate, quod cũ aliis huc facientibus e manu viri prudentiæ laude ac omnis litteraturæ interioris cultu excellentiſſimi, Dauid. Tomanni, Iureconſulti & in republica Auguſtana conſiliarii primarii, habemus. Frequentiora tamen exempla dantur eorum, qui huius honoris participes facti ob linguarum, optimarum artium ac diſciplinarum ſtudia, poeticæ facultatis, oratoriæ, hiſtoriæ, Iurisprudentiæ culturam, vt inde non ſolum varia ſcripta ad publicos vſus edita ſint, verum in academiis etiam ac principũ aulis ampla munia obtigerint iis, ardua reipublicæ negotia explicantibus,

con-

consulentibus, legationes solennes obeuntibus. In quibus certe si prudentiam, fidem, industriam adhibuerint, eamque variis occasionibus vel Imperii vel augustæ domus caussa demonstrauerint, non potest aliter fieri, quam vt inclitam nominis celebritatem sibi comparent, atque ex hac re summam Cæsaris gratiam experiantur. Singula hactenus requisita in litteris Comitiuæ Gruenthallii coniuncta leguntur, inque hoc passu fere sine exemplo. Wenn wir nun gnädiglich angesehen unsers und des Reichs lieben Getreuen / Hanns Joachim von Grüenthall / zu Kremseck / und Harteneck / Fürstl. Würtemb. Rath / und in dem Fürstlichen Collegio zu Tübingen Oberhof-Meistern / alt adelich / ritterlich / ehrlich und statlich Herkommen / darneben auch die sondere gute Tugenden / Vernunfft / Geschicklichkeit / fürtreffliche Erfahrniß und Verstand / darinnen gedachter von Grüenthall nicht allein schon vor vielen Jahren / unserm geliebten Herrn Vettern / Vatern / und nechsten Vorfahren / Keyser Matthiesen / Christmilden Gedächtnüß / wie auch uns selbsten / und vielen andern vornehmen Potentaten wol commendirt gewesen / sondern auch noch vielen ansehnlichen Regenten / Königen / Chur- und Fürsten / in und ausserhalb dem H. Röm. Reich wol bekand / auch uns derentwegen hoch gerühmet worden / Insonderheit aber / wenn wir zu Gemüth geführet / welcher Gestalt er nach dem rühmlichen Exempel seiner lieben Vor-Eltern auffrichtig / unverdrossen / emsig und fleißig / in Verrichtung vieler hochwichtigen Legationen, und Reisen / Geschäfften und

Handlungen / zu Beförderung des gemeinen Be-
sten/ des H. Reichs Wolstand und Auffnehmen/ zu
unserm gnädigst angenehmen Wolgefallen und Be-
lieben/vielfältig sich erzeigt und bewiesen/solches noch
täglich ohne Verdruß thut/ und hinführo nach Ver-
mögen zu thun/gehorsamst erbietig ist/auch wol thun
kan/ mag und soll / wie nicht weniger in obbesagtem
Fürstlichem Würtembergischen / und zu Erbauung
der Fürsten/ Grafen/ Herren-Standes / und edlen
Jugend/ schön angeordnetem wolbestalten Collegio
zu Tübingen/ nunmehro eine lange Zeit / gegen vie-
len Fürstlichen Häusern / und dem gantzen Adel
Teutscher Nation/ sich sehr lobwürdig verdient hat/
so werden wir aus diesem und andern statlichen/ red-
lichen Ursachen billich bewegt/ ihne von Grüenthall
mit Danckerkändlichen Gnaden zu bedencken / und
mit sonderlichen Keyserlichen Gnaden und Freyhei-
ten zu führsehen/und zu erfreuen / und haben dem-
nach mit wolbedachtem Muth / guten Rath und
rechten Wissen / auch aus selbst eigener Bewegnüß
obgedachten von Grüenthall in die Ehr und Würde
unserer Keyserlichen Pfaltz und Hof-Grafen erhö-
het/ gewürdiget/ gesetzt/ und Ihne der Schaar/ Ge-
sell- und Gemeinschafft anderer Comitum Palatino-
rum zugeeignet/ gegleichet/ gesellet und zugefüget.
Quæ proferuntur vberiora propter tot luculentas con-
ditiones & caussas adsignatas, quibus Imperator Ferdi-
nandus II fuerit permotus, iura tam ampla, gratias, im-
munitates, honores, priuilegia, libertates, exemtiones
nobilissimo huic viro decernendi. Non omnibus ob-
uenire

uenire paria constat, quod nec omnium paria sint merita, & iidem virtutum conatus. Numerus & consortium, cuius in singulis diplomatũ formulis habetur mentio, cuique Palatini comites gratiose aggregari & adscribi dicuntur, adprime conuenit cum veterum indicibus, quibus non artificum modo, in arte ad communem vsum necessaria excellentium, sed philosophorum quoq; & iureconsultorum nomina solenni consuetudine inscribebantur. Talis est index, vti volunt, quem Iustinianus præmisit pandectis, vbi eorum, qui artem iuris accuratius excoluerunt aut scriptis etiam illustrarunt, nomina pariter ac opera recitantur. Ad ingeniorũ laudem hoc pertinebat & præmia, quibus viri de litteris atque republica bene meriti honorari solebant. Simillima ratio heic deprehenditur, & comitum semper indicatur consortium, vt tot illustria nomina cum æternitate victura testatiorem consequantur memoriam. Res adeo memorabilis vt publice maneret, & singulorum nomina comitum legerentur, sollicite intentus hactenus eram. Verum qui pollicebantur opem, ac certam catalogi Palatinorum potiundi spem faciebant, intellexere tandem inania sua fore molimina, quod numerus eorum, qui ante Carolum V floruerunt, non exstet, aut incertus omnino atque confusus sit. Destiti sic cœpto, per aliquot saltem exempla ostensurus adhuc, quo modo Imperatores istud honoris præmium ab initio distribuerint.

Duum sunt generum, quibus dari consueuit, vel integris familiis & collegiis, vel singulis personis, in quibus cum morte desinit, atque nulla ad posteros hereditate transmittitur. Ex illarum ordine sunt Castrucia,

Amadea, Foreſtariorum, Hennebergica, Ortenburgica, & illuſtrium aliæ plures, quæ vel in ſtirpe ſua iam extinctæ, vel integro vigore florentes honore iſto ac iure adhuc fruuntur. Comites Fuggeri, Ioannes ſenior & Hieronymus, in Kirchberg & Weiſſenhorn, familiæ ſuæ hunc etiam honorem impetrarunt a Ferdinando II Imperatore, anno MDCXXIX, die X Nouembris, ſed ita vt poſt obitum horum duo filii natu primi, atq; iidem horum vsque dum maſcula Fuggerorum gens extiterit, comites Palatini haberentur, & omnibus conceſſis iuribus vterentur. Inſonderheit haben wir mitgetheilet und ſie beyde ſammt und ſonders/ und nach derſelben tödlichen Abgang beyder Ihre ältiſte Söhne/ wie auch nach dero Ableiben wiederumb dero ältiſte Söhne/ und alſo fort und fort in Ewigkeit in die Ehr und Würde unſerer Keyſerlichen Hof-und Pfaltz-Grafen geſetzet. Non poteſt maius beneficium exhiberi, quam ſi nepotes ac poſteri quoque vſum eius percipiant. Multa tamen opus eſt circumſpectione, ne perueniat ad poſſeſſores, qui abutantur illo, aut alia quacunque ratione indigni fiant. Qui ampla domo atque prudentum conſilio inſtructi, vt ſua per illos expediant, nec rebus ad illuſtrem dignitatem ſuſtinendam facile deſtituantur, ſemper habent, quibus ea rite deferatur. Aliter comparatum eſt cum his, qui loco ac ſorte viuendi ponuntur inferiore, quorum heredibus tunc videtur competere, ſi pari cum parentibus virtute præditi, ac requiſitis modo enumeratis non ſint impares. Bartolus a Saxoferrato cum apud Carolum IV Imperatorem, Piſis verſantem, cauſſam oraret Peruſinorum, a quibus erat miſ-

ſus,

ſus, tanta excipiebatur gratia, vt non ciuium ſolum deſideriis ſatisfieret, multa contra illos ab anteceſſoribus decreta abolerentur, noua priuilegia concederentur, ſed ipſi quoque & poſteris eius vbi doctrina & ſtudiis mererentur, hoc ſingulare obtingeret ius, vt auditores ſuos, qui ſpurii forent, natalibus poſſent reſtituere. * Ab eodem tunc accepit inſignia gentilitia leonem duplici cauda ſalientem in rubro campo, Bartolo teſtante. *de inſign. & armis. conf.* Io. Franciſcus Capiliſtius, ex antiquiſſima Tranſagaldorum apud Patauiuos familia, anno MCCCCXXXI, ob ſchiſma Baſileam concilio indicto iam pro Venetis, mox pro *Pancir. l.c.* Eugenio IV, qui detrectabat concilium, honorifica legatione functus, vbi a Sigismundo Cæſare iuxta equeſtrem Comitiuæ quoque dignitatem nactus eſt, vt & ipſe & eius poſteri ſemper illa gauderent, ac eius iuribus vterentur, tabelliones atque doctores crearent. In Germania ſicut paucioribus circa hæc tempora Comitiua obuenit, ita rariſſima ſunt exempla, quibus hereditaria poſſeſſione conceſſa ſit, maxime ſi eruditos reſpicias, inter quos Itali haud dubie ferunt primas, vt ad eorum inſtar honor denique ad nos tranſierit.

Collegiis datur integris, qualia ſunt academica, omnis doctrinæ & felicitatis publicæ ſeminaria, in quæ ne-

* *Bartolum etiam incerto patre natum eſſe, multi opinantur. Sed Pancirolus opere poſtumo* de claris legum interpretibus II, 76. *eum ex Seuerorum apud Sentinenſes familia fuiſſe, in vetuſtiſſimo codice ſe reperiſſe ſcribit. Patrem Bartoli Franciſcum Bonaccurſium, e teſtamento illius, quod Cardinalis Alciatus habuit, demonſtrat.*

mo cooptatur, nisi rebus antea requisitis præditus, virtute, doctrina & honesto vitæ genere probatus. His igitur tam eximium munus optime accreditur, non propter alia tantum iura, quæ cum Palatinis habent communia, quam propter insignem commoditatem ac fidem, qua singulas eius partes exequuntur. Non iidem vero sunt, aut semper manent, qui hanc dignitatem in academiis sustinent, sed pro diuersa institutione ac facultatum ordine variant. Iuliæ rectores perpetui quod sint principes Brunsuico-Luneburgici, comitiuam etiam palatii Lateranensis, qua pollet hæc schola Maximiliani II Imperatoris beneficio, sibi propriam esse voluerunt, eiusque potestatem in notariis creandis Prorectori hactenus fecerunt. Eandem habet potestatem Kiloniensis, quam per rectores suos aut prorectores etiam administrat, ampliore tamen prærogatiua, cum præter iudices ordinarios, tabelliones, quos illa creat, poeticam quoque lauream concedat & spurios legitimet. Iacobus Bordingus, consiliarius Megapolitanus, oblatam sibi a Rudolpho comitiuæ Cæsareæ dignitatem in comitiis Augustanis, an. M D LXXXII, deprecabatur modeste & prudentissima ratione impetrabat, vt hoc beneficium ad notariorum creationem restrictum, ordinis iuridi i Decano in Academia Rostochiensi obueniret. Giessæ ac Marpurgi huiusdem ordinis decani notarios creare possunt nomine Landgrauiorum Hassiæ, quibus idem iuris a Cæsare datum. Viennæ Austriacorum collegium oratorum ac poetarum ex singulari Maximiliani I gratia hanc etiam prærogatiuam habet, vt eius rector comes palatinus sit, ac laurea si quos dignos reperisset, redimire queat.

Conring. de Antiqu. Acad. Diss. V, p. 161.

Kirchm. in vita Bord.

re queat. Priuilegium & inaugurationem huius collegii Marquardus Freherus tomo II rerum Germanicarum edidit. Conradus Celtes primus ibi iure Imperatoris concesso vsus est. Nationis Germanicæ Procurator in Academia Bononiensi Caroli V Imperatoris clementia habet, quod sacri palatii Lateranensis, aulæ & imperialis consistorii comes audiat, huiusque tituli vi notarios creet ac iudices ordinarios, naturales item ac bastardos legitimis natalibus restituat. Iurisdictionis & potestatis Imperatoriæ terminos hoc ipso Carolus demonstrauit, atque ieiunæ quorundam adsertioni satisfecit, Imperatorem Romanum per Italiam & terras Pontificiæ ditionis hos actus exercere minime posse, nisi de consensu ac voluntate superiorum. Aliarum academiarum iura circa hanc dignitatem iam non succurrunt, nec interest plura cumulare.

Singulorum priuilegia pro meritorum ratione varia sunt, & sicut occasio fuit auspicatior virtute ingeniive dotibus, aut alterius commendatitiis emergendi, ita benigniora Imperatoris munera percipere licuit. Nec minus variæ sunt personæ, quibus hic honor fuit habitus. Illustrium aliquot recensuimus non terrarum possessione magis, quam titulo comitatus iam insignes. Dignitati quoque principali nouum hoc ipso decus accedere potuisse monemur exemplo Friderici Sapientis, Electoris Saxoniæ, palatii comitiuā sumentis a Maximiliano I Imperatore, ampliore tamen iurium prærogatiua, quam fert communis Palatinorum conditio. Verosimile est, iure Romanorum priuato in patria nostra tunc vsurpato, & ad normam eius diuersis iurisdictionis partibus in-

stitu-

ſtitutis, Imperatorem ſupremo Saxoniæ iudici ſiue palatino, ne quid forte deeſſet, hanc etiam poteſtatem feciſſe, quam ſibi alias reſeruauerat ſoli. E priuilegio principi huic electori, ob prudentiam & perſpicaciſſimi conſilii rationem auctoritatis per Imperium ſummæ dato, quæ ius tribuendorum inſignium gentilitiorum declarant, exhibet Schurzfleiſchius, vir prudens, acutus, inque hoc ſtudiorum genere perfectus, diſſertatione *de Friderico III.* Non erit e Germanis, cui per id tempus obtigerunt ſimilia, cum illuſtri Hennebergenſium familiæ poteſtas duntaxat legitimandi, notariosque creandi certo horum numero definita fuerit conceſſa. Neque reperientur adeo frequentes ante Maximiliani I tempora ſiue in aulis Germaniæ, ſiue academiis eruditi, aut alio munere publico clari, qui Comitiuæ Cæſareæ dignitate conſpicui, ſed Italorum hactenus erat fere propria, qui eam cum equeſtri vtplurimum indepti leguntur. Antiquiſſimum apud nos diploma Capnionis ſiue Reuchlini Pfortzheimenſis eſt, quod propter integritatem rei memoriamque ad calcem hujus exercitationis exſcribendum curabimus, vbi certe notam meretur, quod in facultatibus, quibus modo voluerit, ius illi factum X doctores idoneos ad hoc munus renuntiandi. Habebat tantam facultatem beneficio Friderici III Imperatoris, qui Petrum quoque Thomaſium Rauennatem * eadem ornauit

* *Propter admirandam vim memoriæ atque capacitatem* naturæ miraculum, *item* Petrus a memoria *vocatus eſt. Præter multa enim & innumerabilia, quæ mente conſeruabat, vniuerſum etiam iuris ciuilis opus cum gloſſis vsque adeo tenaciter memoriæ mandaue-*

nauit propter ſtudia, quibus ius Romanum Pataui, Bononiæ, Ticini, Ferrariæ Piſis atque alibi fuit interpretatus. Maximiliano Friderici filio perinde carus admodum, qui commendauit illum laudatiſſimo Saxoniæ principi electori Friderico Sapienti, a quo peramplis Wittebergam ſtipendiis eſt vocatus, vbi reliquit filium, in cathedra iuris clarum Vincentium Rauennatem, vti nomen eius tabulis almæ Leucoreæ inſcriptum legitur. Sic & antea Signorinus Homodeus Mediolanenſis, ab aliis Signorolus adpellatus, propter eximiam iuris ſcientiam, qua Vercellis inclaruit, eques & comes Palatinus anno MCCCXL per manus Ludouici IV Imperatoris creatus eſt. Primus quæſtionem, *vtrum doctor ſit equiti præferendus*, nobili tractatu expoſuit, quem Ludouicus Bologninus poſtea declamationibus illuſtrauit. Nomen eius in albis iureconſultorum Bononiæ, Pataui, Parmæ ſcriptum adhuc legitur, teſte Pancirolo. Celeberrima gens Vbaldorum, iurium alumna, Matthæum e Petro Iureconſulto filium produxit, qui a Brachio Fortebachio miſſus ad Conſtantiæ concilium Sigismundi Cæſaris liberalitate honeſtatus eſt equeſtri dignitate Palatinaq;, & inſignibus præterea gentilitiis, duabus faſciis nigris in aureo ſcuto transuerſis, quibus adiuncta galea cum æthiopis capite, quod aureo ſudario inuolutum, duplici diademate in humeros ſparſo, altero aureo, argenteo altero cingebatur. Ex hoc nati duo filii Petrus ac iunior Baldus, quibus idem Cæſar Sigismundus Roma Peruſiam delatus gentilitia ſtemmata & honores patri

Pancir. de clar. leg. Interpr. II, 128.

II, 72.

dauerat, vt ſingula quinque voluminum loca percunctantibus ad verbum recitaret. Pancir, ibid.

datos confirmauit. Antonius Rosellus Aretinus, Eugenii IV Pontificis in aulam Imperatoriam legatus accepit Comitis Palatini titulum cum potestate restituendi natalibus, notarios equitesque creandi & liberos emancipandi. In Seruorum æde Patauii memoria Castrensium epitaphio splendido posteritati consecratur. PAVLO DE CASTRO AVO ET ANGELO PATRI COMITI PALATINO VTRI. IVR. DOCTORIBVS ET IN ORBE MONARCHIS NICOLAVS DE CASTRO VTR. IVR. DOCTOR CANONICVS PADVANVS APLIC. CVB. ET COMES PALATINVS FIERI FECIT M CCCC LXXXXII. Antonius a Prato Florentinus, iuris antecessor Bononiæ, Palatinam dignitatem & patriciam a Friderico III Imperatore obtinuit, cum librum Feudorum antea confusum in ordinem redegisset eique dedicasset, quem tanti habuit, vt in scholis publice interpretandum præciperet. Diuersus ab hoc est Antonius Pratensis Gallus, qui librum de secundis nuptiis superiore sæculo edidit. Ioannes a Canibus iuris pontificii & ciuilis Patauii professor, orator & poeta insignis, hoc ipso comitis palatini honores adeptus est, anno M CCCC XLI. Eorundem temporum sunt Bartholomæus Cœpola & Iason Mainus. Ille tanta ingenii felicitate celebratur, vt supra omnes sui temporis iureconsultos generi humano profuisse credatur. Sola hæc in pulcro corpore macula, quod nulla ætatis aut amplioris stipendii ratione habita ob solum honorarium titulum ambitiosas de loco contentiones contra Alexandrum Tartagnum, venerabilem senem, exerceret iunior adhuc, equestri simul & Comitiuæ dignitate anno

Laurentius Schrader. Monument. Ital. fol. 18. Iason in Prooem. feudal.

M

M CCCC LVIII, donatus. Iafonis Ticini in fuburbano D. Iacobi templo hæc eft memoria relicta. IASON MAINVS IC EQVES ET COMES QVISQVIS ILLE FVERIT HIC QVIESCIT. Fuit natiuitate Mediolanenfis, ac in nuptiis Maximiliani I, poftquam ingenti aulicorum adplaufu peroraffet, honorum infignia nactus eft. Non abutar humanitate lectoris, omnes hac dignitate infignes percenfendo, quod vnius aut alterius exemplum fufficere poffit. Andreæ Alciati nomen & in rem litterariam merita præteriri non debent. Præter ciuilis pontificiique iuris fcientiam in reliquo difciplinarum circulo verfatus ita, vt plerisque fuerit admirationi, abfolutam eum iurium eruditionem fibi comparaffe. Primus candida fermonis Latini facundia, ac Græcis quoque litteris inftructus, iureconfultos Latine docuit loqui, quos ante fe blateraffe non locutos effe nouerat. Carolo V Imperatori commendatus Palatinam dignitatem Ferrarii confequebatur, nec ita multo poft a Pontifice Paulo III Protonotariatus honore decoratus eft. Petrus etiam Calefatus Pifanus a Iacobo V Plombini domino ad Carolum V miffus, qui cognita virtute illius & præftabili rerum agendarum dexteritate cum aquilæ infignibus Equitis pariter Comitisque dignitatem ei largiebatur.

Vnde liquet euidentiffima ratio, hunc dignitatis gradum, Cæfareæ maieftatis particulam, adipifcendi. Et quamuis fieri confueuerit, quod Imperatores proprio motu, deliberatoque animo, non precibus vllis adducti, fæpius Comitiuam aut alios honores dederint, fola accipientis dignitate attenta, cum tamen per Imperium ex

hoc ordine plures constituendi sint, nec singulorum aptitudo adeo patere queat summæ potestati, requiritur principum aut inclitæ auctoritatis virorum aliorum fides atque commendatio illorum, qui ad hoc fastigium sunt euehendi. Longum foret ac tædii res plena pluribus exemplis hoc iterum demonstrare. Nicolaum Reusnerum, antecessorem Ienensem Io. Crato a Craftheim trium Imperatorum archiater & Consiliarius, idemque comes palatinus hereditario iure creatus, supremo Palatii præfecto, Adamo Baroni Dietrichsteinio laudauit, vt eius commendatione Maximiliano II innotesceret. Post huius in Silesiam discessum Daniel Princius a Buchau atque Richardus Steinius, Baro in Schvvartzenau caussam eius apud Imperatorem egerunt, quorum ille Pragæ scripsit ad Reusnerum. Vt ob eximias virtutes ac singularem eruditionem, inprimis vero cum Imperatori & Serenissimis Principibus Austriacis animi tui subiectionem & obseruantiam multis argumentis demonstraris, in numerum Palatii nostri comitum cooptareris, cum iis, qui a secretioribus sunt consiliis, diligenter actum est. Quamuis igitur Imperator in concedenda hac dignitate perquam sit difficilis, & ea hoc quidem tempore paucis obtingat, tamen cum multis laboribus ab ingenio tuo profectis nomen hactenus abunde illustraueris & aulæ nostræ obseruantissimus existas, merito decus hoc tibi ceu laudis & gloriæ insigne decretum est. Hic vero litteris ad Hier. Arconatum, Secretarium Cæsareum, sequentia tradit. Nicolaus Reusnerus is vir est, atque iis in rem litterariam meritis, qui non modo Palatinatum, sed longe maiores honores,

Ep. Turc. lib. 12. p. 6. lib. 14. pag. 167. 189.

res, quibus artes ali ſolent, meretur, mihi commen-„ datus adeo, vt nihil non eius cauſſa & cupiam & velim.„ Neq; obſtat, quod communis formula ſit, & cunctis inſeratur diplomatibus, *motu proprio, ſponte, ex certa noſtra ſcientia, animo bene deliberato*, cum hæc & ſimilia non excludant inſtantiam aut requiſitionem alterius. Adhæc ſine ratione videtur dubitari, an comitiua palatii nobilitet? Luculentum eſt ex hactenus allatis eam cum equeſtri dignitate fere conceſſam eſſe, ac inter præcipuas cauſſas, quare ſumma poteſtas clementiæ ſuæ radios demittat, honeſtum ortum virtutumque nobile decus in primis referri. Sed hæc non ita promiſcue ſunt accipienda. Principum titulis ac honoribus quando accedit comitiua palatii cæſarei, fruſtranea pariter & incongrua eſt quæſtio. De comitum Imperii & antiqua proſapia nobilium virorum palatina comitiua idem arbitreris. Illorum vero, qui fortuna inferiores, nullarumque imaginum homines, alia ratio eſt, ſola virtute ac præclaris in rempublicam meritis nixi, ex quo dignitatem Comitiuæ beneficio Cæſaris habent, nobiles efficiuntur. Adparet cauſſa, ex qua omnis nobilitas cœpit, virtutis ſplendor, honores neque ex debito, nec ſola gratia, ſed merito repetentis. Qvemadmodum autem hæc penes omnes eſt inæqualis, neque gradibus conſiſtit iisdem: ita iura, & eorum poteſtas variat. Huic non in perſona tantum & ad vitam comitiua tribuitur, ſed poſteri quoque, ſi virtutem colant, eius fructum ſentiunt. Aliis maiore, aliis minore conceditur forma, pro meritorum diuerſitate, quæ omnem in hoc argumento menſuram continent. Singulis tamen numero & conſortio reliquorum comi-

Strauchius Lexic. part. in ſponte. Schilterus Manud. ad Phil. mor. c. VII, 3.

tum adſcriptis, paria nobilitatis priuilegia, libertates & honores contingere e diplomatibus diſcitur. In antiquioribus habetur inter alia gratiæ vocabula, comitem te *creamus, attollimus, erigimus*, etiam *nobilitamus*, vt in Reuchliniano & aliis videre eſt. Quin foret penitus inconueniens ac infra Cæſarei palatii maieſtatem, plebeium ac vile in iuriſdictionis conſiliive partem admittere. Qui doctores renunciat ob cognitionem iuris ſcientiamque rerum præſtantiſſimarum nobiles, ac poteſtatem habet alia largiendi honorum inſignia, cur non maius quid a maieſtatc, omnis dignitatis fonte, in illum deriuatum eſſe putemus. Sed res manifeſta eſt, ac magis ex ſingulis priuilegiorum articulis patebit, quos propius inſpiciemus.

Notariorum apud Romanos officium & a tabulariis, tabellionibus, ſcribis publicis differentia. Apud Francos & Germanos quinam fuerint? cum tabellionibus Romanorum conueniunt. A cæſare tantum, & quibus dedit hanc facultatem, creantur.

Notariorum nomen ac munus per ſingulas imperii vices eſt varium, & mutationibus tot obnoxium, vt e ſeruili pæne conditione ad inſignem palatii honorem aliquando emergens, modo rediiſſe ad principia ſua videatur. Ante Iuſtiniani tempora fori diſceptationibus adhibebantur excipiendis, & quod velocitati ſtuderent

in ſcribendo, peculiares excogitauerant notas, quibus adeo præſtabant, vt verbis nondum enuntiatis integris dextra peregerit opus. Miranda hæc quidem viſa ſolertia, dignaque vnde ταχυγραφεῖς nomen ducerent, cum vero per nudas literas & ambigua ſigna non raro confuſiones rerum & errores in publico orirentur, Iuſtiniani lege tota hæc ſcribendi ratio fuit tandem prohibita. Munus eorum poſtea maxime conſiſtebat in mandatis principum expediendis atque legibus exequendis, aut aliis negotiis quibuslibet explicandis, qua ſacris, qua peofanis. In rebus ad religionem pertinentibus ad epiſcopos cum Imperatoris mandato, βασιλικοῦς συλλαβαῖς mittebantur, quibus exhibitis fides illis habebatur, reos adprehendebant, milites vagos ac deſertores conquirebant, nouorum operum curam gerebant, frumentarios commeatus vrgebant, & alia peragebant plura, ceu apud Ammianum Marcellinum, Symmachum & in principum conſtitutionibus legitur, quæ fere cum Miſſis Dominicis in regno Francico habent communia. Hinc & collegium illorum *præclarum*, *ſchola* ſiue ordo *inſignis, militia nobilis* paſſim adpellatur. Primicerius notariis præfectus, ἄρχων βασιλικῶν ὑπογραφέων, οὓς τριβούνους καλοῦσι, diſponebat omnem dignitatum & adminiſtrationum notitiam, militarium iuxta ciuiliumque, ſicut pluribus hujus muneris oppido peritus Claudianus, ipſe notarius, demonſtrat in *epithalamio Palladii*. Quemadmodum autem iſti ex actu ſuo præclaræ dignitatis capaces fuiſſe cernuntur, ita inferiores longe erant notarii Romanorum antiquiſſimi, ſerui priuatorum, operam ſcribendi nauantes heris ſuis, itemque tabelliones ac tabula-

conf. Guther. de Off. D. A. III, 9.

bula-

bularii, ſcribæ publici, quos multi ſine auctoritate permiſcent, nec ſine erore. Qui hodiernos cum illis comparant notarios, aut eosdem eſſe ſtatuunt, denſam antiquitati caliginem affundunt, vbi ſine muneris ac temporis diſcrimine deinceps oberrant, quæq; conſtituta ſunt de tabellionibus tabulariisve, perperam notariis adplicant. Tabularios vocabant Romani, qui per ſingulas ciuitates rationes atque chartas rei tributariæ curabant, nomina debitorum prodebant, breues conficiebant ac λογαρικὰ, exactoribus danda. Tale hominum genus noſtris etiam moribus non inuſitatum eſt. Scribarum nomine publicorum veniebant, quibus acta publica & pericula magiſtratuum commiſſa. Æuo Caſſiodori adhuc ſuo munere fungebantur, qui formulam huius elegantem in variis habet, vbi tamen inſcriptio, de ſcribarum ſeu tabellionum officio, recentioris manus eſt, veraque & antiqua hæc ſubſtituenda, *Scribæ Rauennati*. Tabelliones erant, qui tabellas, litteras, cautiones atque obligationes conficiebant, contractuum & teſtamentorum inſtrumenta conſcribebant, forenſibus negotiis ſe accommodabant. Suidas, & Gloſſæ Nomicæ deſcribunt. Ταβελλίων ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς καθήμενος, δόξαν τε πολλὴν ἐπὶ τῇ ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ ἔχων, ἅπαντα ἐπιτελεῖ τὰ τῶν γραμματεῖα, ἕκαστον αὐτῶν ἐπισφραγίζων αὐτὸς οἰκείοις γράμμασιν. Iidem aliquando videntur amanuenſes & Cancellarii adpellari, nec vno loco cum ſcribis coniunguntur, quam rite vero, quamque diſtincte, nimium foret heic euoluere. Vagi ſunt & incerti, qui munus eorum vile, infame aut ſeruile putant, cum eiusmodi hominibus nulla in foro vel negotiis publicis perſona detur.

XII, 21.

in voce περισκός.

Neque

Neque difficile videtur, ex varia hac officiorum deſignatione, ſingulorum differentiam noſſe.

Sub Francis poſtea Germanisque manſit notariorum nomen, & miniſterii genus non fuit adeo protritum. E capitularibus adparet, paria feciſſe cum cancellariis, quos caue accipias de Romanis, quotidianis & aſſiduis ſpeculatoribus iudicum, eodem nomine claris, qui publice electi dabantur, ne rector prouinciæ quid contra fas piumque admitteret, Sic vero dicti quod extra ſecretarium a cancellis ſtarent, & iudiciales audirent ſententias, docente Iacob. Gothofredo, ad Theodoſii legem *de Domeſticis & Cancellariis*. Non poteſt eorum officium rectius intelligi, quam ex regiarum conſtitutionum verbis. Notarii & legibus eruditi & bonæ opinionis ſint, & iuſiurandum præbeant: nullatenus falſitatem vel colludium ſcribant, & qui hoc feciſſe inuentus fuerit, præſentialiter damnetur. Notarii iurare debent per ſingula loca, quod nullum ſcriptum falſum faciant, nec in occultum. Totidem verbis hæc repetiit Lotharius in capitulis Imperio editis. Nemo comes in pago, vel epiſcopus aut abbas in ciuitate notarium ſuo poterat arbitratu ſumere, ſed requirebatur e palatio conſenſus vel voluntas illius, quem ad hoc princeps deſtinauerat poteſtatemque fecerat. Vtplurimum vero miſſi dominici ſicut ſcabinos & aduocatos, ita & notarios eligere debebant, & nomina illorum annotata reuerſi in aulam indicare. Cumque non parum incommodi vtilitatisve ex munere horum in imperio rebus priuatorum euenire poſſet, diligentiſſima cura ſeligebantur, ætatis iam diſcretæ, morum ac vitæ integritate commendabi-

lib. III, 43. VI, 225.

lib. I tit. vlt.

Longob. II tit. 40, 6. tit. 54, 24. tit. 52, 24. Gold. tom. II Conſt. p. 269.

Capit. Car. III, 33.

les, patriæ rerum & maxime legum non imperiti. Priusquam adirent munus religione iuramenti sunt constricti, ne testificationem, obligationem, cautionem aut quarumcunque chartarum formulas per dolum scriberent. Exinde quod vitæ quærerent subsidia, & ministerii ratione parum diuersa conficerent, cum Romanorum tabellionibus fere conueniunt. Hoc tantum intercedit, quod illi sine principis solicitudine, isti cum intentione & consensu summæ potestatis efficerentur. Ad hæc per comitatus & alia demandatæ iurisdictionis loca peragebant negotia, quæ Romanorum notarii pariter curabant, vnde similitudo ac muneris coniunctio non obscurè colligitur. Longobardorum regis Luitprandi de his constitutio habetur, vt qui chartam scripserit siue ad legem Longobardam, quæ aptissima & omnibus pæne nota sit, siue ad legem Romanam, non aliter eam faciat, nisi quomodo legibus contineatur, nec eam extra comitatus territorium producat, aut scribat, nisi per licentiam comitis, in cuius potestate est. Obtinuit eadem apud Francos lex, & integer de his titulus, de scabinis, cancellariis & notariis exstat in II Longobardæ, quem Lotharius Imperator in legem suis quoque promulgauit, vbi summa huius rei demonstratur.

lib. I tit. 29.

Tales pro negotiorum ciuilium & aliorum expeditione Germani in suam republicam admiserunt. Imperatoria priuilegia & publicas litteras quaslibet, absente Archicancellario vel Cancellario, qui iam veluti primicerius erat, recognoscebant, & quod fidem iuramento dederant, secretiorum fiebant participes, vt adeo Bern. a Mallinkrot eorum nomen non male interpretetur

de Archic. p. m. 14.

tur de ſecretariis hodienum vſurpatis. Rariores tamen erant hac tempeſtate notarii, quodque in obſequio palatino eſſent, in principum aulis ac præcipuis tantum ciuitatibus verſabantur. Diſciplina Romanarum legum inſtaurata, ac ſecundum earum normam iudiciis inſtitutis munus notariorum ex antiquo fieri nouum cœpit, ex vtroque tempore mixtum. Nullum per Italiam forum, nulla ciuitas, vbi non officii huius neceſſitas adpareret. Plures igitur ad publicos vſus ordinabantur, ſed ne multitudo vel dedecori foret vel oneri, definitus eorum numerus conſtituebatur. Artis notariæ inſtitutiones, ob inſtrumentorum formulam tabulariis opportunam tunc ſcripſit Rolandinus Paſſagerius, alii Rudolphinum adpellant, Iureconſultus Bononienſis, quas deformatas reſtituit ſuperiori ſæculo Gerardus Mulertus, Carolo V Imperatori a conſiliis, atque commentariis illuſtrauit. Conceſſio notariatus Friderici II Imperatoris, a Petro de Vineis deſcripta, legitur vltimo epiſtolarum libro. *ep. 52.*
„ Notum facimus vniuerſitati veſtræ, quod T. Taurinienſis, fidelis noſter, iuxta ſacrum conſtitutionum noſtrarum tenorem examinatus, inuentus fidelis, de genere fidelium ortus, & ſufficiens ad notariatus officium exercendum, eſt per curiam noſtram adprobatus. Propter quod de ipſius prudentia & fidelitate confiſi, ſtatuimus eum publicum notarium Taurinienſem, vt a modo in terra ipſa publice notariatus officium, ad honorem & fidelitatem noſtram debeat exercere, recepto ab eo iuramento fidelitatis, de ipſius publici notariatus officio fideliter exercendo. Quare fidelitati veſtræ mandamus, quatenus ſi in terra ipſa non eſt completus

„ numerus ſtatutus notariorum, noſtris conſtitutioni-
„ bus comprehenſus, dicto fideli noſtro, tanquam publi-
„ co notario eiusdem terræ, a noſtra maieſtate ſtatuto,
„ de omnibus, quæ ad eiusdem notariatus officium per-
„ tinent, ad honorem & fidelitatem noſtram de cetero
„ intendatis. Præclarum hoc eſt ac fidei pleniſſimum diploma, quo notariatus per ſingula requiſita deſcribitur. Natalium honeſtas & fides in rempublicam laudatur, quod, ſi negligatur illa in præmio tribuendo, dignitas vileſcat, hæc autem penetralia totius officii contineat. Iuramento igitur dabatur, quo ſi contra fidem quidquam fieret, pœna maior eſſet, eiusque intuitu continentius viueretur. Examen etiam per curiam Imperatoris inſtituebatur, ne deliquia reſpublica pateretur, quæ reliqua membra nunquam afficiunt ita, quin caput quoque dolores ſentiat. Sicut vero numerus notariorum erat certus, ita eorum miniſterium non extra terram proferebatur, quam cui erant ab Imperatore deſtinati.

Hodie, quantum attinet poſteriora, res aliter comparata eſt, nec numerus, nec officii terminus ſtatuitur alius, quam totum Imperium, per quod ſe diffundunt, & actus commiſſos libere exercent. Sub initium ſuperioris ſæculi, tribunali Spiræ inſtituto, tabellionatus officium perutile ac neceſſarium perpendens Maximilianus I Imperator, ſimul & certior factus, quod plures indigni, ortu infames, conditione & ingenio plane ſeruili, inepti, rerum imperiti huic ſe muneri hactenus intuliſſent, publica lege ordinauit, quales perſonæ notariatum ſuſtinere poſthac deberent, ne paria ſemper in-
com-

commoda ciuibus suis impenderent. Facta est constitutio in comitiis Coloniensibus anno MDXII, ex qua obortæ quæstiones circa notariatum, tam quoad vniuersales regulas de tabellionum studiis, protocollis, publicationibus, signis, aliisque ad eorum informationem pertinentibus, quam testamentorum scripturam, litterarum Imperialium insinuationem, actorum procuratorumve constitutiones, adpellationum instrumenta, exactissime decidi solent. Ob tot actus coram notariis peragendos, & datam iis facultatem de protestando & adpellando, iudices erant, olim chartularii dicti, hoc solo nomine non sine cura eligendi aut priuilegiis ornandi, & quod partibus diuersis in eadem caussa possunt seruire, non vt Aduocati, sed vt iudices, absque omni mentis perturbatione, siue affectu, id facere tenentur. De hodierna tabellionum origine constat, quod solus Imperator eos per se ac virtute supremi Imperii cum pleno effectu, itemque comites palatini, cæsarea auctoritate pollentes, creent. Et hi quidem per totum Imperium ad negotia hominum authentice conficienda requiruntur, nec a quoquam citra grauem iniuriam impediuntur in officii sui exercitio, aut offenduntur, quare speciali gratia in saluum conductum Imperii recipiuntur, & contra violatores atrox pœna sancitur. Idem de his quoque accipiendum, quibus a rectoribus academicis vel collegii cuiusdam decano, eadem auctoritate ab Imperatore constitutis, notariatus officium est collatum. Contra qui hanc potestatem sibi arrogat, & tabelliones creat sine priuilegio Cæsaris aut sufficiente auctoritate falsi crimen patrat, morte puniendum. An & in aliis

Gold. tom. I Const. p. 430.

Mager. de Aduoc. armat. XVI, n. 231.

locis extra Imperium fungi notariatus munere possint non æque patet. In Galliis certe sicut nec Palatini comites, ita nec ab iis creati notarii tolerantur. Liberales igitur præter modum & rationem videntur, qui eos per totum orbem instrumenta publica scribere posse aiunt, nisi per totum saltem Romanum intelligunt. Multi principes & Imperii ciuitates idem ius Imperatoria concessione vsurpant, atque notarios e sibi subiectis ortu honestos, fide ac rerum vsu præstantes ordinant, eosque in suis suorumque negotiis tantum adhiberi volunt. Illi vel per ministros in aula, vel academiarum suarum decanos, hæ per iureconsultos præsentibus pariter ex patriciorum ordine duobus aut tribus eximiis ad hoc destinatis, creare solent. Modus vero ab antiquo vsitatus erat, eos instituendi per pennæ atque calamarii traditionem, recepto prius ab illis pro Cæsare & sacro Imperio debitæ fidelitatis iuramento. Nonnullis etiam cum calamario chartæ scapus, atramentarium & annulus offertur, quibusdam biretum simplex imponitur, pro dantis accipientisq; ratione ac more diuerso. Huc signum illis consuetum referri debet, quod ex ordinatione Maximiliani I sine auctoritate comitis aut iudicis nec sumere, nec mutare possunt. Num manu duci aut typo imprimi præstet, frustra quæritur, quod vtrumque sua vi nitatur. Iuramenti corporalis & proprii forma in antiquioribus diplomatibus hæc est. Quod nobis & sacro Romano Imperio ac successoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & regibus legitime intrantibus, fideles erunt, nec vnquam interfuturi consilio, vbi nostrum periculum tractatur, sed bonum & salutem nostram defendent,

dent, & fideliter promouebunt, damna noſtra ſedulo cauebunt, auertent. Inſtrumenta publica & priuata, vltimas voluntates, teſtamenta, & quæcunque iudiciorum acta, omnia & ſingula alia, quæ illis & cuilibet illorum dictorũ officiorum ratione facienda vel ſcribenda occurrent, iuſte, pure, fideliter, procul omni ſimulatione, dolo ac fraude ſcribent, legent, facient, dictabunt, non attendentes odium, pecuniam, munera, iram aut fauorem. Scripturas in formam publicam redigendas pro locorum conſuetudine & rerum qualitate in membranis, aut chartis mundis, non abraſis aut vitioſis conſignabunt, aut conſcribi facient, cauſſas hoſpitalium & miſerabilium perſonarũ ſibi diligenter habebunt commendatas, promouebunt, pontes & vias publicas etiam omnibus modis conſeruari & inſtaurari curabunt. Sententias vero ac dicta teſtium, donec publicata fuerint & adprobata, ſub ſecreto fideliter retinebunt, omniaque ac ſingula alia recte & iuſte facient, atque exercebunt, quæ ad dictum officium quomodolibet curabunt. quod in hoc maxime conſiſtit, ceu vidimus iam, quod notarii tales creati per omne Imperium poſſint ſcribere & publicare contractus, iudiciorum acta, inſtrumenta, teſtamentorum tabulas, decreta quoque & auctoritates interponere in quibuscunque contractibus, eiusmodi quid requirentibus, aliaque peragere in iuribus ipſis conceſſis. Lites & innumeras propemodum quæſtiones, quod ſcriptis de notariis vulgatis vberius diſcutiantur, recoquere heic nolo, contentus extantiora duntaxat tetigiſſe. Cameræ Spirenſis notarii, quod non creentur ab illa, ſed immatriculentur, & hoc ipſo ius ibi exequendorum proceſ-

ceſſuum accipiant, non ſunt huius argumenti. Rationem eos in album Cameræ recipiendi, quæque iura habeant, tradit Gylmannus *tomo I Symphorematum, parte II tit. 9.*

Beneficium legitimationis apud Romanos triplex. Germanorum probatio natalium durior. Quodnam hodie ius circa legitimandos obtineat.

Neque vero poteſtas comitum palatinorum eo ſolum dirigitur, vt aliis certas in republica partes deferat, cum cura habendas, quin ipſa potiſſima ſibi relicta cognoſcat, & peragenda ſerio ſtatuat. Legitimationis actus in primis huc pertinet, quibusdam inuiſus adeo & perodioſus, vt criminandi quotidianam inde materiam habeant. Hermeticum adpellant, aut ſuo more alchemiſticum, fallacem, præſtigiarum pleniſſimum, quod ſicut ex plumbo non fiat aurum, ita neque ex ſpurio honeſtus & legitimus. Verum iſtos naturales admodum ſæculique paraſitos merito dicas, qui ciuitatis noſtræ mores ac leges ignorant, nec, quid iure fiat in illa, aut fieri poſſit, intelligunt. Qui toti fert leges imperio, & ad æquitatem cuncta perducere ſtudet, his etiam qui nihil iuris in propriam natiuitatem habebant, aut impedire poterant illam, næuum naturalem, quo alterius vitio laborant, ex gratia detergere non magis vult, quam aliis de hoc diſpenſandi facultatem largitur. Maxime ſi ſemina virtutis, & igniculi, quos natura duces ad præclaras

res

res inſeuit; facile deprehendantur, aut ſi merita iam pateſcant, intereſt publice macula ſpreta virtutem reſpicere, & ne quid obſit ei diligenter prouidere. Non eiusdem tamen conditionis habentur, quibus legitimationis beneficium obtingit. Alii ſunt ex concubinatu geniti, naturales vocati, alii παρὰ τὴν πορεὰν, promiſcue concepti & propagati, ſpurii, baſtardi. Non ad hos, quod ſine certo patre ſint, & leges obſtent, ſed ad illos legitimationem pertinere volunt. Difficile erit probare, huic diſtinctioni veteres in tantum fuiſſe addictos, vt æquiora nunquam admiſerint. Quin omnium ortus pari iure cenſendus, quod e pellicatu nati æque ac ſpurii ſint ex iniuſtis nuptiis, nec patrem habeant. Neque enim concubina melioris eſt conditionis, quam alia quælibet corpus vulgans, eiusque poteſtatem alicui faciens. Soli enim ex legitimo matrimonio patrem demonſtrant, quale vix erit concubinatus: & quamuis hiſce temporibus fuerit extra legis pœnam, non tamen omnibus ita permiſſus promiſcue, vt nulla plane ratio hinc reddenda foret. Sententiam iſtam grauiter perſequitur Conradus ab Einſidel, nobili *de Regalibus* tractatu, quodque *II, 76. ſeqq.* ſpurii iuxta & naturales conuerſim prædicentur, contra Bocerum & alios prolixe contendit. Modus legitimandi triplex quondam erat: vel per oblationem curiæ, a Theodoſio M repertus, quando naturalis filius a patre curiæ principis offerebatur, ordini decurionum in municipiis aggregandus, aut filia curiali elocabatur: vel per ſubſequens matrimonium, a Conſtantino M introductus, quando concubina ducebatur vxor, qua non tantum nati ſed naſcituri quoque pro legitimis habebantur. Ille

deſiit, huius autem nulla heic ratio comparet vberius deſcribendi. Nominationem inter hos modos nonnulli referunt, ſed probatio magis cenſetur nuptiarũ, quam legitimatio. Tertius eſt per reſcriptum principis, vnde nobis porro dicendi argumentum datur. E nouellis legibus inualuit iſte modus, quando vel pater liberos tantum naturales habens concubinam propter vitæ turpitudinem, mortis interuentum, aliasve cauſſas non poteſt ducere, precibus Imperatori oblatis petit, vt eos legitimet ac iuſtos pronuntiet, vel filius a patre ſcriptus heres, aut teſtamento dictus, natalibus reſtitui ſupplicatione deſiderat. De poteſtatis plenitudine princeps, licet non rogatus eſſet, vtrumque valet efficere, & vult etiam, in fauorem liberorum ac matrimonii, niſi diuerſa ratio prohibeat.

Germani veteres, vt Græci pariter ferunt Latinique ſcriptores, natalium explorandorum cauſſa Rheno puſillos commiſerunt infantes, clypeo impoſitos, quos coniectos intra ſinum ſuum, ſi quidem polluta matris pudicitia fuerint ſuſcepti, tanquam impuri lecti vindex, ἐλεγχίγαμος, rapidis vorticibus ſuffocauit: quos autem ſenſit legitima fœtura editos eſſe, placido leniter ſuſpendit alueo, inque trementes genitricis manus iterum ſubuexit. Antiquiſſimus mos eſt gentis noſtræ cum aliis, quæ pro genio ſuo duriora habebat plurima, comparandus. Incertum ſeruatæ pudicitiæ teſtimonium infantis præfertur ſaluti, qua teſtatius haut erat quidquam, ſi cum tempore natalium honeſtatem per virtutem, apud Germanos præcipue cultam, demonſtraſſet. Multi hoc factum fuiſſe exiſtimant ad robur probandum & animi virtu-

virtutem, aut potius vt corpori vires inde accederent. Sed neque Iulianus Apostata, neque Claudianus, neque Nazianzenus, quorum sæculo mos adhuc erat vsitatus, aliique antiquiores huius meminere, quos testes allegat Lipsius, cum Tacito expostulans quod insignitum atque peculiarem Germanis ritum omiserit. Sane rerum naturalium non adeo fuerunt imperiti, vt hinc tenellis robur vel conciliarent, vel auferrent. Rhenum colebant tanquam numen patrium, * eique de legitima suorum natiuitate iudicium & rationem inesse arbitrabantur. Superstitionis hæc erat vis, pietatis imagine animos deprimere, ne modum facerent in cultu, innocentium magno cum periculo coniuncto. Diuinæ prouidentiæ aut eius iustæ in pœnam permissioni tribuendum, quod plures in mediis fuerint vndis conseruati, vnde vanæ diuinitatis admiratores iustitiam fluminis æstimauerunt. Remansit ex hoc more probationis genus, non ignoratum hodienum, magos & cuiuscunque veneficii damnatos in profluentem coniicere, vt si supernatarent, rei iudicarentur, si submergerentur, innocentes, vanissimo dæmonis ludibrio, quo probabili euentu hominum mentes numquam magis occæcauit. Sed parum hæc in rem præsentem.

Not. in German. p. m. 96

Adparet inde naturalium apud Germanos condi-

* *Tacitus* V historiarum: *Rhenus & Germaniæ Dii, in aspectu, quorum numine capessunt pugnam. Freherus* II Orig. Pal. cap. 2 *scribit eius apud Coloniam Agrippinensem esse sigillum erutum, in quo viderit ipse figuram Tiberini patris cum litteris, RHENVS DEVS.*

tio duriſſima, ob vinculi cumprimis matrimonialis ſanctimoniam, qua ſinguli tantum ſingulis vxoribus contenti viuebant, præter morem aliarum gentium, plures vxores ſimul in coniugio habentium. Æuo quoque ſequiori a priſtina virtute defecerunt, quamuis manſuetiores facti modum legitimandi periculoſum illum omiſerint. Hodiernis moribus extra matrimonium natis in quamplurimis Germaniæ terris non patet aditus ad opificia, niſi viliora. In Italia contra Hiſpania, & fortaſſis alibi baſtardi non adeo ſpernuntur, ſed fouentur, ditantur, ad honores promouentur, legitimis haut raro præferuntur, tanquam albæ galinæ filii. Sed cauendum, ne habeamus omnes eodem loco, maxime perſonarum illuſtrium, quarum nothi ſicut connatæ virtutis ac fortunæ plerumque reſpectu longe nobiliores aliis, ita propter communem ortus irregularitatem non debent confundi. Rerum Burgundicarum ſcriptores de Philippo Bono memoriæ prodidere, quod VIII procreauerit nothos e diuerſis feminis, quos non ipſe tantum, ſed filius etiam Carolus pugnax ad dignitates euexerint, in aurei velleris ordinem adſciuerint, anno M CCCC XXXI a Philippo inſtitutum. Cumque ex lege inter heroes nemini daretur vellus, niſi ſummo loco natus aut nobiliſſimus eſſet, hoc ipſo teſtabantur, ſe naturales & baſtardos ob illegitimam natiuitatem iis non annumerare, quibus contra nobilitatis conditionem iure quid exprobrari poſſit, ſed nota potius atque macula carere, reſtitutione inprimis natalium accedente. Non comitum aut baronum, neque ducum aut marchionum titulos vſurparunt, magni ſibi & illuſtres viſi, vbi *Burgundiæ Baſtardos*

conf. Nic. Rittersh. de gradib. cognat. p. 26.

ſe

ſe ſcriberent, in natiuitatis memoriam. Inter hos Antonius, quod frater Carolus pugnax eſſet ſine herede, *magnus baſtardus Burgundiæ* vocabatur, ſpe ſuccedendi in Belgio. Sicut autem Cæſaris eſt ſolius beneficium legitimationis impertire illuſtribus, ita ad eum quoq; pertinet diſpenſatio circa affinitatem in matrimoniis. Vtrumque demonſtratur diſpenſatione Ludouici Bauari ſuper affinitate conſanguinitatis inter illuſtres, Ludouicum marchionem Brandenburgenſem & Margaretam, antea Ioanni Boemiæ regis filio nuptam, & diuortio ſeparatam, duciſſam Karinthiæ, nec non legitimatione liberorum eorundem procurandorum. Grauiter ibi queritur Imperator, quod epiſcopus Romanus adſeruerit pertinere ad ſuam auctoritatem talia, deque facto pluries diſpenſauerit in his, quaſi totius reipublicæ procuratio illi demandata eſſet.

Gold.tom.II Conſtit.ad an.1343.

In Sigismundina, ſiue conſtitutione de clericorum immunitatibus, legitimationis cauſſa cum aliis non penitus adimitur iudicibus ſæcularibus, & eccleſiaſticis tranſcribitur, vti quidam abſurde arbitratur, ſed ad horum iudicia iuſto deuoluta ordine prohibetur tractari ab illis, non requiſitis. Vtriusque partis priuilegia tantum & iurisdictionis limites ne tranſiliantur, aut ne permiſceantur, prouidetur. Immo cæſarea tot diplomata comitibus palatinis, & cumprimis iura Bartoli familiæ de legitimatione auditorum ſuorum, a Sigismundi patre Carolo Boemo tributa, diuerſum docent. Certam quondam pecuniam e legitimatis ad curiam imperialem rediiſſe litteræ Friderici II, ſiue eius filii Conradi IV Romanorum regis, commonſtrant. Quod ad horum

P.de Vin.VI ep.16. Gold. tom.III Conſtit. ad an. 1245.

horum temporum inſtituta, non aliter ac Hadriani, Conſtantini aut Caroli magni, multa per Imperium vel recens inuenta, vel inuenta pridem renouata debeant referri, non ingratam inde fore lectori ſpero veterem legitimationis formulam ſiue Friderici ſiue Conradi ſit, vbi heic quoque inſpiciendam proponam. Dignum eſſe „ decreuimus & conſentaneum rationi, vt hi, quos inter„ dum in legitimis actibus defectus natalium impedit, „ legitimationis honore per principem reparentur, & ſi „ quandoq; ſuper his imperialis fauor fidelium ſuorum „ ſupplicatione requiritur, liberaliter largiatur. Inde „ eſt, quod cum magiſter Theodinus de Curia clericus, „ fidelis noſter, pro legitimatione filiorum ſuorũ, quos „ dudum in ſacris ordinibus conſtitutus ex muliere ſolu„ ta de eadem terra ſe aſſerit genuiſſe, maieſtati noſtræ „ humiliter ſupplicauit. Nos eius precibus benignius „ inclinati, prædictis filiis de plenitudine poteſtatis no„ ſtræ, ex certa ſcientia, eos ſpurios eſſe ſcientes, legiti„ mauimus, & ad omnia iura legitima reſtituimus, vt „ tanquam legitimi, & de legitimo thoro nati, in bonis „ paternis & maternis, quæ feudalia non exiſtunt, ſucce„ dant, & ad omnes actus publicos & ciuiles honores, ſi „ ſe caſus ingeſſerit, admittantur, & in omnibus aliis ſu„ am libere proſequi valeant actionem, obiectione pro„ lis illicitæ in poſterum quieſcente, & lege aliqua non „ obſtante, * & ea præcipue quæ legitimari ſpurios niſi

ex

* *Authent. quib. mod. effic. legit. & c. quibus mod. nat. effic. ſui, per totum. & §. naturales. Si de feud. controu. fuer. int. dom. & agn. l. iubemus C. de emancip. liberor. & aliis ſimilibus.*

ex certa ſcientia non permittit, ita tamen quod vigeſi-„ mam partem prouentuum omnium bonorum, quæ„ prædictæ legitimationis beneficio ad legitimos eosdē„ peruenerint, ſingulis annis reddant curiæ noſtræ in re-„ cognitionem gratiæ, quam eis ſuper hoc duximus in„ dulgendam. Ex huius comparatione cum hodiernis facile patebit, quantum vel addi, vel demi ſoleat. Non par omnibus poteſtas datur, & plerorumque comitum non vltra ſpurios nobilium extenditur. Vſitatiſſima hæc ſunt verba. Quod palatinus comes naturales, baſtardos, ſpurios, manſeres, nothos, nefariis & inceſtis nuptiis procreatos, omnium ſiue ſacrorum, votitorum, ſiue laicorum, profanorum, iam copulatorum & aliorum quorumcunque, maſculos, feminas, etiamſi fuerint infantes, præſentes, abſentes, exiſtentibus vel non exiſtentibus aliis filiis legitimis, iis nec requiſitis, parentibus viuis aut defunctis, legitimare & ad omnia ſingulaque iura legitima reſtituere, ac omnem genituræ maculam penitus abolere poſſit ac valeat, exceptis illuſtrium principum, comitum, & baronum filiis. In Gruenthallenſi tamen priuilegio ſicut omnia habentur præclara, ita hoc paſſu maiora quoque conceſſa legimus. Er ſoll und mag auch Manns- und Weibs-Perſonen / edel und unedel / (allein die von Fürſten / Grafen und Freyherren unehlich gebohrne ausgenommen / welche er von Grüenthall zwar in die Ehr und Würde der ehlich gebohrnen ſetzen mag / doch über den Adel nicht ſetzen ſoll/) iung und alt ſo auſſerhalb der heiligen Ehe gebohren ſind / wie ſie immer Nahmen haben mögen / legitimiren und ehlich machen / mit denſelben ih-

rer

rer unschuldigen Macul und Vermählligung der unehligen Gebuhrt halben dispensiren / solche Macul und Vermählligung gantz auffheben / vertilgen / abthun. Ratio, quare naturales illustrium excipiantur, & præter nobilitatem non prouehantur, videtur esse præcipua, quod, si de communi legitimationis effectu gauderent, non solum illustris dignitatis capaces fierent cum legitime natis, verum & pari cum iis iure in omnia bona succederent. Quæ res tanti habetur momenti, vt dispensatio circa illam summæ duntaxat potestati merito reseruari debeat. Nobilium aliorumque nothi, siue a Cæsare, siue comite illius legitimati pleno iure fruuntur. Illi nobiles efficiuntur, hi pariter apti ad honores, dignitates in vtrauis politia, ac singulos actus publicos, tam ex contractu, vltima voluntate, quam alio quocunque modo, in iudicio, & extra illud, non aliter ac si iusto forent editi matrimonio, exprobratione & conuicio spuriæ sortis penitus extincto. Parentum nomina, arma, insignia, clinodia, passim locorum ferre, eaque de voluntate & arbitratu suo rebus honestis ac præclaris occupati possunt adhibere, citra iniquam vllius opinionem. Bonorum paternorum sunt heredes cum legitimis, remotioribus exclusis. In libera enim patris facultate censetur existere, quod disponat de bonis, cuinam relinquere velit, qua cum si principis factum, quod est instar legis, concurrat, & liberis honesto ortu gaudentibus legitima salua maneat, res extra omnem dubitationis aleam ponitur. De successione in feuda quærunt, an legitimatione adquiratur. Plura heic pacta specialia circa consensum eorum, quorum interest, & primæ in-

inuestituræ clausulas, occurrunt, quibus nisi expressis in diplomate verbis derogetur, vtique frustranea erit legitimatio. Singulos huius effectus & quæstiones controuersas *in Decisionibus* examinat Franciscus de Claperiis, Prouinciæ procancellarius, atque totum ibi de natalium restitutione argumentum legali tractatu eximie proponit. Gruenthallense priuilegium ita habet. Darzu sollen und mögen solche legitimirte Personen/allen und ieglichen / Geistlichen und Weltlichen / durch letzten Willen/Geschäfften/ und in andere Wege / auch ab intestato, bevorab und insonderheit ihren Vätern/ Müttern und Freunden/ ohne Mittel/ in Lehen/und eigenen beweglichen und unbeweglichen Gütern succediren/ und dieselben/gleich als ob sie von ihnen aus recht ehelichem Stande gebohren und herkommen wären/ erben / und aller Legaten fähig / theilhafftig und empfänglich seyn/ unangesehen und unverhindert aller beschriebenen und unbeschriebenen / gemeinen Lehen/ Land-oder Stadt-Rechten/ Satzungen/ Ordnungen/ Gewohnheiten / so dawieder seyn und auffkommen / verstanden / oder angezogen werden möchten/ denen wir in diesem Fall gäntzlich derogirt haben wollen / doch denen andern Ehelichen Erben in ab-und auffsteigender Linien / an ihren gebührenden legitimis unschädlich. Adhæc eius arbitrio consiliove permittitur, quotis partibus hoc beneficium largiri velit, vtrum omnibus, an saltem certis quibusdam, pro diuersa prensantium conditione.

An hanc potestatem palatini comites exercere per alios possint, vulgata multorum est quæstio. Cum vero

Sichard. in Cod. p. 109. n. 13. ro non ad legitimationis tantum pertineat actum, quam reliquos etiam priuilegiorum articulos, alibi discutienda veniet. De terminis & locis, in quibus legitimare comiti liceat, variæ sunt opiniones. In ditionibus Italiæ, ducatu Mediolanensi, Montisferratensi, dominio Veneto, & ceteris absque consensu superiorum nulli talia peragendi concedi, communi scriptorum calculo probatur. Sed hoc non imminuit magis ius, comitibus ab Imperatore datum, quam intercedit peruerso quorundam vsui, tam insignem iurisdictionis & gratiæ particulam male habentium. Qui singula potentatus territoriique iura ex ordine & decoro cupit administrari, neque heic alteri sua re male vtenti consentit, sed vt per omnia recto incedatur tramite diligenter curat. Explicat potiora huius materiæ capita Io. Limnæus, & quæ soleant in vtramque partem statui singulari studio describit. *IV, 4. n. 60. seqq.* Num ipse palatinus legitimare suos possit filios, etiam post dignitatis concessionem natos, nonnullis ansam præbuit dubitandi, inconditam sane ac intempestiuam, glossatorum subtilitas. Excepit eam Marcus Ant. Natta, & dignum vlcere smegma adhibuit consilio CCCCII, vbi disquiritur de caussa Alexandri Gonzagæ, filii naturalis Federici, Mantuæ ducis, cuius donationē & testamenti valorem Alexander viuus vrgebat. Maiestati enim repugnat imperatoriæ, priuilegium dare, vnde peccandi licentia maior esset. Quin ex quo pœna consequitur, illud non beneficium, quale statuitur comitiua, sed mali iure censetur irritamentum. Aut si venia delicti per Imperatoris diploma speratur, illud hoc ipso iniquum erit. Neque eos quis poterit natalibus restitue-

tuere, quos ante comitiuæ honores impetratos genuit, cum nunquam fiat, quod viro vitiis obruto ad hanc dignitatem via pateat. Plura non adferam, quod maior dicendorum pars ſuperſit.

Famæ & in integrum reſtitutio a quibus petatur. Ius ætatis veniam dandi, tutores atque curatores ordinandi, remouendi, vniones prolium, adoptiones, arrogationes, emancipationes, manumiſſiones, contractus varios confirmandi, decreta interponendi, qua ratione comitibus palatinis concedatur.

Legitimationis beneficio propinqua ponitur & naturæ ſuæ & poteſtatis reſpectu famæ reſtitutio, quæ propter vniuerſalitatẽ, qua paſſim locorum increbeſcit nocetve, penes Imperatorẽ eſt tantũ, & illos, quibus hanc facultatẽ gratioſe conceſſit, comites palatinos aliosqve. Sicut autem natales non vna ratione ſunt illegitimi, ita famæ quoque læſio ſiue iactura multifariam contingit, ſæpius propria, interdum culpa alterius. Honeſta exiſtimatio quod habeatur inter illa, quæ homini naturaliter ſua ſunt, non aliter eam ac ipſam vitam tueri debet, ni crudelis atque in ſemetipſum iniurius eſſe velit. Pleraque vitæ damna magna quidem, ſed famæ maiora ſunt, quam vt æſtimari queant. Qui vita periclitatur, ſatis

habet, quoad temporalia, cum gloria mori, ac sui non magis desiderium, quam honestam famam relinquere. Aliter statuendum de his, qui næuo vitæ aut de se opinionis rectæ laborant dedecore. Non interit illud, aut cum vita desinit, sed quo magis per ætates crescit, eo maiores vires accipit. Alterius vitio qui fert infamiæ notam, excusatior est, & veniam meretur æque ac ille, qui minore macula adspergitur. Quamprimum igitur quis ita famæ honoribusque restitutus est, siue de maiore sit, siue minori delicto, bona sua recuperat & pristinum ordinem, omnis contracti næui memoriam exuit, boni viri decus restauratur ei, nemoque nisi velit iniuriarum postulari exprobrare quidquam potest. In diplomatibus fere concipiuntur hoc modo. Damus potestatem, infames tam facti, quam iuris restituendi ad famam, & quamcunque ab eis notam abstergendi, tam irrogatam, quam irrogandam, ita, vt ad omnes & singulos actus legitimos apti habeantur & promoueri possint. Habent quidem principes vi iuris territorialis, quod non famæ tantum, sed natalibus etiã restituant suos ciues, omnemque turpitudinem eorum aboleant. Sic Ioachimus II elector Brandenburgensis quendam e sibi subiectis legitimauit, qui postea receptus est in societatem opificum, teste Scheplizio. Verum hæc iurisdictio non vltra possessas ditiones profertur. Sic fama per collegii aut integræ ciuitatis statutum imminuitur, quæ per eandem reparari potest, non impune laturam, si alibi locorum similia conaretur. Plurimum autem distant hæ restitutiones ab illo genere, quod describimus, vbiuis in Imperio valido. Et annumerari huic debent omnes ex gra-

p.4.Constit. March.t.15. qu.1.

tia

tia concessæ restitutiones, in potestate nullius magistratus positæ, qui licet caussa cognita vel damnare vel absoluere queat ex iure, damnato tamen delicti gratiam & famæ restitutionem facere minime potest. Hæc enim sola proficiscitur e principis animo, litteris impetratis a suprema eius curia, vel comite palatino pari facultate prædito. Antiquior est formula Cassiodori, *de pœna in exilium temporale commutanda*, vbi cuidam sex menses statuuntur, quibus exactis patriæ rebusque suis omnibus restitui poterat, sine infamiæ crimine. Si quis vero huic sanctioni obuiasset, trium librarum auri mulctæ obnoxius habebatur. Hanc etiam inter constitutiones Imperiales radiare voluit Goldastus, sub Theodorico Ostrogotho, rege Romanorum. Recentior est, quam Petrus de Vineis reliquit, propter hodiernos mores, & priuati iuris vsum omnino dignam quæ legatur. Per obtrectationes & calumnias, non ex iustitiæ regula, vti docet allegata epistola, facti infames erant duo fideles alias, quos Fridericus I deportari iussit in insulam. Hos restituit eius filius, omnem offensam & notã infamiæ, quam propterea noscebantur incurrisse, de plenitudine potestatis penitus abolens ac remittens, lege vel consuetudine aliqua nullatenus obsistente.

III Var. 46.

Tom. III p. 51
lib. VI ep. 13.

Restitutio in integrum huc quoque spectat, quam Leges Francorum antiquæ Reformationem adpellant, & per singula fere momenta cum Romanis conuenientiam declarant. Neque hoc fori remedium priuatorum tantum erat, aut solius Romanæ ciuitatis, quæ per Prætores illud impertiebat, sed inter principes etiam ac respublicas independentes frequentabatur, non obstante, quod

nullus eſſet prætor, nullum iudicium, nullum tempus præfinitum, quo daretur executioni. Non eſt in rem noſtram, de his agendi prolixius, cum palatini comites circa minores pæne occupentur, eccleſias nempe & communitates læſas, quibus altera parte prius ad hoc vocata & iuris ordine diligenter ſeruato, reſtitutionem integrã concedere poſſunt. Totius argumenti tractionem abſoluunt, & inſtar omnium heic merito cenſentur, Io. Strauchius, quique ſecundas ei facit Io. Schilterus, omnis humanæ ſapientiæ & iuris maxime ſine exemplo conſulti. Ille exercitatione III ad L deciſiones Iuſtiniani, hic XI ad pandectas, qua non tantum Romani mores, ſed Germanorum etiam circa reſtitutionem in integrum proferuntur leges, comparantur, & adplicantur. Apud illos, ceu diximus modo, prætori & magiſtratibus licebat antiquiſſimis temporibus tantum reſtituere, poſtea tamen & pedaneis ordinarie conſtitutis hæc data facultas. Eam hodie iudex ſuperior & inferior habet, niſi quod moribus Galliæ Belgiique a ſolo principe vel ſuprema reipublicæ poteſtate, precibus oblatis impetretur, a qua demum ad iudicem ordinarium cauſſa, eiusque reſciſſio & actio redintegranda remittitur. In commiſſione Vicariæ Friderici II Imperatoris cum poteſtate gladii, ſicut alia cum palatinis communia demandantur, ita & articulo IX vicario tribuitur, quod maioribus & minoribus, quibus vniuerſa iura ſuccurrunt, cauſſa cognita reſtitutionis in integrum beneficium valeat largiri. Maiore tamen prærogatiua vicariis concedebatur reſtituendi facultas, quod & alia haberent ampliora magiſtra-

ſtratus iura. Comitum palatinorum poteſtas, vltra reſtitutionem minorum vix adſurgit.

Succedit ætatis venia, res in ſe naturalis, ſed humano conſilio facta ciuilis. Qui enim ætate minor eſt, principis gratia maior natu fit, eique deſiderati hactenus anni, tanquam forent exacti, ſupplentur. Non tamen ſaltus heic fit contra naturam, aut inhabilis præter merita ſua mentisque vim rebus gerendis idoneus pronuntiatur, ſed temporis pariter ſexus & morum ratio habetur. Maſculus ante vigeſimum annum, femina vero ante decimum octauum ægre veniam impetrat, cum propter detrimentum in propriis, tum & reipublicæ, cui ſemper eſt curæ, ne quis re ſua male vtatur. Si proinde numerus annorum definitus & virtus adeſt ætatem ſupergreſſa, ſi vitæ morumque honeſtas minorem commendat, in procliui res eſt. Hæc autem poteſtas dandi veniam penes Cæſarem ſemper fuit, vsque dum æuo ſequiori propemodum cuiuis plenam iurisdictionem habenti concederetur, ne tot itineribus & ſumtu petentes Imperatoris aulam ſequi cogerentur. Maxime poſt Fridericorum Auguſtorum tempora, propter negotia minorum in publico rectius peragenda, ex antiquo more inſtaurata, & vicariis primum, mox comitibus palatii cæſarei data eſt, neque tamen promiſcue omnibus aut fac[i]litate adeo larga vt quibuscunque etiam illuſtribus annalem gratiam facere poſſent, ſed vt circa inferiorum cond[i]tionem fere verſarentur. Sicut vero principes iure ſ[u]pereminenti plura in ditionibus ſuis poſſunt, ita veniam etiam ætatis ſubditis ſuis largiuntur, conceſſione facta ab Imperatore, qui de his inſuper ſupremam ſibi

Heig. pag. 2. qu. 40. n. 32. Beſold. de Reg. c. 2.

ſibi recognitionem reſeruauit. In præcipuis comitum palatinorum diplomatibus ita deſcribitur, **Mit den minderjährigen/ und unvogtbaren / ihres unvollkommenen Alters und Mängel halber zu** diſpenſiren. Maſculus veniam petens ipſe apud iudicem, comitemve cum curatoribus & pro ximis agnatis comparere tenetur, vt de annorum ac ingenii qualitate exactior inſtitui diſquiſitio queat. Femellis ob ſexus honorem & verecundiam licet perſonam per procuratorem repræſentare. Quare vero his quoque citius venia detur, cum antiqua lege feminæ in perpetua cura propter naturæ fragilitatem fuerint, nulla poteſt ratio reddi, quæ prudentibus probetur. Conſtat, ciues Romanos ad matrimonium ac prolem frequentandam variis modis adductos, & biennio pariter has ante maſculorum pubertatem nubiles fuiſſe habitas. Noti ſunt honores, quibus cumulabantur, qui multam iuniores publicæ rei ſobolem dederant. Aulus Gellius queritur de peruerſis æui ſui moribus, quod ætati nullus amplius tribuatur honor, nec exemplo veterum natu maiores colantur a iunioribus, ſed præmiis honeſtentur & magni tantum fiant, qui vxores ac liberos habeant. In ſpectaculis certe honeſtior eiusmodi proletariis locus erat. In petendis honoribus pro liberorum multitudine annorum gratia fiebat, & iunior conſul faſces accipiebat, modo ſenem fœcunda prole ſuperaret. Minores viginti annis alias non admittebantur ad honores. Iam vero ſobolem nacti ſatis apti putantur. Qui anno vigeſimo quinque liberos, qui vigeſimo ſecundo tres habebat, ætatis veniam impetrabat, dignus vtiqve publicis muneribus.

II Attic. Noct. XV.

ribus. Vt sic pateat abunde beneficii huius ratio & diuersitas, ex antiquissimo Romanorum instituto deriuanda. De iure communi veniæ huius multi statuuntur effectus, quos in formula Cassiodorus expressit. Potior est, quod minor omni curationis & alienæ potestatis vinculo soluatur, nec aliter ac si vigesimum quintum attigisset annum, rerum suarum administrationem consequatur. Bona tamen siue prædia sine superiorum consensu alienare non poterat, nisi speciatim esset hoc permissum. Quæ solent alias his affinia proponi, passim obueniunt. *VII Var. ep. 41.*

Ætatis veniæ sunt contrariæ tutela & cura, hoc potissimum nomine ab æquitate naturali repertæ, vt, qui ob defectum ætatis & iudicii rebus propriis superesse non possunt, adultiores reipublicæ prouisu accipiant, iustitia, opibus humanitateque insignes, qui bona illorum tanquam sua curent, administrent, tueantur. Romanæ gentis hac in re prudentia laudatur, qua plures leges tutelares certis dispositæ titulis relictæ sunt. Inter varias autem tutelarum species, testamentariam, legitimam parentum, patronorum, fratrum, datiua heic in primis obseruanda. quæ sic vocatur, quod, republica adhuc libera, nullos plane tutores habentibus dati fuerint in vrbe a prætore, maiorumque tribunorum parte, in prouinciis a præsidibus. Postea vero potestate omni ad Imperatorem translata Claudius edixit primus, vt pupillis tutores a consulibus darentur. Sed vix diuturna hæc erat ordinatio, cum Marcus Antoninus philosophus prætorem tutelarem institueret: de quo tamen iuxta & consulibus notandum, hanc illis potestatem non iure *Capitol. in eius vita.*

magistratus aut imperii competiisse, sed ex speciali principis concessione. Vicariis Italiæ Fridericus II eandem dedit, vt ex formula Petri de Vineis aliquoties laudata, *de commissione vicariæ*, supra docuimus, a quibus in comites palatinos ab Imperatoribus haud dubie deriuata videtur. Verba diplomatum cum tutoribus semper curatores iungunt, hoc sensu. Vt possis ac valeas tutores & curatores ab aliis datos confirmare, vel eosdem ipse ordinare, legitimisque intercedentibus caussis amouere. Quæ præter hæc solent quæri de tutelæ pariter curationisq; iuribus, consuetudinibus, statutis in qualibet ciuitate aut prouincia receptis, legentibus passim occurrunt. Vnus poterit Martinus Magerus diuersis locis *de Aduocatia armata* istarum rerum cupido sufficere.

Quemadmodum vero per curam tutelamve pupillis veluti parentum comparatur præsidium: ita per adoptionem itemque arrogationem parentibus prole carentibus liberi dantur in solatium. Illud necessarium est propter commoda singulorum, quibus publicum bonum maximam partem continetur, hoc ne bonorum possessiones atque successiones in incerto sint, aut familiæ citius intereant. Plures inde fuerunt, qui liberorum procreationi adoptionẽ anteferrent, quod per illã sæpius cogerentur degeneres & ingratos tolerare parentes, hac potius liberrima daretur facultas probos & eximiæ spei seligendi homines. Quamuis autem aliis quoque gentibus in vsu fuerit, in primis tamen Romani eam frequentarunt. Iustiniani temporibus imperio magistratus fiebat, quando pater liberos in adoptionem daturus hoc ipsum actis interuenientibus apud competentẽ iudicem ma-

manifestaret, præsente adoptando neque contradicente, iuxta & adoptante. Cuius rei hæc erat vis, vt, iuribus naturali patri seruatis integris, nihil ad patrem adoptiuum transiret quidquam, & ne potestati quidem eius adoptatus esset obnoxius, licet ab intestato succederet, tanquam filius ex illo natus. Arrogatio ab hac numero saltem differt, estque adoptio impuberis aut eius etiam, qui sui iuris, nec nisi principis auctoritate fieri potest, cognita prius caussa an honesta sit, & expediat pupillo. Hodie sunt vtriusque exempla rariora, vsus tamen non penitus neglectus, etiam iure Saxonico. Gerardus Feltmannus, libello *de titulis honorum* contra Gudelinum & Christinæum demonstrat, adoptionis ritum apud Belgas esse, nobilitatem autem per eam non adquiri, quem consulas. Si quid tale tamen peragendum foret, vel magistratui ordinario, vel comiti palatino potestatem eius factam esse videmus. Magis recepta & consuetudine repetita per Germaniam passim vnio prolium, adoptionis imago, qua liberi ex diuersis coniugibus nati propter mutuum omnium inter se amorem, ac sedulitatem rei domesticæ augendæ, coniunguntur æquali spe succedendi. Dubitationi, quod eiusmodi vniones pacta sint futuræ successionis adquirendæ, & hinc lege prohibeantur, quasi contra bonos mores votum inducant captandæ mortis, respondet solide Andreas Gailius obseruatione CXXV libri secundi, vbi & cetera, quibus vnionum forma comprehenditur, cognitionem caussæ, agnatorum, tutorum & curatorum auctoritatem, quæ & in arrogatione requisita, opum siue bonorum summam, tam vniendi coniugis, quam defuncti, inuentarium conficiendum, &

Schilt. exerc. III ad π. lib. II, 16. p. 426.

& alia recenſet, quorum in hoc actu nullum a comite palatino poteſt omitti. Huic ſi iungatur Io. Rikius, qui peculiari ſcripto in hoc argumentum intendit ingenium, amplius erit nihil, quod ſtudioſi lectoris impetum cohibeat.

Emancipationem iuxta & manumiſſionem, iuris perſonalis inſignia capita, comitibus palatii cæſarei demandari ab imperatoria maieſtate patet. Vagi ſunt igitur & rerum ignari, qui ludibria fori Romani ſaltem antiqui hæc nuncupant, neque noſtris temporibus conuenire, adſerunt, quibus æqua cunctis libertas conſtet. Rectiora docuerunt viri vetuſti moris hodiernique periti ſſimi, quorum ſi nomina denuo vſurparem, verendum eſſet, ne incongrua laudatione detererem. Emancipatio quidem ipſius vrbis ortui coæua, Romuli inſtituto de iure vitæ necisque parentum in liberos cœpta, & a Quiritibus diligenter obſeruata. Erat autem abalienatio, quæ prius quam fieret plenaria, patri licebat ter filium, ſemel filiam vendere. Cumque durior poſtea videretur liberorum conditio propter trinam hanc venditionem, eius loco ab Imperatoribus tantum ſimulacra ſunt introducta, quorum ambages & ſolennitates in antiquitatum Romanarum theſauris explicantur. Hodie non aliter quã adoptio duplici modo fieri conſueuit, vel corã principe, qui ſuo nomine poteſtatem palatinis facit, vel magiſtratu ordinario. Illum Anaſtaſii Cæſaris ordinationi, hunc Iuſtiniano tribuunt, vtrumq; titulo C. *de emancipatione liberorum* contentum. In conceſſionibus palatinorum imperatoriis facultas ita datur. Solche adoptirte und arrogirte/ auch andere ehrliche und ehelich

gebohr-

gebohrne und legitimirte Personen zu emancipiren/ und sie Våterlichen Gewalts/ deßgleichen leibeigene Leute und Knechte ihrer Leibeigenschafft und Dienstbarkeit zu erlassen/und zu erledigen. His vltimis verbis manumissio designatur, quæ proprie refertur ad seruos. Eam, si a dominis impetrassent, libertatem accipiebant, libertini vocati, quique procreabantur ex his, ingenui erant. Modus manumittendi triplex ab initio fuit, census, vindicta, testamentum, quibus ob fauorem libertatis accesserunt adhuc alii, per epistolam, in conuiuio, inter amicos, vnde tamen serui non plene liberari poterant. Ab istis oriebantur diuersæ libertinorum species, Iunianorum siue Latinorum, Dedititiorum, quorum iniquissima conditio seueriori etiam antiquitati exosa, Iustiniani vero humanitate omnino explosa est. Horum memoria hodie sic abiit in desuetudinem, vt relictis tantum nominibus, qui fuerint illi, aut quibus legibus vixerint, frustra disceptari videatur. Quemadmodum vero seruitutes gentium iure sunt introductæ, ita & manumissiones ab earundem plerisque instituebantur. Francorum pariter ac Germanorum serui e chartis & tabulis regum abunde noscuntur. Ludouici Imperatoris vltimi Carolinæ stirpis edictum de ritu manumissionis hoc est. Nouerint omnes fideles „ nostri, præsentes & futuri, quod nos rogatu Puruchar- „ ti, dilecti comitis nostri, quendam proprium seruum „ Ioan nominatum, in præsentia fidelium nostrorum, per „ excussionem denarii de manu illius, iuxta legem Sali- „ cam, in eleemosynam nostram liberam dimiserimus, &, „ ab omni iugo seruitutis absoluerimus, eius quoque ab- „

„ solutionem hoc scripto firmauerimus, quam in omni „ tempore firmam inuiolabilemque mansuram esse vo-„ lumus. Præcipientes ergo iubemus, vt sicuti reliqui „ manumissi, qui per huiusmodi titulum absolutionis a „ Regibus vel Imperatoribus noscuntur esse relaxati in-„ genui, ita deinceps memoratus Ioannes bene ingenu-„ us atq; securus existat. II KL. Iunii, anno DCCCCVI, „ indictione IX, regni Domini HLudouici VII. Actum „ in Rotvvila feliciter, amen. Non aperte dicitur, cuius prouinciæ fuerit iste Ioannes, aut qua conditione in seruitutem sit redactus. Germanos enim & vicinas iis gentes non habuisse seruos, passiua multorum est sententia, quam ex Tacito probabilem reddere conantur. Sed non soliciti sumus de temporum illorum statu, quod postea compertissimum habeatur, in ipsa interiore, prima & secunda Germania bellis aliisque caussis plurimos esse seruos ac proprios homines factos, eorumque vestigia hodienum exstare in Lassis, Wildfangiis, & iis fere, qui corpore bonisve sine superioris consensu alio migrare non possunt. His autem maius libertatis beneficium quin principis liberalitate concedi queat, nemo dubitabit. Prolixior est huius rei meditatio, neq; hoc loco proponitur apte, aut discutitur, cum quoad mores nostros
II Chron. 19. 20. Christophorus Lehmannus, ac pari circa res patrias notitia Io. Schilterus omnia hinc digredientium dubia sol-
II Exercit. ad π. uant ac nebulas errorũ clara mentis luce dispellant. Exempla hoc sæculo manumissorum, & actus ipsius ceremonias, quare conquiram anxius, non adparet.

Superest insigne ius, ad impuberum atque orphanorum commoda repertum, auctoritatem & decretum

alie-

alienationibus illorum, alimentorumve transactionibus interponendi. Manifestiore vix potest indicio cura singulorum deprehendi, quam si bonis eorum princeps ipse prouideat lege, vel per alios ne patiantur detrimentum caueat. Tale est decretum comitum palatinorum, quod ceu magistratus a summa potestate constituti rebus pupillorum adhibent, ne prædia & maiora turpilucricupidis leui pretio diuendant, aut sine sufficienti argumento alienent, alimentorum sumtus inutiles faciant, & vt aliis prosint sua decoquant. Si quidquam familiis interitum affert, isti erunt, qui bonis innocentium inhiant, & mille modis attrahere student. Accedit sæpe curatorum malignitas, res minorum non vt suas curantium, quos sicut ordinandi potestatem habent comites, ita & remouendi. Verum res inusitata prope videtur, quod ordinarii magistratus prouisio circa hæc omnia partes suas exequatur. Singulare & eximium est momentum in priuilegio Gruenthallensi, quod vltimæ voluntatis tabulis, sine testibus confectis, atque donationibus oblatis vim plenam & solennem tribuere possit, non aliter ac si coram publico magistratu peracta essent. Ipsa diplomatis verba proferam. Ferner ertheilen wir diesen Gewalt und sondere Gnade/wenn iemand ein Testament/ so ohne Gezeugen auffgericht/ ihme von Grüenthall zu Kremsek und Hartenek insinuiren oder übergeben/ und er dasselbige mit seiner Hand Unterschrifft und Siegel bekräfftigen würde/ daß alsdenn solch Testament nicht weniger gelten solle/ als wenn es vor einen Gericht/oder apud acta auffgerichtet worden wäre/ Jngleichem/ wenn eine donation, wie

groß

groß und hoch auch dieselbe immer seyn mag / ihme von Grüenthall insinuiret worden / solche insinuation solle nicht weniger kräfftig seyn / als ob sie vor der ordentlichen Obrigkeit beschehen wäre. In priuilegiis palatinæ dignitatis, quæ nobis obuenerunt, simile quid haut inuenimus. Patet ingens clementia & Imperatoriæ maiestatis in suis ornandis liberalitas. Nobilissimæ Oelhafiorum genti Noribergæ peculiare ius, beneficio Maximiliani I Imperatoris, anno MCCCCXCIII datum est, quod eorum testamenta coram duobus vel maxime tribus testibus, iisque forte fortuna aduenientibus condita, vbique locorum valeant, docente *in differentiis Iuris Ciuilis & Reformationis Noricæ* Io. Hieronymo Wurfbainio, *additione ad n. LXVIII.*

Dignitatum siue graduum academicorum origo. Potestas eos conferendi qua ratione comitibus palatinis facta sit. Doctorum, Licentiatorum, Magistrorum bullatorum, quos aiunt, creatio & eorum iura. Laurea poetica quando sit apud nos recepta, eiusque varia conditio.

Quæ hactenus diximus, comitibus palatii cæsarei competunt iure speciali, cui dignitatum quoque academicarum collatio quomodo sit accensenda, porro disquiremus. A Romanorum moribus in nostram rempublicam alias pleraq; honorum genera deducimus. Et sicut

ſicut omnem litterarum cultum, ita & litterarum ab iis præmia nos accepiſſe credi par eſſet. Verum præter nomina, quæ tanto ambitu & ſolennitatibus publicis in dignitatem concedi hodieque videmus, nihil omnino habemus. Magiſtri quidem nomen apud antiquiſſimos Romanorum in vſu fuit. Interdum deſignat eum, qui litteras præcipue, aut quamcunque rem aliam docet: ſed non aliter ac nomenclatio doctoris communis eſt, neque prærogatiuam in tribu aut alibi conceſſam oſtendit. Poſtea nominibus magiſtratuum variis exprimendis adhibitum, & cum dignitate comitis ſæpe coniunctum, vel eius etiam loco poſitum legitur, ceu dedimus exempla ſuperius. Quod autem in ſcholis, quas Romæ, Conſtantinopoli, Beryti, Alexandriæ habuere, academico ritu in gradum honoris datum ſit, nuſpiam reperies. Profeſſores ne plane ſine præmio forent, poſt viginti annorum ſtudia, diſcentibus conſecrata, vicaria primum dignitate honeſtabantur, ſpectabiles dicti, mox addita comitiua illuſtres fiebant. Similia quoad vacationē in Galliis Hiſpaniave obtinere in hunc diem modo docuimus. Sed hę ſimulacra quidē hodierni moris iſte titulus continet, codicillaris, honorarius, quietem a laboribus ac remiſſionem ſaltem concedens. Pancirolus huius priuilegii rationem de noſtris doctoribus ita interpretatur. Quamuis XX annorum munere defuncti in ſcholis hodie comites fiant, priuilegia tamen popularium non amittunt, nec deſinunt eſſe, quod ante fuerunt, ſicut monachus factus epiſcopus, monachus eſſe non deſinit. Aliarum gentium in ſcholis honores, & propter litterarum cultum dignitates collatas memorant, quas noſtris l. c. I, 87.

exemplo fuisse, sicut argumentis nec affirmare, ita nec conuellere pretium duco. Si temporum ratio habetur, & dignitates comparantur, vero maxime consentaneum adparet, graduum academicorum distinctionem apud Gallos cœpisse. Parisiis enim sæculo circiter duodecimo cum academia philosophiæ iuxta & sacrarum litterarum studiis ante alias tota Europa floreret, *magistri* itemque *doctoris* adpellatio fere iis competebat, qui doctrina & præstantissimarum rerum scientia reliquis antecellebant. Cum vero consuetudine saltem ac hominum consentiente opinione titulus magistri vel etiã doctoris hactenus tribueretur, nec sine multorum adplausu esset, euenit tandem, vt publica auctoritate in studiorum decus & incrementum soleret ab excellentissimis omnis litteraturæ antistitibus per certa signa diligentibus ac præmio dignis deferri. In enarratione statutorum theologicorum academiæ Parisiensis Io. Filesacus hæc ita „recitat. Philippo Augusto rege, nullæ aut paucæ le„ges, vt nec solennes ritus & formulæ ad curriculum „theologicum emetiendum, vel doctoralem lauream „adipiscendam. Sed vt ego arbitror, prout quisque in „rerum theologicarum cognitione sub theologis, qui „publicas habebant scholas, profecisset, communi velut „auditorum consensu, ad libros veteris aut noui testa„menti exponendos sese accingebat, quod ex Abælardi „epistola colligi potest.

conf. Conr. Diss. III & IV de antiquit. Acad.

Quemadmodum vero omnium rerum primordia sunt tenuia, sic & graduum siue dignitatum academicarum se habent. Paucis ab ortu suo obuenerunt, sed iis, qui merebantur vnice, & aliis honesta studia æmulanti-

bus incitamento poterant esse. Non ambitus, non largitiones pro impetrandis honoribus oblatæ, dignum ostentabant magistrum aut doctorem, sed scientia rerum, & necessaria reipublicæ doctrina, cui soli præmia non ignorantiæ statuerant. His quoque non aliis magis, bonarum artium instauratio per orbem debetur, quibus vbi prudens & recta semper administratio constitisset, vigor litterarum perpetuus sperari haud dubie potuisset. Nulli via patebat ad publicum munus, ni suæ dignitatis publicum in academia specimen posuisset, aut eruditionis probatæ testimonium reportasset. Circa sæculorum XII & XIII confinia pariter in Italia studiis iuris ac philosophiæ reflorescentibus nemini licebat vel artem faciendi medicam, aut academicum honoris characterem vsurpandi, nisi prius examine instituto dignus iudicaretur. Friderici II Imperatoris leges hac de re in Constitutionibus Siculis habentur. Medicorum scholis, Neapolitanæ iuxta & Salernitanæ, ordinationem sequentem dedit conseruandam. In terra qualibet regni nostræ,, iurisdictioni subiecta duos viros circumspectos & fide ,, dignos volumus ordinari, & corporali per eos præstito sacramento teneri, quorum nomina ad curiam nostrā ,, mittentur, sub quorum testificatione electuaria & si-,, rupi ac aliæ medicinæ legaliter fiant, & sic factæ ven-,, dantur. Salerni maxime per magistros in Physica hoc ,, volumus adprobari. Præsenti etiam lege statuimus, ,, vt nullus in medicina vel chirurgia, nisi apud Saler-,, num vel Neapolin legat in regno, nec magistri nomen ,, assumat, nisi diligenter examinatus in præsentia nostro-,, rum officialium & magistrorum artis eiusdem. De stu-,,

diorum reliquorum gradibus, professoribus & doctoribus publicis idem accipias, quod finis vbique & ratio communis egregii par habeatur. Memorabile præcipue hac in lege, quod candidati ad honores & munus aliquod adspirantis examini non artis eiusdem magistri tantum, sed officiales Imperatoris aut vicarii quoque interesse debuerint. Sic enim vocantur sæpe, qui huic rei destinantur, *ordinati ad præsentiam Imperatoris*, item *qui vice Imperatoris in regno remanserunt*. Non abhorret a vero, comitibus palatinis horum exemplo facultatem esse datam, sicut in plurimis aliis hoc ipsum ostendimus, honores atque dignitates academicas ordinis gradusque diuersi tribuendi. Scilicet optimarum litterarum studiis tota Europa velut e situ emergentibus, nihil omittebat penes quem summum erat iudicium rerum, vt ornamenta illarum iuxta cum incrementis fierent in dies augustiora. Ludouici Bauari tempestate, ac postea, prouentus ingeniorum fuit plane insignis, quorum cura, dotibus & industriæ monumentis factum est, vt noua plura inuenirentur, diuque sepulta & velut in exilium missa sapientiæ studia feliciter reuocarentur. Ne tamen quis absque præmio versaretur in certo disciplinæ genere, aut sine publico maneret elogio, in florentissimo cœtu adstantium pro studiorum diuersitate ac profectu titulum vel baccalaurei, magistri, licentiati, vel doctoris, poetæque laureati publica concessum auctoritate accipiebat. Sicut vero laudis ac gloriæ stimulis omnes vrgentur, ita nobilium æque ac ignobilium studia titulis academicis in mansurum cognomentum decorabantur, honesta illorum æmulatione prouehebantur.

Her-

Hermannus Hassiæ Landgrauius, illustre nomen eruditorum, in primis celebratur, quod in academia Pragensi artium magister solenni Caroli IV Imperatoris, & Boemiæ procerum congratulatione renuntiatus sit. Exemplum eius secutus Richvvinus, Lotharingiæ dux, episcopus Argentoratensis, magistri elogium sacro iunxit ordini. Ioannes, dux Megapolitanus, XX annis in academia Parisiensi commoratus ditionibus regundis ante noluit præesse, quam summos in theologia honores adeptus esset. Sic & baro Starenbergius Euerhartus, doctoris theologi titulum non dedignabatur. Tanti nempe tunc habebatur academicus honor, vt in celsissimorum nominum amplitudinem expeteretur, & prudenti sæculi more præstantioribus ingeniis calcar adderetur similia conandi.

Verum quæ bonorum solet esse conditio varia, inconstans, occidua, heic etiam cernitur. Secuta enim ætas optimo more male vsa, quæ in decus tantum eruditorum erant inuenta, horrida profusione, nec sine magno rei litterariæ detrimento, in truncos, omni doctrinæ succo carentibus, contulit. Acerbis inde conscinditur criminationibus, quarum pleræque in hunc fere diem audiuntur. Francisci Petrarchæ iam æuo suo de ambitione academica hæc sunt. Non mirum sa- „ *I de remed.*
ne, singulas ciuitates hodie sapientũ greges numerare, „ *vtr. fort. 12.*
qui tam facile fiunt. Venit iuuenis indoctus ad templũ, „
præceptores illum sui celebrant, vel amore, vel erro- „
re. Tumet iste, stupet vulgus, plaudunt amici & affi- „
nes. Scandit in cathedram, cuncta despiciens ex alto, „
& nescio quid confusum murmurans. Tum maiores „

„ certatim ceu diuina locutum laudibus ad cœlum tol-
„lunt. Tintinant interim campanæ, ſtrepunt tubæ, vo-
„ lant annuli, figuntur oſcula, vertici rotundus pannus
„ imprimitur. His peractis deſcendit ſapiens, qui rudis
„ aſcenderat, mira metamorphoſi, nec Naſoni cognita.
Sic fiunt hodie ſapientes. Non omnium ſarcaſmos & dicteria exaudimus, quod petulantia multorum eo proceſſerit, vbi vel pueri ſua ducti reuerentia abſtineant. Certiſſimum videtur, ex abundantia titulari primo faſtidium, cumque in elargiendis dignitatibus neque cauſſa illarum neque vſus amplius obſeruaretur, contemtum tandem exortum eſſe. Plures cordatiores, ac præſtantiſſimæ eruditionis viri, quod ſine gradu, ſine inſignibus eſſent, ægre ferebant, honores & præmiorum teſtimonia ſuper ipſam doctrinam haberi, ſua contra merita ſperni, deprimi, nec vna ratione contundi. Atque ex hoc fonte iudicante Bœclero, *de Fatis litterariis*, manauit, vt tituli ſolennes & academica honeſtamenta ludibrio vexarentur, riſu ſatyraque notarentur, odioſiſſimaque abuſuum exagitatioue totius actus ſplendor obſcuraretur. Attamen inficetus mos & male prenſantium, & male diſpenſantium, licet honeſtiſſimæ rei dedecori ſit, ingenuos ac ſibi conſcios abſterrere non poteſt, quo minus meritorum intuitu præmia doctrinæ ſuis momentis æſtiment, modeſte ambiant, rite collata cum laude vſurpent. Ad ordinem exercitationis redeo.

Comitibus palatinis in diſtributione honorum ac teſtimoniorum partæ eruditionis non æqua facta poteſtas. Aliis vnius facultatis, aliis duarum, aliis omninm facultatum doctores, licentiatos, magiſtros inſuper &

poetas creandi ius datur. In vetustis diplomatibus, ne beneficium cuiuis obtingat, aut omniũ ambitioni satisfiat, numerus definitus est, vltra quem impune comes non transcendit. Modus creandi cum academico fere conuenit, & ius creatis idem est cum iis, qui in academiis honores acceperunt. Formula concessionis plerumque hæc habetur. Vt possis ac valeas doctores tam in medicina & philosophia, quam vtroq; iure ac theologia, nec non licentiatos in omni licita facultate, magistros, baccalaureos atque poetas creare, promouere, ordinare, constituere; adhibitis tamen in cuiuslibet doctoris vel licentiati creatione doctoribus eximiis, de professione creandi, ad minimum tribus, qui promouendum examini subiiciant, & eũ, quem idoneum inuenerint, sufficientemq; comprobauerint, tu auctoritatem interponendo, doctoratus, licentiæ, magisterii, baccalaureatus, & poeticæ laureæ, vt moris est, insignia nostro nomine conferas. Qui quidem hisce titulis a te donati possint ac valeant in omnibus ciuitatibus, terris ac locis sacri Rom. Imperii, & vbilibet terrarum, omnes actus doctorales legendi, docendi, interpretandi, cathedram ascendendi & glossandi, de iure disputandi, consulendi, aduocandi, & ceteros actus doctorales vel licentiæ, nec non magisterii, baccalaureatus atque laureæ poeticæ facere, exercere, omnibusque & singulis gaudere & vti priuilegiis, prærogatiuis, exemtionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, præeminentiis, fauoribus, indultis & gratiis, aliisque quibus ceteri doctores, licentiati, nec non magistri, baccalaurei, poetæ laureati, qui in gymnasio Parisiensi, Bononiensi, Patauino, Perusino, Pisano, Louaniensi, Viennen-

ennensi, Ingolstadiensi, Pragensi, Lipsiensi, Tubingensi, Rostochiensi, Wittebergensi, Marpurgensi & Argentoratensi, quorum nomina percensentur in Gruenthallensi priuilegio, & quolibet alio publico & priuilegiato gymnasio promoti, vel etiam a nobis ac diuis prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus insigniti, seu aliter quocunque modo talia insignia acceperint, gaudent, vtuntur, & fruuntur, quomodolibet consuetudine vel de iure.

Priusquam vtriusque actûs, comitis palatini simul & promotoris academici, comparationem instituam, ipsa dignitatum nomina explicabo. Eorum ex ordine primum est *baccalaureus* originis abstrusæ, multa doctissimorum virorum industria quæsitæ, nec dum sine hæsitatione propositæ. Difficultatem attulit rei varia diuersarum nationum scriptura, & vocis in tot formas mutatio, quando secundum analogiam Latinam, Gallicam, Italam aut aliter etiam efferebant. Sententias omnium referre superuacaneum existimo. Communi fere calculo volunt, sic dici baccalaureum, quasi bacca laureatum, siue fronde lauri baccis onusta redimitum, qui honor capitis veterum poetarum fuisse fertur. Sententia hæc adeo placuit nonnullis, vt deierarent meliora dici non potuisse. Verum recentius longe est nomen istud, & ordinem designat militarem, vnde multi scribunt *buccellarium*, qui miles erat sequiori æuo, protector, custos corporis. Alii *bacularium* malunt, quod olim scuto & baculo militiæ tyrocinium poneretur. Alteserra hanc rationem habuit, quam in *originibus Linguæ Italicæ* Ferrarius ex veterum librorum auctoritate confirma-

firmauit, qui *bacciliere, bachilarius, baccalarius* præferunt. Vt igitur sit baccalaureus, qui singulari certamine pugnat vincitque, & hoc ipso sibi viam ad altiores militiæ gradus munit. Hinc facta translatio ad ingeniorum certamina, ad orationes, disputationes, quibus præclare habitis aditus ad honores patebat maiores. Hodie gradus iste propemodum obsoleuit, nec est quare caussas perquiramus. Magistri nomen, si dignitatem intuearis, antiquius est doctore, quodque hanc in rem quædam iam diximus, ac integra de magistris tam docentibus, quam reipublicæ præfectis dissertatio, summa diligentia scripta Matthiæ Berneggeri prostet, non erimus prolixiores. Doctoris dignitas magisteriali sic propinqua, vt aliquando eodem nomine censeatur vtraque, in epistolis maxime Pontificum, vbi solius magistri honor notabilis est, atque in doctorem postmodum conuersus videtur. Ante Fridericos iuris doctores vocati *iudices*, quod ex legatione ciuitatum Italiæ Constantiã missa cognoscitur, & scriptoribus illorum temporum aliis, qui per iudices passim intelligunt iuris interpretes, itemque eos, qui contractuum instrumenta conficiunt. Licentiati sic audiunt, quod doctoris titulo sint proximi, & summos honores iure possint ambire, nec nisi insignibus a doctoribus differunt. Pancirolus hanc in Italia dignitatem rariorem, vltra montes vero, siue in reliquis Europæ partibus frequentiorem esse scribit, ob euitandas impensas maiores, quasi præter has non aliæ possent caussæ interuenire. Vt igitur nomen a licentia magis promouendi, quam auctoritate iuris interpretandi habeant. Illorum diuersa noscitur esse ratio, qui vltra *l. c. pag. 89.*

gradum non progressi simul insignia sibi conferri publice volunt.

Totius autem promotionis actus duabus potissimum partibus absoluitur, examine & insignium collatione, quas in diplomatibus consignatas videmus. Illius in republica necessitas tanta, vt nemini vel docere, vel quidquam aliud maioris momenti statuere atque expedire liceat, nisi probatus antea & examine ad hoc facto idoneus inuentus fuerit. Vt autem æstimatione seueriore cuncta perpendantur, & eruditio, vita, aptitudoq; examinandi testatior habeatur, in cuiuslibet facultate, qua præmia tribuuntur doctrinæ, tres eodem gradu, virtute, sapientia & candore insignes viri requiruntur, quorum iudicio, nulla huc largitione adducto, neque perturbato vllius affectu, ex conscientia comitis res peragatur. Tanta quondam religio ante renunciationem erat, vt tam doctores in testes vocati quam præsentes reliqui iuramento confirmare deberent, examinatum dignum & sufficienti doctrina instructum esse. In solenni vero exploratione septẽ ad minimum esse oportere, qui de doctrina testarentur, plures e priscis iureconsultis opinabantur, persuasi constitutione Valentiniani ad Olybrium Præfectum vrbi missa, quam in Codice suo, de Professoribus & Medicis, Justinianus exhibet. Verum ad præsens illa refertur examen, vt in re simili leges aliæ vetustæ, quæ prudentiam Imperatorum in ordinanda republica demonstrant, de nostris vero moribus nihil præcipiunt. Loquitur constitutio de septem decurionibus ciuitatis, qui primi curiæ, summates, decaproti alias dicti, & plures interdum, sæpe pauciores erant, quibus cu-

ra tributorum exigendorum, & ciuitatis archiatrum siue medicum eligendi demandata, non autem eruditionem eius probandi, qua de collegium archiatrorum iudicare debebat. Sufficit hodie de sententia voluntateque Imperatoris trium testimonium, quod si negligatur inualida putatur promotio, si tamen pluribus constet, nec propterea hæc efficacior erit. Examinis ordo secundum comitum palatinorum conditionem ac studia varius est, eiusque nuper exemplum sine pari dedit vir antiqua virtute, prudentia & doctrina inclytus, promtitudine vero felicitateque in rerum actu nulli secundus, Io. Iacobus Auianus, comes palatinus, in aula Saxo-Gothana consiliarius & consistorii præses, patronus noster ob innumera merita æternum honorandus. Non vacat ex illius tabulis iam potiora delibandi, & hoc loco repetendi, cum ad exercitationis huius additamenta rectius pertineant. Ostendit ibi maleuolorum proteruiam, qua litterarum honori simul imperatorioque beneficio se opponunt, quorundam concessa potestate male vtentium exemplo excitati, qui tamen infra hanc dignitatem sunt, nec magnis viris aliis iure suo fruentibus obiici debent. Non minus respondet grauiter illis, qui ex inueterata opinione, nulla lege infrangibili, gradus a comitibus datos adpellant *bullatos*, & hoc nomine traducunt, quasi essent sine examine, siue insignibus concessi. Plures quidem mollius incessuri eos vocant *honorarios*, quod nullo cum aliis iure gaudeant, & præter titulum, sine doctorum comprobatione adquisitum, nihil possideant. Verum neque isti priuilegiorum vim intelligunt, quibus a palatinis rite creatis paria cum aliis iura contingunt. Cui

bilis ingenii neruum non infecit, aut omnem iudicandi facultatem ademit, intelligit vltro quæ sit in vtramque partem huic rei meta proposita, quæq; si perpetuo foret in oculis, non posset non disciplinarum cultus ac splendor egregie augeri, & ornari.

Examinibus igitur ex ordine factis & iis, qui honores ambiunt, dignis repertis, insignia conferri solent, cathedra, liber apertus, pileus, annulus aureus, osculum. quorum vsus antiquissimus , ipsis honorum gradibus prior, sed intermissus, vti probabile, atque cum istis repetitus. Nazianzenus parentaturus Basilio laudat eum, quod insignia, σημεῖα, quæ sæculi moribus philosophis, oratoribus, sacerdotibus, tribui consueuerant, neglexerit tanquam superuacanea , vt qui non phaleras, sed veram ex his doctrinæ vtilitatem suscipere vellet. Ex innumeris monumentis, inscriptionibus & priscis cimeliis, insignia doctoris in fratrem collaturus Nicolaus Peirescius, teste Gassendo in vitæ fine, ostendit quomodo vsus horum ornamentorum ab vsque Græcis & Latinis ad nos transierit, quave ratione ex philosophia & vetere sacerdotio gradum fecerit in doctrinam ac professionem multiplicem recentiorum academiarum, & hoc passim citatis patribus, conciliis, poetis, historicis, philosophis, orationibus, quibus plenam faceret fidem. Antiquitatis & historiæ litterariæ specimen insigne daret, qui serie non interrupta in hoc ipsum ingenii vires intenderet, atque rem multis ignoratam in solem ac lucem proferret. Nobis nec locus concedit nec tempus operam de his impensius differendi , consentis indicasse tantum vestigia, quodque comites nomine

mine Imperatoris insignia pariter suis impertiantur. Cathedra quidem in signum docendi, disputandique patet, quam facultem in concessionibus expressam legimus Atque primum hæc merito locum obtinet, quod præcipuam eruditionis partem requirat, docendi peritiam, interpretandi differendique scientiam, quæ cathedram facit, non contra doctorem cathedra. Vt digne sustineretur ista, multa quondam industria fuit adhibita, cuius documenta Eunapius in vita Proæresii describit, quæ si nostra etiam ætate solertius attenderentur, ingentia studiis commoda possent comparari. Liber clausus & apertus, totius bibliothecæ imago est, ψυχῆς ἰατρεῖον, quo studium designatur promtum versandi doctorum virorum paginas, & ex his in proprium atque communem vsum optima quæuis hauriendi. Res hæc trita & vulgaris putatur, sed vbi symbolo respondetur penitus effectu non caret. Summorum in republica virorum dona fuerunt aliquando libri, non tantum quod illis res a se gestæ continerentur, & nominis gloria posteris ita commendaretur, sed quod præstantissimis ingeniis æmulatio inde oriretur. Ornatus in cathedra libro pileum quoq; accipit, quem vulgo birretum adpellant. Capitis integumentum hoc est, a byrrho dictum, colore rubro, sicut contra Iul. Cæsarem Scaligerum, qui Gothicam vocem esse volebat, ostendit mortalium facundissimus, Octauius Ferrarius *de re Vestiaria*. In signo explicando variant omnes, aliique ab exteriore forma argumentantur, alii ex antiquis moribus libertatem hoc ipso designant. A sacerdotali Gothorum vestitu remansisse & symbolum sacri ordinis esse videtur, quorsum

II Part. lib. I. 26.

ſum omnes academici referuntur, quod reliquus etiam doctorum iuris habitus in antiquis picturis ab iisdem ſuperſtet. Sacerdotum Gothorum, mox Longobardorum veſtes erant ſtolæ manicatæ latæ pariter ac longæ, itemque cucullæ ſuffultæ pellibus, & in pectus demiſſæ. Tales in tabulis quoque & monumentis vetuſtis adparent iureconſulti, argumento non improbabili, eandem pilei eſſe originem. Annulus datur perinde ſacerdotali more, quo conſueuerunt ἐπισκοπεῖα, honores epiſcopales tribui confirmarique. Qui pronubum ſiue ſponſalitium vocant, quaſi deſpondeatur illo ſcientia, aut tanquam virtutis inſigni nobilitas conferatur, rem incertam & noſtra tempeſtate inuſitatam deſcribunt. Oſculum, quæque alicubi ſolet addi benedictio, inſignium nomen vix merentur. His igitur ornamentis dotati propter doctrinam publice geſtare debent illa, quo dignitas adpareat, & virtus remunerata ſtimulum aliis addat ingenuis, huc pariter enitendi. Multorum quæſtiones & opiniones obuias recenſere, ineptias diſcutere, ac omnia tandem ad integritatem argumenti huius facientia conquirere, non patiuntur magnorum hominum ſtudia, qui ſcriptis ampliſſimis abſoluerunt ſingula.

Supereſt poetarum laurea, honor antiquus, cum litteris in Italia reſtauratus, & Franciſco Petrarchæ primum oblatus, qui eius in epiſtolis aliquot deſcriptionem dedit. Senatus Romanus, penes quem ab initio fuit, ingenia ſuis honeſtare ornamentis, poteſtatem eandem ſæculo quartodecimo ſibi denuo vindicauit, & magno populi concurſu plauſuve in Capitolio dicto Petrarchæ ex antiquo more poeticam coronam impoſuit, quæ

dein-

deinceps summa cærimonia, magnaque nobilium turba comitante ad templum S. Petri delata & tholo suspensa est, vbi postilla diu videbatur. Insignis rei memoria Patauii publico consecratur monumento, quod vt hoc quoque loco exstet omnino meretur. Francisco Petrarchæ, archidiacono Parmensi, canonico Patauino, vita, moribus, doctrina & eloquio ita claro, quod exemplum desit. Is primus omnium Latinam linguam barbaricæ prauitatis mendis inculpatam restituit, ac vndique laceram exornauit. Quantum autem in Italico nostro idiomate valuerit, rythmi ob lauræ amorem compositi testantur satis, vt ob eos nemo alter vnquam, nisi ipse solus, pace omnium dixerim, quod non modo primus, verum etiam vltimus, merito ab eruditis omni ætate semper habendus sit. Idcirco ob eximias suas tam animi, quam corporis dotes primæ aliarum totius orbis ciuitates, Roma scilicet & Lutetia Parisiorum, vna eademque die inuicem certantes, quod mirum est, ad percipiendam lauream poeticam nuntiis ac litteris eum euocarunt. Quo facto, anno MCCCXLI, Idibus Aprilis, in resurrectionis festo amicorum consilio solenniter Romano in Capitolio maxima tam Romanorum, quam aduenarum procerum & aliorum adstantium frequentia, ab Vrso Anguillariæ comite, Romanoque senatore laurea corona insignitus est. Quapropter regum & principum fauoribus & nobilium amicitiis vsque ad inuidiam fortunatus extitit, & ita cum quibusdam fuit, vt ipsi quodammodo cum illo essent. Postremo vt finis erat eius anima terrena exuta spolia, vti credendum est, cœlum petiit anno MCCCLXXIII, die

Monumentum Patau. fol. 29.

XVIII Iulii, cum in carcere LXX annorum ſpatio vna minus die absque tædio permanſiſſet. Corpus vero ingenti funere depoſitum tumulatur Arquadæ in collibus Euganeis ſub dio in ſepulcro rubri marmoris. Vix poteſt dici, quantum a Petrarchæ exceſſu fuerit accenſum ſtudium rythmo patrio deſcribendi facta heroum, quorum vt in Germania magnus erat prouentus, ita carminum etiam meſſis feraciſſima. Non plura litteris antea conſignata, neque ſtudio præclariore hactenus facta. Scaldrorum ſeptentrionalium carmina, Germanorumque cantica, genus annalium antiquiſſimum, his temporibus in ordinem redacta, e quibus poſtea ſplendore litteris redeunte hiſtoriæ lux, & cultiſſima poeſis vernacula exorta eſt. Ad tempora fere Friderici III Auſtriaci nullus ingeniis honor, qui primus Conrado Celti, Traiecto Sueuorum oriundo, egregiis doctrinæ monumentis Noribergæ & Erffurti editis celebratiſſimo, lauream in facultatis huius decus obtulit, inq; ſuam ſcholam, quæ ad Pariſinæ exemplum efflorescebat, Viennam honeſtis præmiis euocauit, vbi diem obiit anno MDVIII. Multi ex conſtitutione Maximiliani I, quam Goldaſtus tomo III habet, vel male intellecta, vel non inſpecta, ſunt arbitrati ab eodem poetis dignitatem antiquam fuiſſe reſtitutam. Sed omni res dubio caret, & Fridericus Imperator a filio citata lege celebratur inuentor laureæ poetis in Germania primū impoſitæ, cuius inſtitutum ſecuti reliqui Cæſares auguſti poteſtatē hanc ſuo nomine academiis & palatinis gratioſe conceſſerunt. Quemadmodum vero aliorum graduum tribuendorum hæc ſemper fuit ratio, vt dignis obuenirent, examine cō-

proba-

probatis, aliorumque ſpeciminum laude claris: ita poeta nemo factus, qui plus furoris aliis haberet, ſed qui ingenio & conſcientiæ pretio ductus publicis ſapientiæ documentis inclaruerat, vnde vires & doctrina illius æſtimari poſſent. Æneas Syluius, lauream beneficio eiusdem Friderici III adeptus, ad Cardinalem Sbigneum ita ſcribit. Edidimus & nos aliquando verſus, ſcripſimus elegias, eclogas, ſatyram quoque dictauimus, non tamen Poetæ nomen propria ſumſimus auctoritate, nec prius hoc titulo ſumus vſi, quam Fridericus Cæſar Francofordiæ, viſis quibusdam epiſtolis noſtris, laurea nos donaſſet. Non vacat plura, quæ pro facultatis huius honore habet, proferre, cum plenius apud eundem legantur.

ep. CCCCII. pag. 936.

Armorum & inſignium honor a quibus & quare tribuatur. Ius in inſignia inquirendi, falſa abolendi, ſine auctoritate vſurpantes illa coercendi. Miles quomodo creetur? Ius geſtandi cinguli ab Imperatore impetrandum.

Non tamen ſoli doctrinæ honores conſtant in republica, ſed intereſt eius præmia quoque virtuti proponere, & variis pro communi bono periculis, quibus generoſa mens ad ſumma quæuis incitetur. Nullam ciuitatem, nullam gentem ſine his fuiſſe, aut rerum ſuarum

rum incrementa fecisse videmus, quamuis mos ratiove illa distribuendi penes omnes differat. Miltiadi, Athenarum ac totius Græciæ liberatori, talem ciuitas tribuit honorem, vt post pugnam Marathoniam in decem prætorum numero, qui simul depingebantur, prima eius imago poneretur, isque hortaretur milites, præliumque committeret. Romani vilioribus rebus pretium ex paucitate conciliabant, coronas largientes fortissimis viris gramineas, querneas, iligneas, quibus tanquam gloriæ irritamentis & veræ virtutis insignibus ad eam rerum gestarum magnitudinem enituere, vt reliquos fere populos superarent omnes. Ignauis contra, ne tale quid vnquam obtingeret maxima religione cauebant,
Liu. XXVII, 27. qua pariter permoti *honori* ac *virtuti* dedicauerunt ædem, pariete medio sic diuisam, vt nemini pateret aditus ad templum honoris, nisi porta virtutis antea patefacta. Prudentissimum institutum, quo sicut religio cunctos deuincit, ita virtus etiam publico cultu singulis ingeneratur. Hinc insignium quoque origo, non aliunde petenda, excelsissima sane, quod a virtute ducatur. Non antiquiorum gentium, Scytharum fulmen, Gothorum leonem, taurum Cimbrorum, non Phrygum suem, aut Alanorum canem respicimus, decurrentes ad metam laboris; sed maiorum nostrorum instituta paucis indicaturi, quomodo ius insignium adquisiuerint, eoque deinceps vsi sint.

E varietate colorum, quibus æuo Taciti scuta Germani distinguebant, communiter arguunt hodierni moris primordia fluxisse. Neque incongrua videtur opinio, quod summa insignium absoluatur galea & scuto, qui-

quibus antiquissimis temporibus, apud gentes cuiusque præclara facta inscribi, aut notis duntaxat indicari, consueuerant. Colores autem Germanorum lectissimi, hodienum in areis clypeorũ vsitati, non alio fine quondam adhibebantur, quam vt indicia virtutis ac testimonia ostentarent. Illa singulorum arma ad corporis præsidium inuenta, hi nobilitatis tesseræ picturæque erant. Quem usum militiæ præbebant scuta, hunc domi habebant in munere ac statu ciuili discernendo. Sicut honor & capitis decus Romanis corona e quercu vel gramine erat: ita Germanis color in scuto conditionem & gradum faciebat. Hoc ab aliis distingui, hoc eminere atque signo a virtute concesso sciri cupiebant. Ab hoc nobilitatis titulos, gentis characteres, & adpellationum formas petebant. Omnia sic scuto comprehensa, vt velut in Darii scrinio, quæ modo cara & pretiosa habebant, recondita putares, vnde si sors ita tulisset instrumenta vitæ, in republica munia, & generis prærogatiuam demonstrare possent. Germani laudabiliores hoc nomine ceteris, qui mœnibus clausi dignitatis notas vel in cute vel veste gestabant. Nobiles facti, qui nunquam pugnarunt, stemmate præstare, & pompam quærere visi, qui virtutis omnis expertes erant. Aliter cum nostris comparatum, qui virtute sua confisi, nihil a maioribus suo arbitratu vel sumebant vel in signo mutabant, quod non principis gratia daretur. De celebri Aluenslebiorum gente narrat Erpoldus Lindenbrogius ex antiquis monasterii Marienthalensis fragmentis, quod eam Carolus M. in comitiuæ dignitatem euexerit, insignia mutauerit, in scuto tres rosas, atque in casside coronato *Chron.Car. M.pag.200.*

vnam posuerit, in tesseram victoriæ atque virtutis, cuius studium hac ratione maxime excitabatur. Quæ si germana, patet familiæ hodienum florentissimæ antiquitas, & nobilitatis origo longe clarissima. Similiter inde discenda tribuendorum armorum auctoritas, ab Imperatore solum profecta, quam vi summæ potestatis nec intermissa consuetudine cum aliarum dignitatum collatione sibi perpetuo vindicauit. Insignibus autem a variis vel studio virtutis promeritis & modeste expetitis vel arroganter sumtis, ne Cæsaris curæ maioribus impendendæ toties distraherentur, certum denique muneris genus in palatio excogitatum & Haraldis commissum fuit. Veterum præcones, feciales, caduceatores cum iis maximam partem conuenisse, & pari iure vixisse memorant. Sed multum quoque discriminis inter vtrosque intercessisse, cuius harum litterarum perito facile constabit. Haraldorum ex Arnoldo Lalaingio descriptionem tradit Io. Henricus Bœclerus dissertatione exquisitissimæ doctrinæ *de ciuilis & aulici moris elegantia.* Præcedebant Burgundiæ ducem pro numero „gentium, quibus imperat, caduceatores, nescio an no„menclatores dicam, genus hominum Galliæ Germa„nisque & reliquis ad occidentem nationibus vsitatum, „Italiæ non perinde cognitum. Genus, nobilitatem, „decus principum, insigniaque per gentes familiarum „nosse, ipsorum muneris habetur, quibus maioribus no„bilissima quæque domus propagata, quid in quaque „honeste, egregie, fœde, turpiter factum patratumve „ipsi præcipue vel norunt, vel nouisse creduntur. Tuti „ac veluti sacrosancti, in pace honorati, in bellis quo-

que

que quamuis sæuis intacti. Libertas ac licentia scele- „
rate facta principum reprehendendi, minor nunc „
quidem, olim maxima. Ausi adire mensas regum & „
resupinatum, summo id ignominiæ loco habetur, pa- „
nem adponere, & linteum quo mensa insternitur, me- „
dium perscindere, & alia dedecoris notandi caussa fa- „
cere. Præclara huius muneris est occupatio circa familias principum, & in iis recte factorum atque turpium annotatio. Qui ad hoc ordinati, vt virtutis præmia nomine Imperatoris elargirentur, nosse pariter debebant, & obseruare vitia, quibus immergebantur nobilium & illustrium plures, ne forte in torneamentis, atque ingenuis ludis aliis, contra leges armorum, quarum pariter erant custodes, indecorum admitteretur. Petulantiam aulicam & mores fœde prauos, qui digne velit emendare, magnus oportet sit, innocentia vitæ, continentia, prudentia iuxta & grauitate incomparabilis. Habebatur istud hominum genus inuiolabile, sacrosanctum, vnicum pristinæ Germanorum ingenuitatis præsidium, quo virtus emergebat, quove intermisso magnis passibus deficiebat, quod ab hastiludiorum siue torneamentorum neglectu fere contigit, in quorum locum sensim chorearum ludibria & molliora succeßere plurima. Ex militum vero præstantissimis, & generis antiquitate nobilibus, Haraldi eligebantur, rebus gestis incliti, quorum virtus non vna ratione spectata, & reipublicæ salutaris fuerat. Neque alii ad hoc fastigium prouehi debebant, quippe censores heroum, & principum virorum in certaminibus arbitri futuri. Imperatorum inaugurationibus & comitiis intererant, negotia belli ac pacis tra-

ctabant, imperatoria mandata vel ipsi, vel per suos Perseuantes proclamabant. Cumque munus horum tandem referretur inter præclara mortalium, studia, & regulæ constituerentur, quibus in artis formam redigi posset, celebrata præstantia laborare cœpit, ob curiosam subtilitatem amplum, a paucis vix hactenus pro dignitate argumenti explicatum. Tot formulæ, tot eius præcepta constituta, quot sunt metalla, colores, & mistura horum vel splendor emissus. Ex interiore huius artis scientia sunt, quæ scribit Erycius Puteanus ad insignium equestrium ordinis aurei velleris instauratorem elegantissimum, Io. Iacobum Chifletium, qui non aliter ac fecialis quatuor annorum spatio hæc arcana scrutatus antequam equitum torquatorum arma proderet, & ad pleniorem illorum historiam, vastum opus, præstantissimorum virorum opem imploraret. Tot inquit regulæ natæ, quot formis diuidi, decussari, obliquari area scuti potest, quot fascias, tænias, limbos, quot palos, vectes, capreolos habet; quot turres, ædes, castella; quot vndas, nubes, astra; quot aues, pisces, quadrupedes; quot vngues, dentes, cornua; quot arbores, herbas, flores; quot faces, lampades, ignes; quot rhombos, plinthides, globos; quot instrumenta, machinas, moles. Videmus & galeam variari, apertam & clatratam, nunc rectam, nunc versam & obliquatam, nunc serto redimitam, corona cinctam, fastigio turbinatam. Etiam a metallo heic dignitatis pretium est; & excellit, quod maxime auaritia æstimat, quodque igni a Pindaro comparatur. Rem diffusam dicas, delicatam scientiam, curiosam censuram. Intelligere omnia, quæ dixi, & non dixi,

dixi, ordinare singula, arduum est; sed præcipue effatu omnia, verbis singula complecti, morosum & immensum. Qui hæc non capit veræ nobilitatis & gloriæ theatra, principum conclauia & musea ingrediatur, vbi maiorum imagines, tituli & insignia depinguntur, scuta in publico suspensa contempletur, præclaros quorundam labores & in his meditetur merita, rem ita se habere omnino experietur, sed contemtam velut in patrio solo & ignoratam tamdiu haberi, vtique dolebit. Seria est ac iusta querela, quam omnis elegantiæ studio doctrinaque apud varias nationes parta clarissimus vir, Io. Christoph. Wagenseilius, a quo nos amari inter eximia vitæ bona merito habemus, exercitatione *de titulis Imperatoris eiusque insignibus* protulit. Pudendum prorsus est, in- „ signe illud Haraldicum studium, a nobis vulgo tam „ contemtim haberi, negligique ita, vt multis vix de eius „ nomine constet, cui tamen antiquissimi maiores dede- „ re originem, quorumque in ornandis distinguendis- „ que scutis institutum, quod iam Tacitus in libello de „ moribus laudat, ad omnes postea cultiores gentes ma- „ nauit. Saxonicæ domus insignia fecialium formulis descripsit & libro commentario illustravit Phil. Iacobus Spenerus, Theologus apud Francofurtenses doctrina & exemplo insignis, cuius integrum opus, quo huius disciplinæ propria persequitur accuratius, vt lucem aliquando videat, vota sunt doctorum hominum ac preces, quibus pientissimus vir tandem perpelli poterit, ne studii nobilioris thesaurum diutius premat.

Ab Haraldis igitur concedendorum armorum, & hinc insignium potestas ad comites palatii cæsarei trans-

iit,

iit, quorum iura tamen varia ſunt, aliis ampliori, aliis minore gratia facta. Plures inſignia fere cum galeis clauſis tribuere poſſunt, neque omnibus aut quibuscunque volunt. Reuſnerus vi diplomatis quotannis quattuor aut quinque ſaltim honeſtis ac ſingulari vitæ teſtimonio conſpicuis viris inſignia poterat elargiri. Quæ cautio plane neceſſaria, ne dignitas virtute tantum parabilis cuiuis data inquinetur, aut hoc nomine digne iam ſuſtinentibus eam iniuria fiat. Elegans eſt annotatio
lib. V, 4. pag. 547. Bodini, quam in opere *de Republica* habet. Equeſtris dignitas, olim nonniſi pauciſſimis iisque digniſſimis tributa, exoleuit eo tempore, quo Carolus VI in obſeſſione Biturigum quingentos & plures equites momento creauit. Tum quoque patricia dignitas, quæ initio modo principibus & regibus federatis communicari ſolebat, ſordeſcere & contemni cœpit. Addit, legibus quondam in Gallia fuiſſe cautum, ne cingulum aureum geſtaret, quæ pudicitiam proſtituiſſet. Cum autem plerisque vſu veniret, vt proſtrata pudicitia de cingulis aureis gloriarentur, matronas probatæ virtutis aureo cingulo abſtinuiſſe, vt poſtea prouerbio iactatum fuerit, *integram exiſtimationem aureo cingulo praſtare*. Sed velut in tranſitu hæc allata ſint. Apertas etiam galeas cum ſcuto tribuere poſſe comites palatinos, quales tantum nobilibus atque doctoribus competunt, priuilegio Gruenthallenſi docetur. Ferner thun und geben wir dieſe beſondere Gnade/ Freyheit / auch unſere vollkommene Keyſerliche Macht und Gewalt/ daß ehrlichen/ redlichen Leuten/ die er deſſen würdig zu ſeyn erachtet/ welches/ wir denn ſeinem Gefallen und Beſcheiden=

denheit anheimgestellet haben wollen / einem ieden nach seinen Stande und Wesen / Zeichen / Wappen und Kleinod / mit Schilten / und verschlossenen oder auch offenen Adelichen Helmen schöpffen / geben und verleihen / dieselben Wappens- und Lehens-Genoß machen / und in den Adelstand erheben soll und mag. Vbi præcipue notandum, singulari gratia Io. Ioachimo de Gruenthall datum esse, quod cum insigni nobilitatem ipsam conferret. Nobilissimi viri, Io. Baptista de Baumsdorff, eiusque filius Io. Georgius, comites palatini, ampla pariter habuere priuilegia, sed isto longe inferiora. Effectus insignium rite concessorum est, quod hisce decorati vbique locorum & terrarum in omnibus & singulis honestis actibus, expeditionibus, bellis, in certamine singulari, duellis, pugnis quibuscunque, in vexillis, tentoriis, annulis, sigillis, in monumentis, sepulcris, picturis, sculpturis & vniuersa supellectile, pro suo arbitrio & voluntate adhibere, gestare illa possint; quod omnibus & singulis priuilegiis, iuribus, honoribus, dignitatibus, officiis, gratiis, & indultis vtantur fruantur, quibus ceteri ab Imperatoribus ipsis & Romanorum Regibus insignibus ornati & feudorũ capaces vtuntur fruuntur. Hæc saltem in concessione debent a comitibus obseruari, ne integram alicui aquilam maxime imperialem, coronam regiam in galea, auita quorumuis principum, comitum, baronum & procerum arma præcise largiantur. Quibus princeps suorum insignium partem concedit, summæ benignitatis atque gratiæ signum putandum est. Sic Bela Rex Vngariæ Philippo & Bartholomæo Scalichiis ornamenta coronæ suæ, Rupertus vero Palatinus se-

nior comitibus de Naſſavv leonem inter duo cornua, & Ludouicus Bauarus fratribus de Prato, Lateranenſis Palatii comitibus, eundem dedit crocei coloris ſuper caput armorum, cuius diploma Marqu. Freherus primus edidit, *cum Notis in Andloum.*

Si qui tamen ex arrogantia vel alia ratione inſignia priuato ſtudio ſumſerint, de his quid ſtatuendum ſit, quæritur. In libro peculiari * *de inſignibus & armis* Bartolus ex nominibus familiarum & cognationum argumentatur, quod ſicut illa ſint inuenta ad cognoſcendos & diſtinguendos homines, nec alterius in his imponendis arbitrium requiratur: ita cum inſignibus rem pariter ſe habere, priuata auctoritate ſumi & geſtari poſſe. Verum parum diſtincte & pro dignitate nominis, quo iuris monarcha celebratur, ipſeque comes palatinus, hunc in modum differit. Opinionem eius topicam ex-
lib.II, 14. p. m. 101. aminauit & inſignium ius adſeruit Petrus de Andlo, quem, ne quosdam e recentioribus commemorem, legiſſe pretium erit. Differentiam armorum in Germania inſigni tractatu expoſuit nobiliſſimus vir, Caſpar a Lerch, *de ordine equeſtri.* Media, quibus hanc dignitatem aliquando indepti ſint honeſti viri, pluria ſunt, iisque recenſendis non adeo immorabimur. Præcipuum eſt ſtudium bellicum, quod imperatorum fortiſſimi præmiis hone-

* *Hunc Laurentius Valla ad Candidum Decembrem acri ac ſalſo ſcripto perſtringit, tanquam rudem, barbarum, inficetum. Reſpondit ei tandem, ac Bartoli venuſtatem in hac litteratura miram defendit contra Grammaticum Ioan. Limnaus* VI Iuris Publ. c. 6.

honestaturi differentiam armorum excogitarunt, vt supra diximus. Marci Velseri, patriæ suæ ac totius Germaniæ quondam ocelli testimonium, quin heic legatur plenius ex *IV Rerum Augustanarum* depromtum, committi non debet, quod totius argumenti summam pæne contineat. Vt nunc vsus habet, insignia non tam re-„
bus, quam certis coloribus constant, quibus & clype-„ *p.77 edit.*
orum areæ & symbolorum imagines distingui solent. „ *Veneta.*
Videtur eius rei initium a Romanorum æuo & mori-„
bus neutiquam petendum. Quamuis Romani & o-„
mnis ante eos antiquitas symbolis, quæ signa & insignia „
dicimus, vti consueuerit, quippe nec exercitus sine a-„
quilis, draconibus, vexillis, neque heroes apud poetas „
sine clypeorum imaginibus, neque signatoriæ gemmæ „
sine cælatura, neque pleræque vrbes absque symbolis: „
hæc tamen ad vnum aliquod idem præscriptum cum „
nostri æui insignibus exigenda non sunt. Falluntur „
admodum qui exigunt, & res, quas ex eodem fonte, naturæ parentis instinctu haustas fatemur, sed alio atque „
alio ritu, prout temporum ferebant consuetudines, „
constitutas fuisse videmus, imperite confundunt Quin „
leges quæ hodie, opinione an certo jure, insignia cir-„
cumscribunt, vt antiquissimæ sint, Carolum Magnum „
non præuertunt, a quo primum adumbratas, sub Hen-„ *Conf. Gold.*
rico demum Aucupe & posteris perpolitas arbitror. „ *tom. II Con-*
Fortissimi Imperatores militarem virtutem, cui toto „ *stit. ad an.*
pectore incumbebant, hoc ornamento honestatam vo-„ *930.*
luere. Vnde clypei & cassidis nata species, nomen „
quoque, nam vernaculis quibusque linguis *arma* ad-„
pellamus. A militibus ad reliqua postea hominum „

„ genera fluxere tam effuse, vt cum Europam omnem
„ peruaserint, Asiam vsque penetrarint. Vidimus ex Si-
„ nis parmulam aduectam, in qua tum alia, tum auro pi-
„ ctum scutum erat, panthera conspicuum, scuto incum-
„ bebat galea aperto hiatu, cancellis fenestrato, laciniis
„ siue vittis vtrinque dependentibus tecta, supra galeam
„ plumea crista surgebat, prorsus ad Europæum morem.
„ Siue cui credibilius, Sinas hæc ab Europæis nequaquam
„ accepisse, quin iis idem quod nobis in mentem sponte
„ sua venisse, id enim profecto de bellicis tormentis &
„ calcographiæ arte nulla propemodum verisimilitudi-
„ ne negari potest. Ne verbum addo. Militiæ suppar
decertandi species habetur venatio, principum virorum
amor & deliciæ, vnde pariter insignium honor oblatus.
Quot feras, quot earum vngulas, capita, quot cornua
passim videre licet in scutis & galeis, quæ memorabili fa-
cto vel in earum persecutione vel educatione aliisve
modis plurimis nomen & insignia peperere. His accen-
setur doctrina, quæ nisi manum exornet & virtutem ro-
boret, omni suo hæc destituta cultu censetur. Ea pro-
inde non aliter quam reliquis mediis ab Imperatoribus
fuerunt insignium ornamenta comparata, quorum ex-
empla multi collegerunt, nec sunt hodienum inusi-
tata.

Quicunq; vero sine Cæsaris nutu, aut concessione eo-
rum, qui potestatem nacti, insignia sibi arbitratu suo fin-
gunt, in publicis ea negotiis adhibent, graui coerceri
pœna possunt. Habent nonnulli comites hanc potesta-
tem, de singulorum armis, insignibus & galeis cognitio-
nem instituendi, qualem Gruenthallio Ferdinandus II
Impe-

Imperator fecit. Neben diesen geben wir auch vielermeldten von Grüenthall Gewalt und Vollmacht über aller und ieder / was Würden / Standes oder Wesen solche seyn / Wappen / Schildt / und Helm / Erkundigung einzuziehen / aus was Ursache / indult oder permission eines oder anders von ihnen geführet / examen zu halten / und da einig falsum oder Unrecht erwiesen / die Verbrecher nach Gestalt und Grösse der excesse ernstlich zu rechtfertigen / darzu denn Ihme von Grüenthall alle und iede Obrigkeiten / wo er derselben Beystand ansuchen würde / alle Beförderung / Vorschub und Hülffe erweisen sollen / unverhindert aller Gerechtsame / Gewohnheiten und Priuilegien, so darwider von iemanden fürgewendet werden möchten / welchen wir auch hiermit aus Keyserlicher Authorität und plenipotenz per expressum derogiret haben wollen. Sed talia sunt ista, quæ raro contingunt, & proferuntur a nobis, vt argumenti pateat integritas simul & clementia Imperatoris summa, qua tam ampla solet largiri, vt inuidia hinc augeri queat. Ad ius insignium & armorum pertinet, quando militia, siue ius cinguli gestandi dabatur illis, qui non erant de genere militum. Notabilis hanc in rem formula legitur, apud Petrum de Vineis. Notum facimus vniuersis, quòd A. „ *VI, 17.*
de N. maiestati nostræ humiliter supplicauit, vt, cum „
velit fieri miles, & pater suus miles non esset, sibi exin- „
de largiri licentiam dignaremur. Nos autem, vt fidei „
suæ meritum & suorum per Imperialis gratiæ præmi- „
um imperialiter compensemus, supplicationibus ipsi- „
us benignius inclinati, de potestatis nostræ plenitudi- „

„ ne ſibi concedimus poteſtatem, quod quanquam pater
„ ſuus miles non fuerit, & noſtris conſtitutionibus cauea-
„ tur, quod milites fieri nequeant, qui de genere militum
„ non naſcuntur, ipſe tamen de culminis noſtri licentia
„ decorari valeat cingulo militari, mandamus, quatenus
„ nullus eſt, qui ipſum ſuper hoc de cetero moleſtare vel
„ impedire præſumat.

Immunitates & exemtiones comitibus palatinis conceſſæ. Earum interpretatio qualis? Protectio ſpecialis & perpetua, ſaluaquardia. Ius imponendi nomina arcibus & operibus publicis, itemque ceram rubram in ſigillis adhibendi.

Honores ac ſingularia iura comitum palatinorum, quibus in republica vel delegatam iurisdictionem exercent, eorumque actus vi huius, non aliter ac ſi a Cæſare facti eſſent, ſtabiles ac validi putantur, vel iudices ordinare, dignitatesque ac virtutum præmia tribuere poſſunt, quantum licuit ſtrictim attigimus. Iam erit, vt beneficia quoque, immunitates, exemtiones, ac plura his coniuncta, eadem opera pauciſſimis proſequamur. Romanis adeo fuerunt inuiſa huiusmodi iura, vt diſcordiarum ſemina, publicæ quietis turbamenta, iniuriarum fomenta, non vno loco dixerint, & abolenda vtcunque ſtatuerint. *III de legibus.* Cicero legem, quæ priuilegia tollit, per elogium

gium adpellat præclariſſimam. Maiores enim noſtri ait porro, in priuatos homines ferri leges noluerunt, quibus quid eſt iniuſtius? Eadem ſententia moti ſæpius Imperatores, omnem immunitatem voluerunt irritam eſſe. Arcadii & Honorii leges in codice Theodoſiano ſuperſunt *de annona & tributis*, itemque Valentiniani ac Theodoſii iunioris *contra immunitates a cenſu*, quibus non tam conceſſæ reuocantur, quam tabulariis ciuitatum, decurionibus, ſi cuiusquam immunitatem admiſerint, ſæua ignis pœna proponitur. Talis quoque titulus eſt Iuſtiniani *de immunitate nemini concedenda*, propter æqualitatem ſingulorum factus. Verum non ita ſ nt promiſcue hæc, aut ſine temporum perſonarumque diſcrimine accipienda, cum præſtantiſſimæ virtuti principis clementiæ aduerſetur, nulli benignum eſſe, & re ipſa multi tunc ſua libertate ac immunitate gauiſi ſint. Horum probationi, ſi ſtandum eſt reſcriptis, plura poſſunt adferri, quibus ea demonſtrentur. Quin leges contrariæ videntur tantum inculcare fidem, qua beneficium immunitatis dari oporteat. Idque non prius ratum habebatur aliquando, quam ſupplicantium preces comes ſacrarum largitionum accepiſſet, & mandato inſtruxiſſet. Honorii conſtitutione, ad Hypatium Præfectum Prætorio miſſa, imperatur ne forte quis a principe petens ementito modo facile obrepat. Immunitas autem, vti ſuperius in comitum ordinibus oſtendimus, conceſſa fuit ab hoſpitum inquietudine, militum receptione, a muneribus perſonalibus, realibus ſordidis & extraordinariis, aliisque plurimis. *VI Cod. Th. tit. XVI.*

Quæ quidem immunitatis iura quamuis magna eſſent

ſent ac multa, ſub Francis tamen atque Saxonibus longe maiora deprehenduntur, vt hinc non obſcure dignitatum hereditariarum initia & incrementa cognoſcantur. Nec intermitti aut non concedi poterant propter tot bene merentium ſtudia, quibus, ne ſoli tituli & honorum inania contingerent, vtplurimum iungebatur memorabile beneficium, quo a reliquis eximerentur, & ad prodendam virtutis memoriam exemplo forent aliis ſtimuloque. Nullibi vero modus eſt magis, quam hac in re ſeruandus, cum ſi parum inde diſcedatur, vel priuatis noceatur, vel virtus indotata relinquatur. Aliorum exemtiones, libertates, & gratias deſcripſerunt, qui ſcripta de priuilegiis ediderunt. Nobis iam curæ ſunt immunitates comitum palatinorum, & gratioſa cetera, quorum ingens iterum diuerſitas pro meritis ac virtutum menſura reperitur. Gruenthallenſia quod ſint incomparabilia vereque eximia, curabimus inter additamenta recudi pleniora, quibus explicandis aliud tempus impendendum. Notiora ſunt atque præcipua, quod liberrima detur illis facultas rerum ſuarum ſedem collocandi paſſim in imperio, ac ditionibus Cæſaris hereditariis, procul impedimento cuiusquam aut ciuitatis excluſione, vt hæc potius debeatur iis tanquam boni communis adminiſtris & publica conſtitutis auctoritate, cui nemo ſine crimine ſeſe opponit. Domicilii hoc ius eſt vniuerſale, ad normam priſcæ Romanæ ciuitatis inuentum. Quemadmodum enim per iſtud quis Romæ quondam conueniri poterat, quamuis nec domicilium ibi haberet, contraxerit aut deliquerit vnquam, modo foret ſubiectus imperio: ita palatii cæſarei comites amplius quid

quid adepti, domicilium imperii, quo libere habitant, vbi volunt, neque quoad hanc facultatem, conueniuntur aut proprias cauſſas agunt, niſi in aula Imperatoris, ab omni alius fori contentione immunes. Sic pariter excipiuntur a collectis, tributis, laudemiis, onere detractionis & omnis generis vectigalibus, quæ vel aduentantes atque in numerum ciuium recepti pendunt communitati aut magiſtratibus, vel digredientes pro conſeruatione aut alio nomine ſoluunt. Non obligantur cum reliquis ciuibus ad hoſpites excipiendos aut ſuſtinendos, cuiuscunque conditionis fuerint, niſi humanitate ducti de ſuis vltro benigni vel poſſint vel cupiant eſſe. Immunes habentur ab omnibus muneribus, oneribus, perſonalibus, realibus, mixtis, ordinariis & extraordinariis, cum clauſula derogatoria iurium in contrarium euntium. Eximuntur a detentione, oppignorationibus, repreſaliis ac aliis, quæ ſunt plura, & pro meritis perſonarum varia, tantaque conceduntur largitate, vt comitiuæ munus dignius habeatur.

Verum quod ſolenne mortalium eſt malum, aliorum inuidere felicitati, eamque arrodere, vt hinc liueant rubigine dentes, non ſimplici vice heic etiam partes ſuas exequitur. Cum præter veritatem & inſitam maieſtatis venerationem non habeant, quod inquinent, verbis affectum produnt, & mirabili geſtu deturpare audent, quod propter originem ſuam omnis maculæ expers eſt. Modeſtiores longe ſe gerunt, qui norunt mores & dignitates imperii, quibus ornandis remedium nullum eſt præſtantius, quam vulgo illas eximere. De communi onerum & contributionum ſorte in primis quæritur, annon contra

tra eam valeat exemtio palatinis concessa? Frustra tot veterum proferuntur leges, quibus tolli debeat, quasi contra publicam vtilitatem statuta, inque detrimentum reliquorum, quibus nouum hinc onus accedat; cum ipsi harum immunitatum capaces probe sciant, se reipublicæ honori, non oneri datos esse, & vix præstare recusent, quæ publicæ sunt necessitatis. Neque etiam hoc voluit Imperator immunitatis concessione, vt sua munificentia damno foret vlli. Scabinorum Lipsiensium ad consultationem Doctoris Christiani Langii, Jureconsulti & comitis palatini, anno MDCXLIX mense Septembri memoratu digna habetur responsio apud Ben. Carpzouium.

Decis. Illustr. Saxon. CCLXII.

Habt von der Römischen Keyserlichen Majestät/unserm allergnädigsten Herrn/ ihr ein sonderbares Priuilegium erhalten/ darinnen ihr vor euch/ die Eurigen/ und wegen eurer Güter aller Contribution, Steuer und Beschwerung befreyet/ solches auch nachmals von Churfürstl. Durchl. unsern gnädigsten Herrn/ allerdings beliebet/ und darauff vom Rath daselbsten/ daß ihr mit der Krieges-Anlage und Gewerbe-Steuer befreyet seyn sollet/ Anordnung gemacht/ auch ihr und eure Güter aus denen Contribution-Registern genommen worden/ Damit aber die Bürgerschafft nicht zufrieden seyn wil/ allerhöchst angezogeneß Priuilegium auch von Befreyung der extraordinar-Anlagen/ so von Kriegswesen herrühren/ ausdrückliche Meldung thut/ Dieweil aber dennoch der Rechte und derer Gelehrten Meynung nach/ solches so fern zu deuten/ wann andere dadurch nicht beschweret werden/ noch des priuilegiati Antheil über-

übertragen müssen/ dessen sich dann eure Mitt-Bürger nicht ohne Ursache zu besorgen/ und von Churfl. Durchl. unserm gnädigstem Herrn noch zur Zeit nicht verwilliget worden / daß euer Antheil der Kriegs-Contribution bey der gantzen geforderten Summa zwar angesetzet / iedoch von euch oder andern nicht erleget/ noch berechnet werden dürffte/ So habt ihr euch diesem nach der Gewerb- und andern Kriegs-Steuern /, zumaln in diesem Fall / da eure Güter gleichesfalls dadurch erhalten werden / noch zur Zeit nicht zu entbrechen / V. R. W. Conferatur Mageri caput VI *de advocatia armata*, vbi ex Imperii constitutionibus & communi vsu hanc in rem plura. Quæ solent ad impetranda æque ac interpretanda huius generis priuilegia præterea requiri, e praxi & scientia iuris solidissima depromit Io. Schilterus, patronus atque hospes noster demisso honoris cultu obseruandus, *exercitatione I ad Pandectas*.

Cum immunitate & exemtione cohæret intime protectio, non ordinaria, per singulos magistratus præstanda, sed specialis, extraordinaria, alias dicta Saluaguardia singularis & priuilegiata. Hæc superioribus sæculis, cum ob feroces hominum mores, non iudices * aut arbitros pæne alios, quam ignem & gladium admittentes, intuta essent omnia toto imperio, latrociniis atque exactionibus variis infesta, cumprimis erat necessaria. Hodie

* *Dicebatur specioso titulo* das Faust- und Kolben-Recht/ *cuius abolitio Imperatoris Maximiliani I prudentiæ potissimum debetur, qua judiciorum auctoritas restituta & pax publica confirmata fuit.*

die vero turbis illis domesticis, & efferatæ licentiæ malis, per constitutiones publicas cohibitis, ac penitu soppressis, maior securitas in Imperii finibus passim rediit, vt extraordinariam protectionem non adeo requiri amplius videri cui posset. Estque Saluaguardia singularis duplex vel Imperialis, vel non Imperialis. Illa huius loci habetur ac describitur defensio, qua personæ priuatæ, communitates, integræ terræ, subditi, eorum liberi, bonaque omnia, sub Imperatoris & sacri Romani Imperii securitate degunt ac libere agunt. Quem laudauimus modo, Martinum Magerum, iureconsultum, comitem palatinum, & quondam archiducis Austriæ Leopoldi consiliarium, heic etiam interpretem habemus, qui omnes clientelarum ac protectionum species opere citato exhibet pleno cornu, nec vllam dubitandi materiam relinquit.

Eximium est & paucis admodum concessum, quod arces arbitratu suo struere, nouiter extructis vel adquisitis, noua imponere nomina, quod ab iis titulos & honorum elogia sumere, iis passim vti in contractibus atque negotiis publicis, quod iisdem sua possint augere insignia. Seuera quondam lex erat, ne quis operi publico nomen suum sine principis mentione inscriberet, aut statuas operibus a se constructis imponeret, ni singulari hoc impetrasset indulgentia. Pertinebat nimirum ad summam maiestatis venerationem, vt honores & iura statuarum cum aliis non fierent communia. Censores aliquando Romæ statuas in foro sine senatus ac populi sententia positas tolli iusserunt, ne quis tanta insignia sibi temere vindicaret. Sicut autem arcium excitanda-

Plin. XXXIV 6.

tandarum & muniendarum consuetudo penes omnes gentes est cum auctoritate principis coniuncta : ita nominum quoque & insignium ratio ab illo petenda. Et quamuis inhumanum videatur ac inuidum prohibere, ne quis munificentiæ fructum percipiat, aut operi suo nomen impertiatur , tamen absque principis auspicio, vnde omnes honores, omniaque prodeunt insignia, hac in re fieri quidquam, nefas habetur. Vsus rubræ ceræ perinde datur comitibus palatinis, tanquam peculiare signum, ex quo dignitas eorum patescat, in negotiis variis, vbi sigilli fide ac testimonio opus est. Hanc enim soli principes, reges atque respublicæ solent vsurpare, materiam colore præstantissimam , ac omni alio superiorem. In insignibus potissimum ratio hæc seruatur, quod præeminentes colores & præcipua metalla non facile vni concedantur. Pariter & cum sigillis res sese habet, non cuiuis in publico negotio cera, cuius velit coloris, permittitur, sed a Cæsaris pendet gratia , qualem quis adhibere possit. Iam olim criminis erant rei , qui principis litteras & subscriptiones imitabantur. Nemo ex populo principis apices, atramentum, sacrum encaustum, sine grauissima pœna poterat vsurpare. Idem ius fuit ab initio ceræ, postea tamen magistratibus & inferioribus aliis eius copia facta. De iuribus variis & modis, quibus comitiuæ priuilegia vel augeantur vel amittantur, post alios non ero disertior.

Dignitati comitum palatii Cæsarei plurimum detraxere legati & vicecomites papales. Ordinum Im-

perii de his querela. Exercitationis nostræ conclusio.

Dignitatis huius palatinæ caussa superest, cur inuenta sit, & tam constanti vsu hactenus retenta. Posset ex allatis ratio reddi, quod honor plurium & vtilitas requireret, quibus ex potestate concessa comites vnice velificari deberent. Sed honestior longe finis est, fides & obsequium, quo Imperatori pariter ac Imperio deuinciuntur, hinc publica necessitas, qua virtutis dignitatumque insignia tribui merentibus, orbæ sortis hominibus, parentum auxilio destitutis, aut defunctis illis, curam ac tutelam suscipi, negotiis ciuilibus digne peragendis, ac sine dolo consignandis præfici scribas, aliaque ordinari decet, quæ rite facta reipublicæ decus & incrementum, contra vero neglecta querelas & torporem adferunt. Vbi enim vulgi more res geritur, & comitiua non habetur, vt ex ea paria sentiant alii, sed beneficii aut honoris, tituli, muneris alicuius per illam facti participes, vel præmio vel precibus caussisque occultis plurimis, contemtui sint ac ludibrio, signum est abusus manifestissimum. Quod principis intentioni repugnat, & solum sufficit, quare iure suo priuentur & gratia excidãt homines promercali fide, plane digni quibus imprecetur quis ex antiqua formula, vos superi hanc a terris auertite pestem! Descripsit sua ætate huius commatis plures Wolfgangus Lazius, ex aula pontificis

XII de Rep. Rom. Sect. 1 c.3. p.879.

„ in Germaniam profectos. Habet, inquit, aula Roma-
„ na multos comites palatinos non in vrbe solum, sed
„ late per orbem dispersos, homines innumeros & mi-
serrimos,

ferrimos, qui spurios legitimant, vt ipsi loquuntur, &,,
notarios creant. Cuius ordinis Viennam quispiam su-,,
periori anno cum venisset lapicidas & pannorum,,
tonsores, illiteratos homines, notarios creauit, vt de,,
doctoribus illis ac spuriis nihil dicam, quos ille bonus,,
vir generauit, plerosque alphabetarios. Caueas au-,,
tem, ne de quibusuis locutum esse Lazium statuas. Non ignorabat ius summæ potestati reseruatum, quod ipse Ferdinandi I consiliarius & historicus deuoto studio venerari didicerat, sed indignabatur vehementer, illud sanctæ sedis inuasione dehonestari, cuius prodigalitate tot singulis annis efficerentur comites, quot ostia Nilus haberet. Accessit huc perpetua maiestatis Imperatoriæ æmulatio, qua pontifex nunquam non operam dedit se Cæsari parem ferendi, quæque solus iste poterat, sacro ausu vsurpandi.

Inter centum grauamina, legato Hadriani Pontificis Noribergæ M D XXIII oblata ab vtriusq; religionis Imperii ordinibus, cum seria obsecratione, vt illorum emendatio fieret, numero XCV & sequenti hæc leguntur. Accidit aliquando, quod legati & oratores Romani cum papalibus, vt vocant, facultatibus in Germaniam mittantur, qui talium facultatum vigore ac prætextu liberos vulgo conceptos, naturales, bastardos, spurios, damnato ex coitu prognatos, aliosque qui contra Christi instituta, legumque sanctiones in mundum editi & expositi sunt, legitimos efficere & ad actus quoscunque legitimos & idoneos reddere, ad successiones item cum legitimis & naturalibus liberis habiles facere & admittere,,
omnium denique statuum ac dignitatum capacitatem tribue-

tribuere conantur. Cuius tamen rei in Romani Imperii territorio nullam omnino habent potestatem. Nec parum inde litium, iurgiorum, errorum, controuersiarum, offendiculorumque in sacrosancto Romano Imperio oritur. Quam rem, vt nimium Germanis molestam, tolli, ammoueri, penitusque aboleri, summopere Imperii ordines petunt. Pari præterea modo a Romana sede jam dictis legatis vicecomites Palatini sufficiuntur, simili data potestate legitimandi, ad successionem admittendi, & omnia instar legatorum, quorum facta est mentio, efficiendi nec non notarios creandi. Qui tamen vicecomites adeo sunt inidonei, adeo inhabiles, adeo litterarum ignari, adeo denique rerum inexpertes, vt minimum etiam, quod ad Notariatus artem pertineat, ignorent, vnde non immerito subsequitur, quod multo ineptiores, quam ipsi sint, creent notarios, vt semper dignum, quod in prouerbio est, contingat patellæ operculum. Quod ipsum Imperii status abrogari efflictim rogitant.

Adparet ex his audacia pontificis, qua contra mores Imperii ac recepta iura homines suos instruxit, nec minus comitum papalium cum legatis & oratoribus Romanis communicata potestas. Neque liquet, an huic grauamini vlla constitutione satisfactum sit. Pius V post Concilii Tridentini demum tempora bullam edidit, qua comitibus suis interdicit, ne gradus academicos amplius conferant. Quæ huc spectant saltem exhibebimus, reliqua apud Iac. Middendorpium euoluantur, *libro I de Academiis*. Cum fide digna plurimorum
„ relatione, non sine animi nostri molestia intellexeri-
mus,

mus, nonnullos comites palatinos, & diuersos alios,,,
prætextu facultatum, sibi a sede Apostolica concessa-,,
rum, quamplurimos, tam laicos, quam clericos, tam,,
iure ciuili, quam canonico & in theologia, nullo aut nõ,,
debito præuio examine, indoctos & inhabiles docto-,,
res, licentiatos, magistros creasse, promouisse, vti ad di-,,
gnitates ceteraque beneficia ecclesiastica, facilius assu-,,
merentur, & de eis prouiderentur in animarum sua-,,
rum iacturam, & quamplurimorum scandalũ. Nos hu-,,
iusmodi scandalis, quantũ in nobis est obuiare & alios,,,
ne de cetero inhabiles ad huiusmodi grad⁹ admittãtur,,
prouidere volentes, motu proprio, non ad alicuius su-,,
per hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex me-,,
ra deliberatione & ex certa scientia, nostris, ac de pote-,,
statis Apostolicæ plenitudine hac nostra perpetuo va-,,
litura constitutione omnia & singula, facultates & in-,,
dulta eisdem comitibus, ac etiam quibusuis officiali-,,
um Romanæ curiæ collegiis, singulisque aliis personis,,
cuiuscunque status, gradus, ordinis & præeminentiæ,,
existentibus, ad doctoratus, licentiaturæ, & magisterii,,
gradum promouendi per quoscunque Romanos pon-,,
tifices, prædecessores nostros, & sedem Apostolicam,,
ac nos etiam, motu, Scientia, & potestatis plenitudine,,,
similibus quomodolibet concessa, confirmata & in-,,
nouata, illorum tenores præsentibus pro expressis ha-,,
bentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium,,,
perpetuo reuocamus, cassamus & annullamus, ac de-,,
cretis Concilii Tridentini inhærentes decernimus &,,
declaramus, eos qui a comitibus & aliis præfatis pro-,,
moti fuerunt, quoad dignitates ceteraque beneficia,,

„ Ecclesiastica, nulla gradus prærogatiua frui & gaudere
„ posse vel debere. Et sic præmissis omnibus & singu-
„ lis, per quoscunque iudices etiam causarum Palatii A-
„ postolici auditores, sublata eis & eorum cuilibet qua-
„ uis aliter iudicandi & interpretandi facultate, inter-
„ pretari, iudicari & diffiniri debere. Nec non irritum
„ & inane, quidquid secus super iis a quoquam auctori-
„ tate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Sed vereor, ne, si plura huius edicti adferam, eruditioribus grauedinem ac tussim moueam. Vnum restat mihi, vt sinistram opinionem amoliar, qua benignus lector in præsenti exercitatione multa forte accipere possit. Non deerunt, qui scripturæ genus dicant hoc impurum, sine venustate ac natiuo colore, quod passim vtamur verbis aliorum barbaris, minus tersis, a Latine loquentium consuetudine alienis. Multi rebus intenti ordinem requirent & copiam, quæ in tali argumento vtramque facere paginam debet. Verum hos mihi frustra conciliabo, vel rerum vel verborum exilitatem excusando. Sæculi genio dandum, quod ex abstrusis & inconditis quædam miscuerimus. Qui per seriem temporum, multaque historiarum interualla decurrit, non potest aliter, quin testes rei probandæ sistat eos, qui proximi fuerunt, siue barbari sint, inelegantes, siue comti & omni doctrina culti. Iudicis est fidem testantium non ex habitu corporis, elegantia sermonis, sed ex rei natura & veritate æstimare. Similia heic quoque obtinent, innoxia & nulla reprehensione digna testimonia. Rerum ordo digressionibus non turbatur, sed, qui mos est doctissimorum hominum, lucem hinc solet accipere,

& splen-

& splendorem. Omnia si non diximus, quæ huic argumento propria sunt, propterea non inuidemus industriæ aliorum, qua nemo non reliquis plura inuenire potest. Centones odimus confertos, & amplas e scriptis aliorum farragines, nisi normam faciat iis ingenium, & vtilitas inde ad plures redundans. Mundius, ciuis noster, ante alios præclare in hoc argumento versatus est, cui num per ista quid accedere queat, arbitrio humani lectoris relinquitur.

SOLI DEO GLORIA.



Diploma Io. Reuchlini, cuius mentio aliquoties iniecta.

FRidericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, ac Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ dux, dominus Marchiæ sclauonicæ, & portus Naonis, Comes in Habspurg, Tirolis, Phirretis & in Kiburg, Marchio Burgouiæ & Lantgrauius Alsatiæ, Honorabili Iohanni Reuchlin artium & legum doctori sacri lat. Palatii, aulæque nostræ & imperialis consistorii comiti, necnon nostro & imperii sacri fideli dilecto gratiam Cæsaream & omne bonum. Honor imperatoriæ maiestatis eiusque gloria in excelso solio collocata tanto amplioribus commendationum exaltatur præconiis, tantoque gratioribus fidei & deuotionum impendiis fulcitur, quanto indesinentis suæ virtutis donaria, largiori benignitatis munere copiosius fuderit in subiectos, quos pro nostris ipsius sacri imperii honoribus probatione multiplici constat feruentibus studiis insudasse. Sic a coruscante splendore imperialis solii nobilitates aliæ velut è sole radii prodeuntes, ita fidelium status & conditiones illustrant, quod primæua lucis integritas minorati luminis detrimenta non patitur, immo amplioris vn-

dique rutilantis iubaris expectato decore profunditur, dum in circuitu sedis Augustalis illustrium Comitum, Baronum, nobilium & procerum numerus ad imperii sacri decorum feliciter adaugetur. Sane ad nobilitatem & multum considerandam tuæ circumspectionis industriam aliaque multiplicia virtutum tuarum insignia, nobiscum sæpenumero & intra arcana pectoris nostri reuoluentes, cogitare plerunque solemus, quonam te potissimum munere & digno ornamenti titulo ac beneficentiæ dono decoremus. Et vt te præcipuis erga nos & Romanum imperium meritis a Cæsareano fastigio præ aliis sentias præcipuo fulgore illustratum, futurisque temporibus fixa & stabilis nostræ imperialis largitionis memoria in te præcellentius resplendescat, Te igitur Ioannem Reuchlin memoratum, quem virtutum claritas & laudabilium morum venustas speciali decore reddit insignem, animo deliberato, non per errorem, aut improuide sed sano Principum, Comitum, Baronum & procerum nostrorum & imperii sacri fidelium dilectorum accedente consilio, motu proprio, de certa nostra scientia & imperialis plenitudine potestatis, sacri lat. palatii aulæque nostræ & imperialis consistorii Comitem facimus, creamus, erigimus, nobilitamus, attollimus & auctoritate nostra imperiali gratiosius insignimus. Decernentes & hoc imperiali statuentes edicto, quod tu ex nunc in antea omnibus priuilegiis, iuribus, emunitatibus, honoribus, consuetudinibus & libertatibus frui debeas & gaudere, quibus sacri lat. palatii comites hactenus freti sunt, seu quomodolibet potiuntur consuetudine vel de iure. Quodque possis & valeas per totum Romanum imperium facere creare notarios publicos seu tabelliones & iudices ordinarios, ac vniuersis personis quæ fide dignæ, habiles & idoneæ sint, notariatus seu tabellionatus & iudicatus ordinarii officium concedere & dare, & eos ac eorum quemlibet autoritate imperiali de prædictis per pennam & calamarium inuestire prout moris est; dum tamen ad practicam & executionē habiles & idoneos inueneris, super quo tuam conscientiam oneramus. Dummodo tamen ab ipsis notariis publicis seu tabellionibus & iudicibus ordinariis per te faciendis & creandis vt

præ-

præmittitur & eorum quolibet vice & nomine sacri imperii & pro ipso Romano imperio debitum fidelitatis recipias corporale & proprium iuramentum, in hunc modum videlicet, quod erunt nobis & sacro Romano imperio & omnibus successoribus nostris Romanorum imperatoribus & regibus legitime intrantibus fideles, nec vnquam erunt in consilio vbi nostrum periculum tractetur, sed bonum & salutem nostram defendet & fideliter promouebunt. Damna nostra pro sua possibilitate euitabunt & auertent. Præterea instrumenta tam publica quam priuata vltimas voluntates, codicillos, testamenta, quæcunque iudiciorum acta & omnia & singula quæ illis & cuilibet ipsorum ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint, vel scribenda iuste pure fideliter, omni simulatione, machinatione, falsitate & dolo remotis scribent, legent & facient, non attendentes odium, pecuniam, munera, vel alias passiones aut fauores. Scripturas vero quas debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis non in chartis abrasis neque papyreis fideliter conscribent, legent, facient atque dictabunt, causasque hospitalium & miserabilium personarum nec non pontes & stratas publicas pro viribus promouebunt. Sententias & dicta testium donec publicata fuerint & approbata sub secreto fideliter retinebunt, & omnia alia & singula recte & iuste facient, quæ ad dicta officia quomodolibet pertinebunt consuetudine vel de iure. Quodque huiusmodi notarii publici seu tabelliones & iudices ordinarii per te creandi possint per totum sacrum Romanum imperium & vbilibet terrarum facere conscribere & publicare contractus, instrumenta, iudicia, testamenta & vltimas voluntates, decreta & auctoritates interponere in quibuscunque contractibus requirentibus illas vel illa, ac omnia & singula alia facere, publicare & exercere, quæ ad officium publici notarii seu tabellionis & iudicis ordinarii pertinere & spectare noscuntur. Insuper eadem Cæsarea autoritate prædicta ex certa scientia motuque simili tibi concedimus & largimur, quod possis & valeas Naturales, Bastardos, Spurios, Mamseres, nothos, incestuosos copulatiue aut disiunctiue & quoscunque a-

lios ex illicito & damnato coitu procreatos viuentibus vel etiam mortuis eorum parentibus legitimare, Illustrium tamen principum, comitum, baronumque filiis duntaxat exceptis, & eos ad omnia iura legitima restituere & reducere, omnemque genituræ maculam penitus abolere, ipsos restituendo & habilitando ad omnia & singula iura successionum & hereditatum bonorum paternorum & patrimonialium, etiam feudalium & emphyteuticorum, & generis cuiuscunque alterius etiam ab intestato cognatorum etiam agnatorumque. Et ad honores & dignitates, singulos actus legitimos, ac si essent de legitimo matrimonio procreati, obiectione prolis illicitæ penitus quiescente. Et quod ipsorum legitimatio facta vt supra pro legitime facta maxime teneatur & habeatur, ac si foret cum omnibus solennitatibus iuris, quarum defectus specialiter auctoritate nostra imperiali suppleri volumus & intendimus. Dummodo legitimationes huiusmodi per te faciendæ non præiudicent filiis legitimis & heredibus, sed ipsi legitimandi cum legitimis æquis portionibus suis succedant parentibus & agnatis. Non obstantibus in prædictis aliquibus legibus, quibus cauetur, quod naturales, bastardi, spurii, incestuosi copulatiue uel disiunctiue uel alii quicunqne de illicito coitu procreati aut procreandi non possint vel debeant legitimari, sine consensu & voluntate filiorum naturalium & legitimorum, ac aliis quibuscunque legibus iuribus constitutionibus seu consuetudinibus præsenti nostro indulto & concessioni quouis modo contrauenientibus, quibus omnibus & singulis & cuilibet ipsarum volumus expresse de certa nostra scientia derogari. Et etiam non obstantibus in prædictis aliquibus legibus aliis, etiamsi tales essent quæ deberent exprimi & de eis fieri mentio specialis, quibus obstantibus & obstare valentibus in hoc casu duntaxat ex certa scientia & de plenitudine nostra imperialis potestatis rationabiliter derogamus & derogatum esse volumus per præsentes. Eadem etiam auctoritate omnem solennitatem iuris si qua in superioribus requireretur & quemlibet alium defectum supplentes. Præterea singularibus donis quibus tu aliis te munificum reddere valeas &

acceptum præuenire cupientes, tibi vt in facultate aut facultatibus, quibus malueris, viros scholasticos ad hoc idoneos & sufficientes decem doctores tantum, adhibitis tamen in qualibet creatione ad minus doctoribus tribus de professione eius qui creandus erit, si in loco fueris vbi doctorum copia haberi poterit, sin minus, quos ipse iudicaueris hac promotione dignos facere creare & promouere, illis quoque consueta ornamenta & insignia doctoralia concedere & conferre possis & valeas auctoritate nostra imperiali præsentium per tenorem, plenam concedimus potestatem & facultatem. Volentes quod illi per te in doctores promoti & promouendi in locis omnibus & ciuitatibus Romani imperii & vbique terrarum libere debeant & possint doctorales actus facere & exercere, omnibusque & singulis gaudere & vti priuilegiis prærogatiuis & exemtionibus, libertatibus & concessionibus, honoribus, præminentiis & fauoribus ac indultis & gratiis aliisque quibuslibet, quibus ceteri doctores in studiis priuilegiatis & generalibus necnon in curia nostra imperiali merentes gaudent & vtuntur, vti & gaudere possint quomodolibet in futurum. Et vt tu Joannes Reuchlin memorate ab imperiali culmine vberiori te gratia affectum intelligas, ex certa nostra scientia & imperialis potestatis plenitudine te & Dionysium Reuchlin fratrem & germanum tuum necnon liberos vestros ex lumbis vestris legitime descendentes tam masculos, quam feminas ad nobilium virorum gradus & insignia nobilitauimus, nobiles fecimus, constituimus, creauimus, & insigniuimus, nobilitamus, nobiles facimus, constituimus, creamus, & nobiltatis fastibus & titulis vigore præsentium clementer insignimus, & vos iuxta qualitatem humanæ conditionis nobiles dicimus & nominamus. Et ab vniuersis & singulis personis cuiuscunque conditionis præeminentiæ status & dignitatis existant pro veris nobilibus haberi dici & nominari volumus & reputari. Hoc imperiali statuentes edicto & eadem auctoritate expresse decernimus, quod vos fratres supra scripti & qui ex vobis legitime nascentur eorumque heredes deinceps ab hinc vbicunque locorum & terrarum in iudicio & extra in rebus

spiritua-

spiritualibus & temporalibus ecclesiasticis & prophanis etiam si in præsentibus de ipsis fuerit facienda mentio specialis, nec non in omnibus & singulis exercitiis actibus & studiis, illis honoribus dignitatibus officiis libertatibus insigniis priuilegiis gratiis & indultis modo supra scripto gaudere vti & frui possitis & debeatis, quibus sacri imperii Romani nobiles ac nobili procreati prosapia gaudent vtuntur & fruuntur, & ad quæ admittuntur & recipiuntur quomodolibet consuetudine vel de iure, ac si de quattuor auis paternis & maternis militaribus geniti & procreati essetis. Ceterum & vt vberioris benficentiæ nostræ dono meritis vestris exigentibus a nobis vos sentiatis abundantius exornari vobis ac heredibus vestris legitime ex lumbis vestris descendentibus arma illa & insignia superius designata videlicet scutum coloris cæsii alias lasurii appellati, in cuius medio ara aurea cum accensis carbonibus & fumo, inscripta in quadro his literis, Ara Capnionis. Scuti autem summo imposita galea torneamenti, viridis lauri serto coronata & cæsiis aureisque teniis redimita, citream molendini rotam continet, quemadmodum in medio præsentium pictoris arte clarius cernuntur figurata, autoritate nostra cæsarea de nouo gratiose concedimus & largimur. Volentes atque prædicta imperiali decernentes auctoritate, quod vos præfati Reuchlin & heredes vestri legitimi ex lumbis vestris descendentes iisdem armis & signiis tam ioco quam serio in torneamentis, hastiludiis, pugnis, bellis, duellis, vexillis, sepulchris, sigillis, annulis & aliis clenodiis siue actibus nobilium militarium ac armigerorum more deferre & gestare, ac eis vti & frui possitis & debeatis, ac ipsi possint & valeant contradictione & impedimento cessante quorumcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ creationis decreti statuti concessionis, derogationis, nobilitationis, armorum concessionis & voluntatis, gratiæ paginam infringere, aut ei quouis ausu temerario contraire, sub pœna nostræ indignationis grauissima, & quadraginta Marcarum auri puri, quas contra facientes totiens quotiens contra factum fuerit, ipso facto se nouerint irremissibiliter incursuros. Quarum medietatem

dictatem imperialis fisci siue ærarii, residuam vero partem iniuriam passorum vsibus decernimus applicari. Præsentium sub nostri imperialis Maiestatis Sigilli appensione testimonio literarum. Dat. in oppido nostro Lyntz, die vicesima quarta mensis octobris, anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo. Regnorum nostrorum, Romani quinquagesimo tertio, Imperii quadragesimo primo, Hungariæ vero tricesimo quarto.

Immunitates & exemtiones e diplomate Gruenthallensi excerptæ.

DAmit nun mehrgedachter Hannß Joachim von Grüenthall / zu Krembseck und Hertteneck / unser Kayserliche Gnad / mit deren wir ihme ganz wol gewogen seind / im Werck desto mehrers verspühren / empfinden / geniessen / und sich sein ganzes / uhralt / Rittermäßiges Geschlecht / deren desto besser zu erfreuen und zurühmen haben / so thun und geben wir ihme demnach zu destomehrerer Erkanntnuß und Betrachtung vorberührter seiner Dienst und Wolverhaltens / mit wolbedachtem Muht / gutem Raht / rechtem Wissen / auch auß gleichmäßig selbsteigener Bewegnuß / aus Römischer Käyserlicher / Königlich- und Landes-Fürstlicher Macht / Volkommenheit / in Krafft dieses Briefs / noch ferner diese hernachfolgende Gnaden / Freyheiten / Fürsehungen / und *immunite*ten / in der allerbesten / kräfftigsten und beständigste Form und Massen / wie wir solches aus Kayserlicher Macht / Krafft / und Würkligkeit / mit allen denen kräfftigsten Clausuln / Puncten / Articuln und Derogationen / immer thun können /

nen / und mögen / wie von Articuln zu Articuln unterschiedlich hernach folgen wird und geschrieben stehet.

Priuilegium, freyen Sitz und Wohnung aller Orten im heiligen Röm. Reich und anderen Kayserlichen Landen zu haben / cum plenissima immunitate.

ANfänglichen ordnen / setzen und wollen wir / daß ein jede Obrigkeit / Commun oder Orth / so wol im heiligen Römischen Reich / als auch andern unsern erblichen Königreichen / Fürstenthumen und Landen / da er / der von Grüenthall / seine Ehewirthin / auch alle ihre eheliche Leibes-Erben / und derselben Erbens-Erben / Manns und Weibspersohnen ihres Namens / Stammens und Geschlechts / von Geburth / Schild und Helm / auch deren aller und ieder nachgelassene Wittiben / für und für / in ewige Zeit / an was Orten und Enden sie ietzt oder inskünfftig / über kurtz oder lang / in Stätten / Flecken / Märkten / oder auf dem Land / samt ihren Haußfrauen / Kindern / Dienern / Haußgesind / Zugehörigen und Verwandten / auch allen ihren Haab und Güttern / wenig oder viel / zu ieder Zeit / mit ihrem häußlichen Anwesen oder Wohnungen / sich niederlassen / sitzen und bleiben wollen / oder so sie einmahl an einem Ort seßhafft und wohnhafft gewesen

wesen weren/ und darnach solche ihre Wohnungen und Heimwesen weiter an ein ander Ort verkehren/ oder verwenden wurden/ wann/ und so offt solches durch sie ihrer Gelegenheit nach geschehe/ an denselben Enden und Orten/ nicht allein sie mit ihren Persohnen/ auch ihren ehelichen Haußfrauen/ Kindern/ und derselben Kindskindern/ deren aller Haab und Gütter/ nichts darvon ausgenommen noch hindangesetzt/ wo/ und an welchen Orten die/ so wol im heiligen Römischen Reich/ als auch andern unsern und unserer Nachkommen erblichen Königreichen/ Fürstentumen und Landen gelegen seind/ einzukommen/ zusitzen/ zuwohnen/ anzunemē/ und bleiben zulassen/ nicht allein schuldig und verpflicht seyn sollen/ sondern daß auch obbemelte von Grüenthall/ an allen solchen Orten und Enden mit ihren angehörigen Persohnen/ und allen ihren Haab und Güttern/ ganz nichts ausgenommen/ aller Pflicht und burgerlichen Ayds/ desgleichen aller und jeder/ hoher und niderer/ grosser und kleiner/ burgerlicher oder anderer Aemter/ als der Burgermeister/ Rahtgeben/ Gerichts und Rechts/ und darzu insgemein aller und jeder anderer Aemter/ Verwaltungen/ *administratio*nen/ Verwesungē/ Pflechschafften/ Vormundschafften/ oder in andere dergleichen weg/ wie solche Verwaltungen/ Nahmen haben mögen und können/ nichts ausgenommen/ auch von allen Zünfften/ Stuben/ oder andern dergleichen Gesellschafften/ und dann von Belegung und einnemung des Kriegsvolks/ und unsers/ oder iemands

andern/ Hof- und andern Gesinds/ und allen andern Beherbergungen/ und Gastungen/ deßgleichen vor Wachen/ Reisen/ [illegible]/ durch sich selbst oder andere/ und sonst aller anderer Beschwerden und Dienstbarkeiten/ gänzlich oder gar frey/ *exemt* und entlediget seyn/ auch mit dem allen/ wider ihren guten Willen nicht beladen/ beschwehret/ noch angefochten/ darzu die anzunehmen keines wegs getrungen werden sollen/ noch mögen.

Priuilegium, mit keinerley Steuren/ Losungen/ Auflagungen/ Hülf- und Anlag-gelt belegt und beschwerdt zu werden.

DEr vorgenant Hannß Joachim von Grüenthall/ seine eheliche Leibs-Erben/ und deroselben Erbens-Erben/ für und für/ ihres ehelichen Geschlechts und Stammes/ sollen auch an allen und jeden Orten/ da sie ihre häußliche Wohnung/ im H. Röm. Reich/ desselben oder unsern erblichen Königreichen-Fürstentumen und Landen/ mit ehelichen Haußfrauen/ Kindern/ Dienern/ Haußgesind und Verwanden haben/ seyn/ oder sitzen werden/ aller ihrer/ und ihrer Haußfrauen/ und anderer angehöriger Haab und Güter halber/ so viel sie deren/ auch wo/ und an welchen Orten sie die haben/ ligenden und fahrenden/ ganz nichts ausgenommen/ neben andern Burgern und Innwohnern/ mit ganz keinerley Steuern/ Losungen/ Auflagungen/ Hülff- und

und Anlag-Gelt/ wie/ und um was Sachen solches beschehen oder fürgenommen/ belegt oder beschwert werden; Und insonderheit / so sie sich von einem Ort zu dem andern/oder mehrern/thun oder ziehen/ oder ihnen sonsten anderer Orten ichtwas an liegenden oder fahrenden Güttern/ Erbschafft weiß/ oder in andere weg anersterben/ oder zustehen wurde/ so offt und zu was Zeiten/ oder an welchen Orten solches beschehe/ um ganz kein Steuer/ oder Nachsteuer/ weder eine / zwey/ drey oder mehr / auch weder um den Zehenden mehr oder minder Pfennig / weder von ihren Baarschafften/ einigen ligenden/ noch allen andern ihren fahrenden Haaben/ Gütern und Zinsen/ wie die allenthalben genannt werden / und an welchen Orten sie gelegen seyn möchten/ ganz nicht angezogen/ beladen / angesucht / und in einige weg damit nicht beschwert/ auch zu solchen weder genötiget/ noch getrungen/ sondern solcher Dingen aller und jeder gänzlich und gar frey / exemt und entlediget seyn. Deßgleichen / daß sie allenthalben / wann sie wollen/ jezt oder hernach / über kurz oder lang/ von denen Orten/ da sie zu jederzeit ihre häußliche Wohnung haben und sitzen werden/ aller und jeder Obrigkeit halber unverhindert von solchen Orten frey abziehen/ und ob sie wollen/ zu ihrer Gelegenheit sich widerum daselbst hinthun und ziehen/ auch an solchen Orten wider eingenommen/ und zugelassen werden / auch alsdann die Freyheiten und *exemtiones* nichts destominder ferner haben / und sich deren gebrauchen sollen und mögen / wie

die hievor und hernach allenthalben begrieffen seynd.

Priuilegium exemtionis ab omnibus muneribus & oneribus, personalibus, realibus, mixtis, ordinariis & extraordinariis: cum clausula derogatoria jurium in contrarium euntium.

FErner setzen/ ordnen und wollen wir/ was hiervor der Freyheiten und *exemtio*nen halben/ von allen bürgerlichen und andern Aemtern/ auch von allen Auflagungen/ Hülff- und Anlaggelt/ Steuren/ und Nachsteuren/ auch freyen Ab- und Zuzug/ und anderm mehr gesagt und gemellt/ daß solches in allen und jeden Puncten und Articuln/ und deren jedem insonderheit/ nicht allein verstanden/ ausgelegt/ und gebraucht werden soll und mag/ von allen und jeden burgerlichen/ und andern derselben Orten/ da gedachte von Grüenthall/ oder ihre Erben und Nachkommen/ wie obgemeldt/ wohnen werden/ persöhnlich/ häblichen/ ordentlichen/ unordentlichen und vermischten/ das ist/ *de omnibus muneribus & oneribus, personalibus, realibus, & mixtis, ordinariis, & extraordinariis*, ob die gleich von Kriegsachen weren/ auferlegt werden wolten/ und sonst in einer Gemein/ von allen und jeden andern/ was Eigenschafft die weren/ auch wie/ warumb/ und welcher Gestalt die

fürge-

fürgenommen würden / in gemein oder sonderheit: sondern daß auch sie / die von Grüenthall / und die ihrigen / wie oblauttet / sich dessen alles Innhalts / iezt alsbald / oder wann und zu was Zeiten sie wollen / künfftiglichen gebrauchen sollen und mögen / unangesehen / daß die eheernannte von Grüenthall / ihre Erben und Nachkom̃en / samt ihren ehelichen Haußfrauen / mit burgerlichen Beschwärden / auch Steuren / und allen burgerlichen Mitleiden / an denselben Orten beladen seyn möchten / darzu auch unangesehen / daß wir solches thun ohne Anzeigung einiger anderer Ursachen / dann allein / doß wir solches also aus eigener Bewegnuß / und ihnen von Grüenthall / auch ihren Nachkommen / zu einer sondern Gnad getahn haben wollen / desgleichen ferner / unangesehen aller derselben Orten Freyheiten / die sie von unsern Vorfahen am H. Röm. Reich / Kaysern und Königen / auch uns selbst erlangt möchten haben / gleichsfals ihrer Ordnungen / Statuten / Gebräuch / und Gewonheiten / die sie darwider hetten / auch ferner unangesehen aller gemeiner / unserer / und des H. Röm. Reichs Kayserlichen Rechten / und Gesetzen / und also auch / *non obstante L. Nec damnosa. & L. rescripta C. de precibus Imperat. offer L. Vacuatis. C. de Decurion. lib. 10. L. unica. C. de his, qui à principe vacationem acceperunt, L. 10. L. munera. C. de muneribus patrimon. L. 10. & L. unica. C. si curialis relicta ciuitate rus habitare maluerit. L. 10.* und aller anderer dergleichen Rechten / so von solchen / wie die jezt gemelt Meldung thun / dem allein und jeden dann / wir aus Kayserlicher

Macht

Macht Vollkommenheit/ hiemit derogirt / und erklärt haben wollen / daß sie in diesen Fällen keines wegs statt haben sollen noch mögen / doch sollen diese unsere Freyheiten und Gnadē/denselben Obrigkeiten/ Stätten / Märkten/ Flecken / Communen/ oder Orten/ in andere weg / und gegen andern / an ihren Privilegien / Statuten / und Gewonheiten / unvergriffen und unschädlich seyn. Wo auch solche Obrigkeiten/ Stätten/ Märkt/ oder Flecken/ darinnen gedachter von Grüenthall/ ihre eheliche Haußfrauen/ Kinder oder Leibs-Erben / Erbens-Erben oder Nachkommen / je zu Zeiten wohnen werden/ durch uns und unsere Nachkommen am Reich/ durch unsere oder andere Hof-Kammer- oder einig andere Land- oder Gericht/ in die Aacht oder Oberaacht erkennt oder erklärt/ oder sonsten mit Schulden/ Repressalien/ Vehden und Pfandschafften/ oder andern Sachen/ wie die Namen haben möchten / beladen/ und derohalben angefochten wehren / oder wurden/ so solle doch solches gedachte von Grüenthall / ihre eheliche Haußfrauen/ Kinder oder Leibs-Erben/ derselben Erbens-Erben und Nachkommen/ im geringsten nicht binden/ noch ihre Leib/ Haab und Gütter/ deßhalb von iemanden aufgehalten/ bekümmert oder beschwert werden/ in keinerley Weiß noch Weg.

Priuilegium, wider Arrest, Kum̃er/ Repressalien, Pfandung/ &c. und daß einverleibte Priuilegiarii allein durch

ordent-

ordentlichen Weg Rechtens zu suchen.

WJe wir dann ins gemein mehrbenantem von Grüenthall/ diese Freyheit gegeben/ daß von nun an in ewige Zeit/ niemands/ in was Würden/ Stand oder Wesen die seind/ bemelten Hannß Joachim von Grüenthall/ zu Krembseck/ auch alle und jede seine eheliche Leibs-Erben/ derselben Wittiben/ Haußfrauen/ Erbens-Erben/ oder ihre Amtleute/ Diener/ Hindersässen/ Leibeigen- oder Lehenleute/ Zugehörige und Verwante/ oder ihre Haab und Güter/ ligende oder fahrende/ mit *Arrest*, Kummer/ *repressalien*, Pfändung/ oder dergleichen unordenlichen Mitteln/ weder zu Wasser noch zu Land angreiffen/ aufheben oder beschweren/ sondern sich deß gegen ihnen allen und jeden gänzlichen enthalten/ und was sie zu ihnen samentlich/ oder jedem insonderheit zu sprechen/ durch ordenlichen Weg des Rechtens (denn sie einem jeden an gebührlichen Orten statt zu thun schuldig seyn sollen) suchen und austragen/ und sich desselben ersättigen und benügen lassen/ inmassen dann solches alles in den gemeinenen beschriebenen Rechten/ deßgleichen in unsern und deß H. Reichs *Constitutionen*, Ordnungen und Satzungen/ fürnämlich aber in denen An. 1548/ 1555/ und 1570/ der ringern Zahl/ zu Speyer publicirten Reichs-Abschieden und Cammergerichts Ordnungen/ heylsamlich und etwas weitläuffiger ausgeführet/ und wol versehen ist.

Privilegium, wider die Rohtweilisch/ Westphalische/ und andere Hoff- und Land-Gericht.

UBer diß/ und damit mehr ermelter Hanß Joachim von Grüenthall/ zu Krembseck und Hertteneck/ unserer Kayserlicher Gnaden/ mit denen wir ihme seiner besondern wolberühmten Qualiteten und gemeinnutzigen Verdienst willen/ ganz wol gewogen seyn/ desto mehrers erfreuen und geniesen könne: So thun und geben wir ihme auch diese besondere Gnad und Freyheit/ also/ daß er seine eheliche Haußfrauen/ Wittib/ Kinder/ Leibs-Lehens-Erben/ und derselben Erbens-Erben/ ihres Namens/ Stammens und Geschlechts/ von Geburt/ Schilt und Helm/ Manns und Frauenpersohnen/ auch ihr aller Unterthanen/ Lehenmanne/ Hindersässen/ Leibeigene Leuth/ Diener und Verwante/ so ihnen zugehören/ und ihnen zuversprechen stehen/ auch derselben Haab und Gütter/ ligend und fahrende/ wo und an welchen Enden die gelegen und gesässen seind/ um keinerley Sachen/ Sprüche und Anforderungen willen/ es treffe nun an Leib/ Ehr/ Schulden/ Haab und Gütter/ ligend oder fahrende/ weder an unserem und des heiligen Röm. Reichs Hofgericht zu Rothweil/ noch einigen andern/ Hoff-Landt-Westphalischen noch anderen Gerichten/ wie die iezo in dem heiligen Reich/ und desselben oder unsern erblichen Königreichen/ Fürstenthumen/ Landen und

Obrig-

Obrigkeiten/ aufgerichtet oder benennet seyn / oder inskünfftig über kurtz oder lang benennt oder aufgericht werden möchten / keines ausgeschlossen / nicht fürgeheischen / geladen / noch daselbst beklagt noch wieder sie / ihre Leib / Haab und Güter gerichtet / geurtheilet / noch mit Acht / Oberacht / *executionen, arresten, immissionen,* Gebot oder Verbot / noch in andere weg procedirt / noch verfahren werden solle / in keinerley Weiß noch Weg / sondern wer zu ihnen gemeiniglich oder ihr einem insonderheit / oder mehrern / Klagen / Spruch- und Anforderungen hätte oder gewünne / wie und warum das were / niemands doch nicht ausgenommen / der oder dieselben sollen das Recht gegen obbemelten Hans Joachim von Grüenthall / zu Kremseck und Hertteneck / seinen ehelichen Leibs-Erben / Erbens Erben und Hausfrauen / desgleichen ihren Haab und Gütern / liegenden und fahrenden / ohne alles Mittel / allein vor uns / unsern Nachkommen am Heiligen Reich / Römischen Kaysern und Königeu / oder unseren und ihren Kayser- und Königlichen Kammergerichten im H. Reiche / oder andern unsern und ihren / vermög ehegemeldts unsers Kays. Kammergerichts *publicirter* Ordnung / ungemittelten Richtern / und dann gegen ihren Dienern / allein vor ihnen / denen von Grüenthall / als ihren ordentlichen Herrschafften / oder dahin sie dieselben zu Recht weisen / und stellen werden / aber gegen ihren Unterthanen / Hindersassen / Leibeigenen / und Lehen-Leuten / und andern ihren Zugehörigen und Verwandten / und derselben Hab und Güter /

vor dessen Gerichten und Staab/dahin sie ohne Mittel ordenlicher weiß gehörig / und sonsten nirgends anderstwo suchen/ sie auch ein ieder Richter/ auf des ieztgenannten von Grüenthall / seiner ehelichen Leibes-Erben/ Erbens-Erben/ Hausfrauen und Wittiben abfordern/ an ieztberührte Orth zu Recht weisen solle/ Es were dann Sach/ daß den Klägern auff ihr Ansuchen / das Recht an denen angezeigten Orthen kündlich versagt/ oder gefährlich verzogen wurde/ in welchem Fall der/ oder dieselben / alsdann das Recht gegen ihnen suchen mögen / an denen Enden und Gerichten/ darinnen das füglich ist / Wo aber darüber einige Fürladung/ Urtheil / Proceß / Acht/ Oberacht/ Arrest/ *Execution*, oder anders/ wieder obgemelten von Grüenthall / und desselben eheliche Leibs-Erben/ Hausfrauen/ Wittiben/ Diener/ Unterthanen / Lehen- und Leibeigener Leut / zugehörige und Verwante/ oder ihre Leib / Haab und Güter ausgehen/ gehandelt/ gesprochen oder *procedirt* wurde/ in was Schein oder wie das geschehe / das alles und iedes solle gantz krafftloß/unbündig und untüchtig / auch den fürgeladenen an ihren Leiben/ Ehr/ Haab und Gütern/ liegenden und fahrenden / gantz unschädlich und unvergriffen seyn / dann alles und iedes / so hierwieder fürgenommen oder gehandelt wurde/ ietzt als dann und dann als ietzt / aus Röm. Kays. Macht Vollkommenheit hiemit gantz und gar aufheben / *cassieren* und abthun.

Und dieweil uns fürkomt / daß ie zu Zeiten dergleichen für die Hoff- und Land- und andere Gerichte

von

von unsern löblichen Vorfahren am Reich / Röm. Kaysern und Königen / und uns gefreyeten Persohnen / deren Unterthanen und Zugewanten die Beschwerung begegne / das von berührten Hoff- Land-Gerichten ie zu Zeiten / durch Ubersehen der Unverständigen und Unwissenden ihrer Unterthanen / durch Verkündigungen / Anlaitungen / Belaitungen und andere Proceß gegen ihnen procedirt / ehe und zuvor sie desselben gewahr / und als dann die begehrte *remission denegirt* und abgeschlagen / dardurch dann dieselben gefreyten Persohnen entweder von berühreter ihrer habenden Freyheit getrungen / oder aber mit *appellationen* in übrigen und vergebenlichen Unkosten / Mühe und Arbeit eingeführet würden / welches ihnen aber zu mercklichem Schaden und Nachtheil gelangte: So haben wir demnach gedachten von Grüenthall / seinen Erben und Nachkommen / die obangezogene Freyheit in denen Puncten / die Abforderungen nnd *remissionen* belangend / auff alle Verkündungen / Anlaitungen / Belaitungen und andere Proceß / wie weit oder fern auch dieselben hinderrucks und unwissendt gedachts von Grüenthall / oder seiner Hausfrauen und Erben / wie obstehet / gebracht und vollführet worden oder wurden / gnädiglich *extendirt*, erstreckt / erweitert und gegeben / *extendiren*, erstrecken / erweitern / geben / thun solches hiemit von Röm. Kays. Macht Vollkommenheit / in Krafft diß Brieffs / und meinen / setzen und wollen / daß des gemelten von Grüenthall und seiner Erben Abforderungen / die sie in Krafft obgemelter

melter Freyheit zuthun haben / auch über alle und iede Verkündungen / Anlaitungen / Belaitungen / und andere Proceß / wie weit oder fern auch dieselben hinderrucks und unwissend gedachter von Grüenthall gebracht und vollführet / statt haben / zugelassen / und die *remission* nicht abgeschlagen / sondern die Partheyen auff ihr oder ihrer Erben abfordern alsbalden / und ohn einige weitere Handlung / Proceß oder einigen Verzug / Sperrung oder Widerung an die Orth und Gericht / dahin es sich gebührt / *remittirt* und gewiesen werden sollen.

Wo aber hierwider in den herührten Verkündungen / Anlaitungen / Belaitungen und andern Processen / an unsern und des heiligen Reichs Hofgericht zu Rothweil oder einigem andern Hoff- Westphalischen oder andern Gerichten / so iezunder im heiligen Reich / unsern Erbkönigreichen / Fürstenthum und Landen seyn / oder künfftiglich auffgericht werden möchten / keines ausgeschlossen / über das genannten von Grüenthall und seiner Erben und Nachkommen Abfordern / ichtwas gehangelt / gerichtet, geachtet / geurtheilet / procedirt oder exequiert wurde / in was Schein oder Gestallt das geschehe / so ordnen / setzen und wollen wir doch / daß solches alles und iedes / und was sonsten dieser unserer *extension*, Erstreckung / Erweiterung / Gnaden / Freyheiten / iezo oder künfftiglich zuwider und entgegen bedacht / erfunden oder fürgebracht werden möchte / gantz und krafftlos / nichtig / unbündig und unvergänglich / auch von Unwürden / todt und ab seyn / und gedachten

von

von Grüenthall/ seinen Erben/ Dienern/ Amtleuten/ Unterthanen/ Zugehörigen und Verwanten/ wie obstehet/ weder an gemelter unserer ihnen auff ewige Zeit mitgetheilten Freyheit/ und dieser *extension*, noch an ihren Ehren/ Leib/ Haab und Gütern / keinen Schaden/ Verletzung / Abbruch oder Nachtheil bringen oder gebehren solle noch möge/ in kein Weiß/ dann wir dasselbe alles und iedes / ietzt alsdann und dann als ietzt / gäntzlich und allerdings auffheben/ abthun / vernichten / cassieren und von unwürden und krafftloß erkennen/ sprechen und erklären / und vielgemelten von Grüenthall / seine Hausfrauen/ Wittiben/ ihre Diener/ Hausgesind / Unterthanen/ Zugehörige und Verwanthe darvon absolviren/ entbinden/ frey ledig zehlen/ alles von obberührter Kays. Macht Vollkommenheit hiemit wissentlich/ in Kraft diß Brieffs/ doch die Sachen und Fäll/ so in weiland unsers geliebten Herrn Vettern und Vorfahren/ Kaysers *Maximiliani* des Andern/ Christmiltesten angedenckens/ erneuerten Hoffgerichts-Ordnung/ unter dem fünften Titul des andern Theils austrückenlich begriffen seynd/ ausgenommen.

Priuilegium , denen Neuerbaueten Schlössern und Sitzen nach Belieben Namen zu schöpfen/ und deren Titul sich zugebrauchen / und das solche Schlösser und Sitze alle Ade-

liche

liche Gerechtsame und Vortheil habeu sollen.

WEiter / und zu mehrer Gezeugnüs und Gedächtnüs unserer besondern Kays. Gnad/ damit wir gemeltem Hans Joachim von Grüenthall / zu Krembseck und Hetteneck / billicher Weise genaigt/ haben wir ihme / seinen ehelichen Leibs-Erben / Erbens-Erben und Nachkommen / ihres Namens/ Stammens und Geschlechts / die besondere Gnäd und Freyheit gethan / gegeben / vergönnet zugelassen/ wann sie über kurz oder lang Begird und Lust gewinnen/ im heiligen Röm. Reich/ oder andern unsern erblichen Königreichen/ Osterreichischen und andern unsern und unsers löblichen Ertzhauses zugehörigen Fürstenthumen und Erblanden / einen oder neue Sitz oder Schlösser zu erbauen/ daß sie dieselben Sitz und Schlösser / so sie also von neuen erbauen/ und erheben/ und sonsten erkauffen/ ererben/ und redlich überkommen/ bey ihrem iezigen Namen bleiben oder denselben fallen lassen/ verändern / verkehren oder gar abthun und dieselben Sitze/ Schlösser / ihrem selbst Willen und Gefallen nach/ andere neue Zunamen schöpffen und geben/ sich darvon / darzu / oder darauff nennen/ schreiben/ auch solchen Zunamen in allen und ieden ihren Reden / Schrifften / Tituln/ Innsiegeln / Pettschafften / Handlungen und Geschäfften nichts ausgenommen/ allein oder mit ihren iezigen Zunamen/ gegen uns/ unsern Nachkommen und sonsten iedermänniglichen gebrauchen sollen

und

und mögen/ unverhindert männiglichs. Und damit offternanter von Grüenthall/ auch seine eheliche Leibs-Erben/ deroselben Erbens-Erben und Nachkommen/ zu solchen Neuerbauten/ Erkaufften/ Ererbten/ Erheurathen oder sonst redlich überkommenen/ oder an sich gebrachten Schlössern und Sitzen mit sonderu Gnaden fürgesehen sein werden: So geben wir ihnen/ aus Röm. Kays. Königlich- und Lands-Fürstlicher Macht Vollkommenheit/ wissentlich und wolbedächtlich/ auch aus gleichmässiger eigner Bewegnüß hiemit in Krafft diß Brieffs/ ietzo alsdann/ und dann als ietzo/ alle und iede Freyheit/ Herrligkeiten/ Gejägten/ Fischweiden/ gute Gewonheiten/ Recht/ Vorteil/ Statuten und Gerechtigkeiten/ damit andere von Adel zu ihren Schlössern/ Sitzen und Häusern/ derselben Orten und Enden/ unsern Vorfahren am H. Röm. Reich/ auch andern unsern Erblichen Königreichen/ Fürstenthumen und Landen/ begnadet/ begabet und deren im Gebrauch sein/ Sie/ und alle ihre nachkommende Innhabere derselben Schlösser oder Sitzen/ sollen und mögen sich auch deroselben hinfüro an/ in ewige Zeit/ ihrer Nohtdurft/ Wollfahrt/ Nutzen und Gefallen nach/ (allermassen als ob sie alle und iede mit sondern lautern Worten und Clausuln von Articuln zu Articuln/ eigentlich hierinnen specificirt, ausgedruckt und begriffen wären) freyen gebrauchen und geniessen/ von allermänniglich unverhindert.

TABVLAE NOVAE,

cum

Ioannes Sigismundus Pfornius,

Smalcaldensis, Juris Practicus,

post examina & habitam disputationem inauguralem, in splendido virorum consessu,

Licentiati Juris elogium & insignia

rite capesseret,

conditæ

a

IO. IACOBO AVIANO, V.I.D.

S. Palatii Cæsarei Comite, Saxo-Gothani Consistorii Præside & aulæ consiliario.

NUllus ambigo, quin in traditis receptisque, Atteii Capitonis exemplo, perseuerare cupientes, aut nasum Rhinocerotis habentes scioli quidam, futuri sint, quibus factum nostrum temerarium & audax videbitur, cùm extra Academiam, locum hodie conferendis honorum gradibus fere destinatum, autoritate quantumuis Cæsarea, *Licentiatum Iuris*, a nobis hic loci creatum esse audient. Quorum error vtpote virtutum præmiis & rei litterariæ perniciosissimus, hisce tabulis refellendus nobis erit. Nam etiamsi solæ academiæ, in grauioribus studiis ius docendi iuvenum animos sibi sumant, & vulgo credi soleat, extra academiam & in umbra ad eruditionis fastigium adscendi non posse; id

quod

quod nos iam ſuo loco relinquimus; ſi tamen de præmiis, ob ſtudia in academiis perfecta, tribuendis agatur, non ſolum in Lyceis illis, ſed etiam in aliis locis, ubi viri docti reperiuntur, ex autoritate Cæſarea, bene meritis, absque ullo metu, ea tribui poſſe, firmiter nobis perſuaſum habemus. Qua enim lege Imperii, quave alia publici iuris parte cautum, ut litteratis probisque viris, nonniſi in academiis, brabea illa donanda ſint? Profecto nemini non prudentum conſtat, ex Imperii noſtri Germanici uſu, eos utique verorum ſiue Doctorum ſiue Licentiatorum numero comprehendi, qui tum decentibus examinibus, tum diſputatione præuia, explorati, aque doctoribus, examinatoribus minimum tribus approbati, & denique nomine *Sacræ Cæſareæ Maieſtatis*, quam omnis dignitatis fontem fideles Imperii ſubditi agnoſcimus, proclamati ſunt & renunciati. Neque ſane ad rem pertinet, in loco publico, an priuato, a collegio perpetuo, an alio, viris tamen doctis, cum ad explorandos profectus ventum eſt, conſtante, examen inſtitutum ſit. Quandoquidem nec ab ipſa *Sacr. Cæſ. Maieſtate* locum publicum aut collegium perpetuum requiri ſatis perſpicue videmus, quotiescunque diplomata Comitibus Palatinis clementiſſime conceſſa inſpicimus. Quis inſuper prohibebit Comites Palatinos, publica Cæſaris autoritate munitos, publico etiam in loco, ſiue aula, ſiue curia, officio ſuo fungi? Tametſi vero res hæc ſit tam clara, quam quæ maxime; eo tamen proceſſit ſiue malitia & inuidia, ſiue ignorantia multorum hominum, ut a comitibus Palatinis creatos Doctores & Licentiatos, pro veris Doctoribus & Licentiatis neutiquam habendos eſſe vulgo ſta-

tuant, quin imo eosdem *Bullatorum*, *Codicillarium*, *Personatorum*, & quibus nescio aliis odiosissimis nominibus vel traduxerint, vel traduci siuerint, & Doctorum Priuilegiis frui haud posse impudentissime, etiam publicis scriptis, uno alterove vanissimo nec herculeo argumento moti, tradiderint. Aiunt enim primum præsumtionem ignorantiæ contra eos militare, qui extra academiam, gradum a Comite Palatino petant. At enim, quid est, quod præsumtionibus pugnamus aduersus eum, qui a tribus minimum iisdemque eximiis & juratis Doctoribus, (non aliter ac in academia,) extra academiam, examinatus dignusque honoribus judicatus est? Anne tum plenissima eruditionis probatio cerebrinam illam præsumtionem elidet & absorbebit? Postea, dum objiciunt, examinandi artem minus scire doctores, examinatores extra academiam degentes, ac in academiis profitentes, iudicii infirmitatem manifeste ostendunt. Nam quem fugit & extra academias, in aulis puta & ciuitatibus maioribus reperiri sæpe viros doctos tum in publicis tum priuatis negotiis bene subactos, qui academicis & doctrina & multiplici rerum usu, si non superiores, certe pares sint? hi sane an non examinandi artem pro ea, quam sibi comparauerunt, rerum notitia & experientia, æque callebunt ac alii? Præterea & non nisi interuentu Bullæ a Comitibus Palatinis creari, doctores sunt, qui contendunt; at calumniose! Etenim aut per *Bullam* intelligunt ipsum diploma a Sacra Cæsarea Maiestate, Comitibus Palatinis concessum: aut litteras, quas, post examen & factam renunciationem, in testimonii fidem, Palatini Comites promotis a se Doctoribus vel Licen-

tiatis

tiatis impertiri ſolent. Si prius, nihil frigidius dixerint; quoniam nec ipſi academici promotores, niſi ſubnixi autoritate Cæſarea, priuilegiisque ab eadem conceſſis, cuiquam honores largiri valent; ſin poſterius intellectum velint, eidem abſurditatis reti ſeſe implicant; dum iidem, nullis a ſe promotis, huiusmodi Bullas ſiue litteras teſtimoniales, ad dignitatis collatæ probationem accommodatas, denegare queunt aut ſolent. Poteſtatem creandi Doctores ad academias hodie tranſiiſſe, Reinhardi Bachouii ad Treutl. inter doctiſſimos ICtos alias doctiſſimi, ſuperſtitioſa fere ſententia eſt, quaque rerum imperitis glaucoma ob oculos obiicere eſt anniſus. Neque quod aſſerit, uspiam aut dictum aut ſcriptum aſſerimus. Si enim poteſtas hæc ad ſolas Academias tranſiuiſſet, quam vim habitura eſſent tot diplomata, tot per annos, *a Cæſaribus glorioſiſſimis*, ob bene merita, Comitibus Palatinis, deliberato animo, clementiſſime conceſſa de Doctoribus & Licentiatis creandis priuilegia? An omnia hæc fruſtra & incaſſum ab Imperatoribus benigniſſimis data eſſe Comitibus interpretabimur? Abſit! Unde & Bachouius ipſe cauſæ ſuæ diffidens, ingratiis fateri coactus eſt, Ius creandi Doctores iis, qui ſpeciali priuilegio muniti ſunt, modo dignos & idoneos promouerint, ademtum non eſſe; atque hoc eſt, quod nos jam volumus. Minus idoneos vero a Comitibus Palatinis vel ſolius quæſtus cauſſa ad dignitatem Doctoralem ſimilemve admitti, pro veteri & inerti figmento habemus. Tantum enim abeſt, ut veritati hoc conueniat, ut ne unus quidem nominari poſſit, qui, indignus ad honorum gradus, hoc ſeculo, a Comitum Palatinorum ullo ſit ad-

missus. Posito vero, esse, qui, præter Sacratissimi Imperatoris intentionem, potestate sibi concessa, turpis lucri spe, aut ex imperitia quadam, sit abusus; an ideo universo Comitum ordini potestas creandi Doctores & Licentiatos ademta existimabitur? inepte! Si etiam, ob solennitates a Comitibus nostris in promotione Doctorum non adhibitas, dignitatem Doctoralem vel Licentiaturam a Comitibus collatam impugnent, næ absurdi nimis sunt. Præterquam enim, quod de substantia Doctoris vel Licentiati, nihil præter excellentem doctrinam & renunciationem Cæsaris nomine factam, esse constat: hoc sane obiectionis genus non feriet, nisi eos, qui a S. Cæsarea Maiestate Ius solenniter Doctores creandi concessum non habent, neque ex diplomatibus suis ostendere hanc facultatem possunt. Ad alios autem nihil pertinebit. At inquiunt a Comitibus creati, Iudicio ordinis probati non sunt! Idque requiri *l. 7. C. d. Profess.* asserunt; quo argumento & Bachouium duci miror. Sed primum textus ille ex *veteri Iure* Iustinianeo *publico* desumtus, ad præsens negotium, ubi de creandis Doctoribus Romano-Germanicis tractatur, parum aut nihil facit. Id quod in simili accurate demonstravit alicubi ὁ πάνυ Conringius noster. Deinde in illo loco agi sciendum est de Doctoribus actu docentibus, eosdemque constituendi, secundum tempora Iustiniani, modo: de quo dicere jam non attinet. Causantur nonnulli, Doctores a Comitibus creatos appellari Bullatos, & ideo eorum jurium, quibus alii utuntur, participes esse non posse. Id vero per summam iniuriam aut ignorantiam vel a maleuolis vel rerum imperitis fieri, ut hactenus

ctenus demonstratum, ita pluribus adhuc ostendetur, quod nomen hoc aut inscita aut superstitio aut partium studium induxerit. Ortum scilicet hæc appellatio debet abusui, quando forte, antiquis temporibus, Comitum siue Cæsareanorum siue Pontificiorum nonnulli, indignos & nulla eruditione conspicuos, diplomatibus vel bullis litterisve sigillatis donauere, quos Doctores quippe sola bulla nitentes bullatos appellari contigit. Accessit postea inuidia & inde factum est, vt omnes ii, qui extra Academias, honores & præmia licet ex merito impetrarent, etiam bullati dicerentur. Pessime! Ceterum per nos appellentur adhuc *Bullati*, imo tandem, bouini & asinini, qui siue in Academiis siue extra eas promoti, in sola bulla sua, litterisve bullatis siue signatis, nulla eruditione instructi, præsidium quærunt. Per nos iidem, vt garrientes Psittaci, careant priuilegiis, quæ, ex voluntate Sacræ Cæsareæ Maiestatis, non nisi dignis & eruditis conferenda sunt. At eos, qui legitime per vniuersam scientiam examinati, a Doctoribus aliis approbati & in conspectu excellentium virorum, a Comite Palatino, vigore Priuilegii clementissimi Cæsarei, adhibitis omnibus solennibus, creati sunt atque renunciati, in tanta rerum luce, adhuc vel bullatos appellare vel Priuilegiis Doctorum indignos iudicare velle, aut monstrosus, effrenis & petulantissimæ & Cæsaream pœnam merentis linguæ fœtus est: aut insipida ex pullata multitudine stolidissimi hominis persuasio. Quomodo enim, qui neutiquam bulla, sed eruditione sola, nititur, bullatus amplius dici poterit? Magis itaque est, vt tales dicamus *Cæsareo-Palatinos*, nouo fortassis, at rei conuenien-

uenientissimo verbo, ad discrimen Cæsareo-Academi-corum, nomine Sacræ Cæsareæ Maiestatis in Academiis creatorum. Postremo, quod communis sententia sit, Doctores aut Licentiatos a Comitibus Palatinis creatos, Priuilegiis Doctorum non gaudere, Guido Papæ auctor est. Non voluemus hic communem locum, quo vsque communis opinio recipienda sit. Illud enim est in propatulo, nihil valere communem sententiam contra rectam sanamque rationem, contra expressos legum textus, & denique contra apertam Principis voluntatem, siue rescriptis siue decretis siue alia ratione expressam. Vnde judicatu facile, quod, dum S. CAES. MAJESTAS disertis verbis vult, ut legitime a Comitibus Palatinis promoti, sint veri Doctores, & omnibus & singulis Doctorum Privilegiis gaudere debeant, stupidissimus mortalium sit oporteat qui inquinatæ Jurisprudentiæ Atlantes, illos Doctores communiter sic dictos magis quam ipsam Cæs. Majest. hic audire aut attendere conetur. Adhæc si autoritatibus certandum; hoc seculo politiore scilicet (barbarum enim iam & Guidonicum illud non curamus) doctissimis, cordatissimis, & exercitatissimis viris non solùm extra Academias viuentibus, sed & in ipsis Academiis splendido Professorio munere fungentibus, quod nos asserimus, placuit. Etenim, quam hîc defendendam suscepimus, sententia in Academia Lipsiensi, D. Benedicto Carpzovio, JCto incomporabili & quasi cuidam terrestri Jurisprudentiæ Saxonicæ oraculo; in Jenensi, semper veneranda studiorum meorum magistra, tùm Arumæo, tum Richtero, quantis luminibus! in Wittenbergensi, D. Caspari

ſpari Zieglero, viro excellentiſſimo & candoris electisſimi; in Tübingenſi facundisſimo Lanſio, in Viadrina piiſſimo Brunnemanno; ſed & inſuper Mundio, Klockio, Limnæo, Sprengero, Cubachio, omnibus non magis Juris publici ſcientisſimis, quam bonarum literarum gloria florentibus, unanimi calculo, admiſſa, probata atque propugnata eſt. Ad quos aliosque cupidum harum rerum lectorem, brevitatis ſtudio, hac vice delegatum imus. Non moramur igitur aliter ſentientes ſuperius retuſos Noldenum, Bachovium & recentiorum nonnullos, quorum nominibus conſulto pepercimus. Firmum potius atque inuictum manet, Doctores vel Licentiatos, vt ſæpe dixi, nomine S. Cæſ. Majeſt. a Comitibus Palatinis præſentibus Doctoribus & viris doctis, creatos, ſc. Cæſareo-Palatinos noſtros, qui perinde ut in Academiis, a tribus minimùm Doctoribus tum in tentamine, tùm examine rigoroſo, quod vocant, tùm denique in diſputatione aliqua examinati, & digni honore judicati & declarati ſunt, eſſe veros genuinos & legitimos Doctores & Licentiatos, neque poſthac bullatos vocandos, & adeò omnibus iis juribus, privilegiis & dignitatibus, quibus alii in Academiis promoti, gaudent, gaudere debere. Valeat ergò contraria, erronea, imò & in SAC. CÆS. MAJESTATEM impia, injuria & graviſſima pœna digna, reiqve literariæ & virtuti infenſiſſima opinio. Cui, credo, his temporibus nemo, qui ſincipitis ſani eſt, adſtipulabitur. Quod cum ita ſit, vitio mihi verſum iri non exiſtimo, ſi vi illius, quod SACR. CÆS. MAJESTAS mihi clementiſſimè indulſit, Privilegii, quos in examinibus dignos reperiri contigerit, Doctorum vel Licentiatorum

vel Magiſtrorum honore decorare nitar. Neque quæ hactenus allata ſunt, in Academiarum, quas maximi facio, iniuriam aut præiudicium dicta velim; ſiquidem Doctores aut Licentiatos à Comitibus Palatinis legitime promotos defendere, tantùm animus nobis fuit; cuivis verò liberum relinquitur, an ſtudiorum & induſtriæ ſuæ præmia ab ipſo benignisſimo Imperatore, an ab Academia, an denique a Comite Palatino, eadem a Cæſ. M. poteſtate inſtructo, petere velit. Quæ omnia ſatis conſideravit vir Clariſſimus & Conſultisſimus Dn. Johan. Sigismundus Pfornius Smalcaldenſis, Practicus & Advocatus dexterrimus, jam J. U. Licentiatus promotus, & parum referre exiſtimavit, in Academia, an extra eam, ſuorum ſtudiorum brabea obtineret, & eo non ita pridem Licentiaturæ honorem, a nobis & honeſte petiit, & nuper ſolenniter impetravit. Ut vero omnibus magis manifeſtum fiat, honore hoc eum dignum eſſe, literis hiſce teſtatum facere decrevi; ex more laudabili, de natalibus eius, ſtudiisque hactenus tractatis, nonnihil adiecturus.

Genitus vero idem eſt IV. Cal. Sept. a Chriſto nato CIↃ IↃC XLV Smalcaldiæ, urbe, Chalybis mercimoniis celeberrimâ, Patre Johanne Georgio Pfornio, Reipubl. Smalkaldenſis Senatore, eodemque Eccleſiæ ibidem reformatæ Seniore primario. Matrem habuit Annam Magdalenam, Johannis Fuchſii, ciuis quondam & negotiatoris ibidem integerrimi, filiam. Auus paternus ei fuit Sigismundus Pfornius, Smalkaldenſium olim Prætor urbanus; inſignibus tùm in Rempublicam, tùm Eccleſiam meritis, ad hunc usque diem poſteritati laudatus:

pater-

Paterna ejus avia fuit Elisabetha Wolffina, fæmina omnibus seqviorem sexum decentibus virtutibus decorata. Mortua matre, educatio filii, patri, adhuc superstiti, magnæ curæ fuit. Prima igitur elementa, ex voluntate illius, doctus est à Volcmaro Brandio, jamdudum fato suo functo. Secundas debet Dn. Christophoro Ambrosio, Cantori quondam Scholæ Smalkaldensis reformatæ solertissimo, iam in inferiori Hassia Ecclesiæ Mozfeldensis Pastori; Nec parùm adjutum sese esse fatetur operâ & diligentiâ Dn. Sigismundi Wechteri, iam Ecclesiæ Vachensis Diaconi: privatim verò informatus fuit à Viro Clarissimo, pariter & experientissimo Dn. Johanne Georgio Keulio, Medicinæ Doctore, & in patria Practico felicissimo, cujus mentio, ut hìc fieret, gratitudinis officium requirere existimavit. His iactis fundamentis, ad altiora accessum fecit, usus dexterrimâ informatione Dn. Caroli Francisci Callenbachii, tunc Rectoris Smalcaldensis. Cui quoniam Parochia quædam demandata est; in noui Rectoris, Dn. Georgii Heinij, iam Ecclesiæ Cathedralis Casselanæ Concionatoris primarii, disciplinam sese tradidit; simulque institutione Dn. Io. Iacobi Nodingkii, Conrectoris, iam Ecclesiæ Flohensis in Dynastia Smalcaldensi Pastoris fruitus est. Ephebus factus, anno 1664. dignus a Rectore habitus fuit, qui in Academiam ad continuanda studia mitteretur. Legitime igitur & vsitato modo dimissus, Marpurgum concessit, iam & olim laudatissimam & celeberrimam Academiam, eamque studiorum suorum moderatricem selegit, ibique animum suum bonis literis ac sapientiæ studio adiecit, Rectore Dn. Henrico Duisingkio, S. S. The-

 olog.

olog. D. & P. P. ordinario. In illa Academia primam curam Philologiæ & Philoſophiæ habuit, & interiora eiusdem percipiendi cupidiſſimus, inter ſapientiæ autores ſemper verſatus eſt: Haud poſtremam fundi noſtri literarii calamitatem eſſe ratus, ſi, absque humaniorum literarum, ſolidiorisque Philoſophiæ præceptis, in vita ciuili neceſſariis, ad facultatem ſuperiorem rapi ſeſe pateretur.

Itaque in Logicis, non minus ac Metaphyſicis ſub Dn. M. Nicolao Bertholdo, illarum diſciplinarum P. P. ordinario, haud parum profecit. Ad eundem modum, ut Phyſica quoque fundamenta iaceret, ex ore Dn. Iohannis Lombardii, Medic. Doctoris & naturalium P. P. ordinarii, Phyſica publice profitentis, ſedulo pependit. In Moralibus & Politicis prælaudato Dn. D. Duiſingkio publice inſigni fructu ſuo auſcultauit. In Oratoriis & Eloquentia vt ſeſe inſtrueret, viri quondam Clariſſimi, Dn. Abrahami Bootſii, in academia eloquentiæ principatum tenentis, & hiſtoriæ tum domeſticæ tum peregrinæ callentiſſimi, lectionibus vtiliſſimis interfuit. In Hiſtoricis viri excellentiſſimi Dn. Cyriaci Lentuli, Poëſ. Hebraicæ lingvæ & hiſtoriæ eccleſiaſticæ P. P. ordinarii, jam ſcriptis auro contra caris florentiſſimi indefeſſus auditor; nec minus, cupidine Græce intelligendi, Dn. M. Andreæ Schulzii, viri undiquaque doctiſſimi, hodie eccleſiæ Marpurgenſis reformatæ Concionatoris operam adhibuit, eoque loci ita vixit, vt vniuerſis Marpurgenſibus Dominis Profeſſoribus merito ante alios eſſet carisſimus. Domum redux, quæ addidicit, diligenter rumiuauit: Cum vero ſe ſuisque ſtudiis indignum

arbitraretur, in patria diutius morari; post triennium ibi absumtum, illustrissimum Hammonensium Athenæum secundissimo petiit: Ibidemque XI Cal. Nov. ann. cIↄ IↄcLXIX decem abhinc annis, in album studiosorum relatus, animum suum ad Jurisprudentiam addiscendam ex professo applicuit; Neque defuerunt ei hæc conanti viri & doctrina & experientia præstantissimi. Per quos intra quadriennium ad id eruditionis pervenit, ut non solum sub præsidio Dn. Abrahami Gulichii, Philosophiæ ordinarii, & SS. Theologiæ Extraordinarii Professoris, disputationem Philosophicam proprio marte, ut sunt verba eiusdem viri, conscriptam, optime defenderit, sed & postquam tribus vicibus Institutiones, & semel pandectarum universarum explicationem ex ore Dn. Theodori Nisii, J. U. D. & P. P. audiverat, eodem Præside egregiam dissertationem de NOBILITATE juridica-politicam, illius autor, applaudentibus omnibus, 1671 publice habuerit, defensitaveritque. Quibus rebus factum, ut benevolentiam Dominorum Professorum, Comilitonum studia, & omnium bonorum gratiam & favorem ex asse obtineret, & anno 1672 abitum parans, elegantissimo encomio, ab Athenei Directore mactaretur. Cumque nihil reliqui fecisset, quod ad comparandam solidam juris notitiam pertinere posset, & jam patriæ prodesse cuperet, ultimum vale Hammonensibus dixit, & ad patrios lares reversus est; Ibi a mane in noctem usque juridicinam facere cœpit, non nescius, jurisprudentiæ nostræ studium, quippe indole sua practicum, ad usum in vita humana referendum esse. Et ubi dexteritas eius illic loci innotuit, præstito solenni juramento, tum

Causidicinæ Candidatus, in numerum Aduocatorum Smalcaldensium adscitus est. Cui muneri quanta fide, quanta dexteritate, quanto denique clientium commodo præfuerit, testantur judices, loquuntur acta, prædicant litibus distenti clientes & maximi & medioxumi. Deo impulsore, Smalcaldia relicta, ad nos nuper sese contulit, negotiis forensibus ulterius incubiturus. Ne vero semidoctorum tabularum numero a malevolis accenseretur; eruditionis, quam tot laboribus sibi acquisivit, egregiæ, præmium & testimonium aliquod a me, multis motus rationibus, modestissimè literis petiit. Etsi vero auctor ei fui, ut ad petendum hoc, in Academiam quandam sese reciperet; tamen ne petito deessem, rogare non destitit, seseque examina, in Academiis haberi solita, subiturum, significavit. Quare honesta desideranti obsistere porro non potui; & eo debita examina cum ipso ut instituerentur, curavi. Admissus igitur ad tentamen, quod vocant, assignatos sibi textus, *pr. Instit. de milit. Testam. & l. 27. de Reb. cred.* non solum casus optime formando, sed & rationes dubitandi & decidendi judiciose afferendo, variaque consectaria annectendo, erudite resolvit: Et tum a Viro Magnif. & excellentiss. Dn. Ernesto Ludovico Avemanno, JCt. Consummatissimo, Cancellario & Consil. intimo meritissimo, socero meo ad tumulum usque honoratissimo, æstimatissimo, tum a Nobilissimis, Excellentiss. & Consultiss. Dn. Friderico Hosfeldo, D. Siegfriedo Happelio, D. Valentino Rödero, J. U. Doctoribus celeberrimis; Illo Collegii supremi tutelaris Assessore, Cons. Hoënloico, & Regiminis Gothani Advocato ordinario, Reipubl. Consule, &

Gy-

Gymnasii Scholarcha; Isto Reipubl. Smalcaldensis Consule & Senatore, ut & Advocato; Hoc, ejusd. Reip. Senatore grauissimo, tum a me etiam, ut ex jam nominatis textibus, ita & per omnes fere eosque difficiliores juris articulos, interrogatus, ubique apte & juris analogiæ convenienter respondit, & hoc examen per integras quatuor horas antemeridianas d. 28. Maji sustinuit, ut viam ad scrutinium rigorosum ei pandere nulli dubitaverimus. In hoc rigoroso totidem horis pomeridianis, jam dicti diei, ubi datos sibi duos textus, *l. 14. de sent. & interlocut. & C. 54. extra de testib.* dexterrime explicauit, per eminentiora Codicis & Juris Canonici loca, examinatus, ubique in bene respondendo sese promtissimum & paratissimum gessit; Et quia ad examen quoque disputationem pertinere putauimus, ut disputatione quadam profectus ejus explorarentur, visum est. Igitur Theses quasdam, ex utroque & moribus Germaniæ nostræ, desumtas, conscripsit, easdemque intra priuatos parietes, in consessu Magnifici, & Nobilissimorum Dominorum Examinatorum, & multis aliis clarissimis & doctissimis viris præsentibus, aduersus subtilia Dominorum Opponentium, utriusque juris Candidatorum, argumenta, horis tam ante quam pomeridianis, 29. Maji, strenue defendit. Unanimi igitur Dominorum Examinatorum calculo dignus judicatus fuit, cui Licentiaturæ honor & priuilegia a me conferrentur. Eapropter in Sacro Sanctæ Trinitatis & Sacratissimæ CAESAR. MAIESTATIS, Augustissimi, Potentissimi & Invictissimi Imperatoris ac Domini, Domini LEOPOLDI, Domini mei longe clementissimi, &c. nomine, d. 30. Maji, Dn. Pfornio, post præstitum S. Cæsar. Majestati & Romano Imperio juramentum, LICENTIATURAE honorem & priuilegia, in Dominorum Examinatorum, & in multorum

rum

rum aliorum Clarissimorum Virorum corona, solennibus ritibus, contuli, & ita integer actus, habita a Dn. Licentiato jam promoto, eleganti & nervosa de *Licentiatorum dignitate, & juribus Oratione,* finitus est. Deus O. M. hunc honorem Dn. Licentiato Pfornio faustum felicemque esse jubeat!

Ut vero Dominus Licentiatus fide dignum & publicum aliquod horum gestorum testimonium habeat, in ejus rei gratiam, has literas expedivi. Hisce igitur jam sæpe dictum Dn. Licentiatum Pfornium, iis, quibus bonorum virorum cura est, & assidue commendo, & insuper nomine sæpius, subjectissima devotione, memoratæ SACR. CAESAR. MAIESTATIS volo, ut idem DN. Licentiatus Pfornius ab omnibus, cuiuscunque ordinis & conditionis sint, LICENTIATUS salutetur, nec solúm per universum Sac. Romanum Imperium, sed & in SACR. CÆSAR. MAJESTATIS regnis & provinciis hæreditariis, pro legitimè *promoto Licentiato Utriusque Juris* habeatur, & omnibus juribus, dignitatibus, privilegiis & beneficiis utatur, fruatur, atque gaudeat, quibus alii Licentiati, qui in Academiis, *Parisiensi, Bononiensi, Patavina, Lovaniensi, Vindobonensi, Ingolstadiensi, Lipsiensi, Wittenbergensi* & *Marpurgensi* promoti sunt, gaudent, aut gaudere solent vel possunt. Quisquis verò scienter & dolosè contrafecerit, in SAC. CÆS. MAJEST. gravissimam indignationem & mulctam *50 Marcarum auri puri* noverit sese incursurum. In majorem fidem has literas sigillo meo Palatinatus debito modo roboravi. Dabam Gothæ e Museo. d. 1. Junii; An. 1678.





AVCTORES,

qui vel notantur, laudantur, emendantur, illustrantur, vel adseruntur.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
A.

Carin-

P.

Quæ-

Stipato-

Pag. 25, lin. 2. deleantur, *ita creandi*, si qua fuerint extantiora.

Reliqua humanus lector emendabit,

FINIS.